Prov. Calif.
348.735
Sa33

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/dejureordinesins0000vari

348.735
St33

De Jure
Ordines & Instituta
nunc regente.

in usum auditorum
scripsit

P. Jos. Steiger.

ALMA COLLEGE
348.735
LIBRARY
St 33
Alma, California

Angiæ, anno MCMVIII

Ex officina C. Peeters.
Lovanii.

5936

De Jure
Ordines et Instituta nunc regente.

Acturi de christifidelibus qui, per professionem religiosam Deo mancipati, vitam communem transcendunt et plenitudinem perfectionis christianae ambiunt, non incongrue initium faciemus ab expositione variarum notionum quae in hac materia passim occurrunt. Aperiemus igitur ante omnia quid importet ratio status, perfectionis, vitae communis status perfectionis et status religiosi.

Cap. I. Exponuntur notiones generales status, perfectionis, vitae communis, perfectae et religiosae.

Ecclesia catholica, corpus Christi mysticum, est coetus hominum qui ejusdem christianae fidei professione et eorumdem sacramentorum communione colligatus, sub regimine unius capitis Christi ejusque Vicarii per media sibi congruentia ad aeternam tendit felicitatem. In hac spirituali republica plures inveniuntur status, seu stabiles rationes vivendi, ut e. gr. in ordine ad bonum commune et ad regimen Ecclesiae: status laicalis et clericalis; in ordine vero ad bonum spirituale singulorum: status vitae communis et status perfectionis.

Art. I. Quid in praesenti materia importet ratio status.

Nomine status in materia juridica et morali intelligimus

1) Conditionem personarum respectu libertatis vel servitutis, hoc sensu loquimur de statu coelibatus, de statu conjugali. Sumitur autem hic servitus latiori sensu, prout scilicet importat quodcumque vinculum subjectionis vel obligationis erga alium.

2) Considerandum tamen est, quod spiritualis libertas, vel servitus, in membris Ecclesiae dupliciter attendi potest: uno modo secundum interiorem hominem prout magis minusve liberatur a servitute peccati (Rom. VI. 20, 22) et mancipatur justitiae; alio modo secundum ea quae exterius aguntur visibiliter in visibili Ecclesia cujus certi fideles – pro sua conditione libertatis vel servitutis – procurant operationes necessarias, perfectionem et pulchritudinem. Aliis verbis, in quocumque fideli considerari potest ejus conditio spiritualis interior coram Deo eique soli perspecta, et ejus conditio exterior socialis coram Ecclesia societate. Porro in praesenti materia status i. e. conditio libertatis vel servitutis, attenditur tantum secundum posteriorem acceptionem. Cfr. St Thom. Sum. theol. II, II. 183, III, IV.

3) Ratio status importat per se aliquam firmitatem atque immutabilitatem. Ideo ad aliquem statum pertinere – i. e. sui vel alieni juris esse – dicendus non est, qui talis est ex causa de facili mutabili; sed is tantum qui ex causa permanenti, juxta naturam rerum, talis est. op. cit. q. 183. I.

4) Quod si quaeras, quaenam sit hujusmodi causa, modo permanenti ab obligatione solvens vel eam imponens; dicendum: a) hanc causam universim in aliquo facto sociali, re vel jure publico esse quaerendam. Ratio est quia quae in conscientiae latebris occultantur, patent quidem Deo et sic obligationem moralem inducere possunt; minime vero patent Ecclesiae societati, ideo per se nec conditionem nec obligationem socialem generant. – b) In specie vero dicendum: quod hujusmodi facta socialia, tametsi in Ecclesia diversi ordinis esse possint, ad tria fere reducantur: scilicet α) ad legem quae obligationem socialem stabilem injungit, vel ab ea peremptorie liberat. ex. c. vide tit. de Majorit. et Obed. I. 33. de Privileg. V. 33; c. 13, 18 de Convers. Conjug. III. 32 β) ad susceptionem sacramenti quod obligationem perpetuam aut vinculum perenne injiciat ut sacr. baptismi, ordinis, matrimonii. Denum γ) ad factum propriae voluntatis externe et socialiter manifestatum, puta dum quis voto publice prolato sponte obligationem assumit perennem.

5) Ex dictis igitur habemus: ut quis in Ecclesia societate ad certum quemdam pertineat statum, requiritur: ut conditionem – libertatis vel servitutis – socialem habeat moraliter saltem permanentem, idque

ex causa stabili in facto sociali fundata. Cfr. praeter Angelic. l. c. Suarez de Relig. tract. VII. l. I, cap. 1. Bouix, de Jure Reg. t. I. l. I, sect. I. c. I.

b) Inter varios status qui in Ecclesia observantur, non infimum locum obtinet status religiosus, illa nempe conditio socialis qua multi fideles se ad christianae perfectionis acquisitionem obligant. Nihil quippe aliud est status religiosus, ex consensu DD., nisi "publica perfectionis servitus", seu ut loquitur Angelicus II, II. 186, II.: "disciplina vel exercitium ad perfectionem perveniendi." Ergo explicandum est nunc in quo sita sit haec, cui religiosi se mancipant, perfectio.

Art. II. In quo consistat vitae christianae perfectio.

Perfectum dicitur quod est totaliter factum, seu id cui nihil deest in suo ordine. Cum autem unicuique secundum quod est in potentia aliquid desit, nempe actus, res naturae et potentiae non dicuntur simpliciter perfectae sec. q^d sunt in potentia, sed sec. q^d in actu sunt. Hinc ultima actuatio alicujus naturae simul est ejus perfectio seu unumquodque est perfectum inquantum attingit finem ultimum proprium. Finis ultimus humanae mentis est Deus et quidem in praesenti ordine Deus in se attingendus, circa quem versantur tres virtutes theologales ita tamen ut fides illum ostendat, spes in eum nitatur sed sola charitas eum cum mentem hūis uniat, juxta illud I Joan. IV. 16 "qui manet in charitate in Deo manet et Deus in eo." Ideoque:

Dico 1°. Vita christiana essentialiter, principaliterque in charitate subaudiente gratiam sanctificantem consistit. II. II. 184. I. Opusc. de perf. vitae spir. cap. 1. Quodlib. III. art. 17. Cfr. Suarez, de Relig., tract. VII. l. I. c. 3. n. 5.

Haec charitas subaudit gratiam sanctificantem, quia in nostro ordine justificationis ipsius socia individua existit. In charitate vero vita christiana consistit a) <u>essentialiter</u>: quia "qui non diligit manet in morte" I Joan. III, 14. imo qui virtutes caeteras et charismata habet, charitatem autem non habet, in ordine spirituali nihil est I. Cor. XIII, 1-3. E contra qui diligit Deum, diligitur ab ipso, et "qui manet in charitate in Deo manet et Deus in eo". Unde Aug. serm. 5 de verb. Dom. c. 2 "adde charitatem prosunt omnia; detrahe charitatem nihil prosunt caetera." — b) <u>principaliter</u>: quia post enumerationem reliquarum virtutum Coloss. III. 12, 13. Apos-

tolas addit. V. 14 "super omnia haec (ἐπὶ πᾶσιν δὲ τούτοις) charitatem habete, quod est vinculum perfectionis". Et sane charitas reliquis virtutibus dat pulchritudinem, complementum in ordine ad finem ultimum, vim merendi, imo stabilitatem atque firmitatem ex proprio suo motivo, efficaciam ad resistendum contrariis; demum eis praebet facilitatem et jucunditatem in operando. Ergo sine dubio reliquis virtutibus principalior est — Idem manifestum fit ex natura rei: quia illud est principale quod est essentiale in aliqua re. Atqui in vita christiana charitas est essentialis. Ergo Iterum. Principatus competit primo moventi. In moralibus primum movens est finis, unde virtutes e quibus resultat vita christiana ordinantur ad invicem prout respiciunt finem ultimum. Atqui virtutes morales versantur circa ea quae sunt ad finem, removentes exterius et interius quae prohibent ejus adeptionem; virtutes theologales versantur quidem circa ipsum finem ultimum ita tamen ut sola charitas cum ipso hominem uniat. Ergo charitas inter virtutes rationem primi moventis, et proin principatum obtinet. Reliquae omnes in ipsa finem suum habent: dispositiones sunt ad ipsam introducendam, et cum semel introducta fuerit ei subserviunt ut actuosa fieri possit: juxta illud I. Cor. XIII. 4-8 " charitas patiens est, benigna est". etc. utique non elicitive sed imperative. Hinc intelligitur quanto jure charitas " regina nuncupatur quae omnes vires animae nostrae advocet in obsequium divini amoris. Cf. S. Th. de charit. art. 5.

Dico 2. Tametsi vita christiana essentialiter in charitate consistat, non tamen totaliter, ratio est: quia praeter charitatem quae specialis virtus est, plenitudo vitae christianae et reliquas postulat virtutes tanquam causas proxime elicientes actus virtuosos, et simul charitati ministrantes. In qua materia non pauci moderni, sin minus erronee, profecto parum accurate locuti sunt — Equidem charitas recte dicitur a) finis omnium virtutum, quia omnes alias virtutes ordinat ad finem suum. II, II. 24. VII. ad 3; b) primum movens omnium virtutum, quia virtus ad quam pertinet finis ultimus imperat virtutibus ad quas pertinent alii fines secundarii, ibid. art. IV ad 2. c) earum forma, non quidem intrinsece seu constitutive, sed efficienter in quantum scilicet earum actus refert in finem ultimum;

finis autem objectivus in moralibus praecipue format, seu specificat, actus humanos. de Carit. art. 3. d) earum ultimum complementum, sine quo nulla simpliciter vera virtus esse potest; per ipsam enim solam ordinantur ad supremum et summum bonum. e) id unde statum meritorium trahunt, cum sine ipsa homo non sit filius Dei. f) radix et fundamentum earum, quia illis dat stabilitatem ac firmitatem, dando iis ex proprio suo et altissimo motivo efficacitatem ad resistendum contrariis, simulque facilitatem et jucunditatem in operando. Demum g) mater ipsarum quia ex appetitu finis ultimi concipit actus aliarum virtutum imperando ipsos — Ex istis et similibus charitatis praerogativis recte quidem concludes nullum motum moralem ad ultimum scopum attingere, aut in suprema sua constitui dignitate, quamdiu hegemoniae charitatis non subditur; minime vero inferendum, in sola charitate totaliter consistere vitam christianam, vel unicum formalem perfectionem vitae christianae esse charitatem. Haec enim illatio, aut necessitatem aliarum virtutum de medio tolleret, quod erroneum est, aut charitatem poneret virtutem universalissimam, quod falsum est. Requiruntur igitur reliquae virtutes vel ut dispositiones praeviae ad charitatis introductionem, Trid. sess. VI. c. 6, vel ut dispositiones ad consequendam perfectionem charitatis, mundantes cor hominis a variis cupiditatibus, a sollicitudine plurima ut libere Deo inhaereat, et sic sunt media ad charitatem, vel ad ipsius plenitudinem. Verum etiam cum charitas perfecta adepta fuerit adhuc requiruntur tanquam instrumenta ipsius i. e., tanquam facultates proximae quibus charitas utatur" ad perfectos illarum actus exercendos quibus ipsa augetur, magis, magisque perficitur et interdum etiam conservatur, quia "probatio dilectionis exhibitio est operis", praesertim quando illud opus ad salutem necessarium est. Sane qui diligit mandata servat, et si perfecta sit charitas, etiam consilia, et meliora opera exercet cum promptitudine et foecunditate ad quam multum conferunt caeterae virtutes, licet charitas omnes perficiat." Cfr. Suarez op. cit. lib. I. c. 3, n. 10 sq. II, II, 184. I.

Dico 3. Charitas sec. quam vita christiana praecipue attenditur est quidem ipse habitus, non tamen nudus sed habitus in actu proc. tificans, ratio est, quia habitus super naturaliter infusi se habent

ad modum potentiae, omnis autem potentia ordinatur ad suum actum eoque completur, et unumquodque perfectum est sec. quod est in actu et non tantum in potentia. Lege P. Le Gaudier, de Perf. vitae spir. P. I, sect. I, c. 12.

Dico 4º. Haec charitas in se specifice una, ob unicitatem objecti formalis, respicit tamen duos terminos: unum principaliter, scilicet Deum; alterum secundario, nempe proximum. Deum diligit ratione sui ipsius, proximum ratione ordinationis ipsius ad Deum: quia in eo est Deus, vel ut in eo sit Deus, vel demum ut ipse in Deo sit, et sic quodammodo Deum diligit in proximo: II. II. 25. I; de charit. art. 4. vide etiam ult. verba opusc. In 2 praecepta caritatis. Vide Suarez op. cit. l. 1, c. 4, n. 14-15.

Dico 5. Cum vita christiana specialiter attendatur secundum charitatem evidens est perfectionem hujus vitae pensandam esse sec. perfectionem charitatis videndum igitur ulterius in quo charitatis perfectio consistat.

Dico 6. Respectu objecti sui primarii, essentialis perfectio charitatis in eo est ut diligatur Deus propter seipsum ex toto corde et animo seu super omnia appretiative: nam finis praecepti est charitas I Tim. I, 5, et sane omnia praecepta legis sunt de actibus virtutum, virtutes autem morales ordinantur ad theologales; fides vero et spes ad charitatem, ut supra dictum est: et iterum "plenitudo legis est dilectio". Rom. XIII, 10, i.e. per dilectionem lex impletur atque perficitur. Atqui hoc est primum et maximum mandatum "Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua". Matth. XXII, 37. Ergo qui hanc legem adimplet, substantialem finem et perfectionem legis seu charitatis tenet.

Dico 7. Intra latitudinem hujus essentialis charitatis, ratione cujus, habens ipsam, <u>substantialiter</u> perfectus dicitur, considerari possunt ac debent varii gradus excellentiae qui se invicem suscipiunt sicut perfectum et magis perfectum, et penes quos attenditur minor aut major plenitudo perfectionis in subjecto diligente. Unde non omnis qui diligit Deum super omnia, et hoc titulo <u>perfectus</u> dici potest, continuo etiam <u>plenitudinem</u> charitatis et consequenter <u>perfectionis</u> possidet. — Et sane quin immorer in illa plenitudine quam caritas actualis superaddit habituali, (Cfr. Le Gaudier, op. et part. cit. c. 12),

et actualis intensa remissae, (Cfr. ibid. c. 14), praedicti gradus attendi debent:

a) secundum quod caritas dicit Dei dilectionem super omnia: nam qui sic Deum diligit super omnia ut ejus amor tantum includat formale vel virtuale propositum nunquam Deum graviter offendendi, diligit sane Deum super omnia, sed gradu tantum infimo et indispensabili, nempe super omnia quae ipsi caritati contrariantur. Veriori modo Deum super omnia diligit cujus caritas continet propositum vitandi praeter mortale etiam omne veniale in determinato genere, puta temperantiae. Liberaliori adhuc caritate qui proponit vitare singula venialia in individuo. Porro quis non videt hanc ipsam liberalitatem intendi posse variis rationibus, prout caritas roborata aliquem adigit ad vitanda non modo venialia deliberata, sed pro posse suo, etiam illa quae subreptione quadam et fragilitate elabuntur. Verumtamen haec caritas quantacumque sit, in his terminis, Deum jubentem diligit super omnia sive gravia sive levia. Procul dubio plenior erit caritas quae insuper Deum consiliantem diligit super omnia et statuit praeter praecepta etiam consilia servare, omnia media adhibere quae animam ad pleniorem cum Deo conjunctionem promovere possunt. Quanta palaestra! Excellentiam hanc supergreditur caritas quae eousque se erigit ut prompta sit insuper agere et pati omnia quibus Deo dilecto, impensis suis, semper majorem afferat gloriam. Ecce tibi scala quaedam qua semper altius anima in divina charitate et consequenter in perfectione assurgat. Quid demum de caritate dicam quae non modo a dulcedine contemplationis infusae, sed ab ipsa faciali contemplatione propter Deum super omnia dilectum avelli se patitur, ut majorem Dei gloriam et salutem animarum ampliorem procuret. Cfr. Suarez l. c. cap. 4, n. 3. Sic ergo intelligitur doctrina S. Aug. "inchoata charitas, inchoata justitia est, provecta charitas, provecta justitia est, magna charitas magna justitia est, perfecta charitas, perfecta justitia est." de nat. et gr. c. 70 et qualem charitatem cit. op. c. 42: "verissimam, plenissimam, perfectissimamque justitiam" dixerit. Cum autem accessus ad unum terminum sit recessus ab opposito; caritati autem opponatur cupiditas, intelligitur cur alias idem S. Dr. dixerit: "ve-

nenum charitatis cupiditas, perfectio charitatis, nulla cupiditas" in lib. 83, quaest. q. 36. Cfr. S. Th. quodl. cit. art. 17: "amor, ait, vim transformativam habet, qua amans in amatum quodammodo transfertur, quia ergo totum et perfectum est idem, ille perfecte charitatem habet qui totaliter in Deum per amorem transformatur, se ipsum et sua omnino (omnia) postponens propter Deum; unde Aug. dicit XIV de Civ. Dei quod, sicut civitatem Babylonis facit amor sui usque ad contemptum Dei; ita civitatem Dei facit amor Dei usque ad contemptum sui"... Cujuscumque ergo mens sic est affecta interius, ut se ipsum et omnia sua contemnat propter Deum, iste perfectus est sive sit religiosus sive saecularis; sive clericus, sive laicus etiam matrimonio junctus".

b) gradus attendi debent secundum quod charitas est motus in Deum et inhaesio in ipso ex toto corde. In summum bonum ferri quantum diligibile est, seu infinite id quidem solius Dei est. Creatura vero rationalis tunc Deum totaliter sive perfecte diligit, quando diligit tantum quantum potest, puta sic ut cor hominis totum actualiter semper feratur in Deum. Talis motus et tanta inhaesio pertinet ad charitatem patriae, nec viatoribus possibilis est ob infirmitatem vitae praesentis et corporis gravamen, ut exponit S. Th. q. disp. de carit. art. 10. Attamen multoties in viatoribus motus in Deum, qui ipsis possibilis est, simpliciter tollitur per suum contrarium i. e. per peccatum mortale, aut saltem retardatur ob impedimenta quae activitati caritatis obsistunt. Igitur prout nonnulli sic moventur in Deum ut saltem habitualiter totum cor suum ponant in Deo, nihil cogitantes, nihil volentes quod divinae dilectioni sit contrarium, attenditur primus et infimus gradus charitatis et talis perfectio communis est omnibus caritatem habentibus. Altior gradus attenditur in iis qui, dum fugiunt quae charitati contrariantur in se, simul etiam sic feruntur in Deum ut removeant propter ipsum ea quae retardant ab unione eo quod libertatem motus praepediunt, ut sunt res creatae a quibus se expediunt quantum necessitas praesentis vitae permittit. Et iste gradus perfectionis non est communis omnibus caritatem habentibus. Vide II. II. 24. IX; 184. II

c) secundum varia media quae adhibentur ad unionem cum Deo promovendam. Et hi gradus fere in unum recidunt cum assignatis sub litt. b. Sane quaedam perfectio, juxta dicta, inseparabilis est ab ipsa charitate consistitque in remotione cujuscumque inclinationis caritati contrariae. Ulterior perfectio non pertinet ad esse, sed ad bene esse caritatis. Haec consistit in remotione occupationum saecularium quibus affectus humanus retardatur ne libere progrediatur in Deum. g. disp. cit. art. 10. Hujusmodi vero remotio prout hic consideratur non pertinet ad praecepta sed ad consilia. Ergo perfectiori charitate fulgent qui ut libere in Deum tendant executioni praeceptorum addunt consiliorum observantiam. — Ut haec doctrina rite accipiatur sciendum est quod praecepti hujus: "Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo" plena adimpletio, importans totalitatem excludentem omne impedimentum quominus cor hominis toto conatu, actu, et sine intermissione Deo inhaereat, in patria tantum, possibilis erit, unde neque talis totalitas praescribitur viatoribus. Veruntamen ipsis viatoribus, dum implent praeceptum charitatis, nullus gradus vel terminus fixus divinae dilectionis assignari potest ultra quem irrationabiliter Deum diligerent, ratio est; quia charitas versatur circa summum bonum, seu finem ultimum, ideoque ipsa medium non admittit rationis, sed ejus modus est diligere sine modo vel medio. cf. disp. cit. art. 11. ad 13. Est tamen aliquis infimus gradus nempe, ut nihil supra Deum, aut contra Deum, aut aequaliter ei diligat. Ab hoc gradu perfectionis vel dilectionis qui deficit, transgressor existit legis diligendi Dei, et e contra qui hunc gradum saltem attingit transgressor non est, vero enim modo, licet non optimo, legem adimplet. Ex hactenus dictis resolves quaestionum, an et quo sensu, omnes teneantur ad perfectam charitatem.

Jam age, omnia praecepta alia a praecepto charitatis, et omnia consilia ordinantur ad charitatem tanquam media ad ipsam. Aliter tamen et aliter. Praecepta quidem ea removenda, ea sine quibus charitas vel in infimo gradu assignato esse nequit. Consilia vero, ad removenda ea quae non jam ipsi charitati in se contrariantur, (ipsa enim non tollitur si homo secundum ordinem rationis v.g. matrimonio et rebus temporalibus utatur), sed ad removenda ea quae libertatem, continuationem et intensitatem actus charitatis praepediunt. Omnia igitur consilia

P. S.

in se eximia instrumenta quibus plenior dilectio promoveatur, et in homine qui ea servat nobilissimae dispositiones ad hoc ut perfectius Deo vacet, eique inhaereat. Recte igitur gradus perfectionis in charitate assignantur secundum media quae adhibentur ad unionem cum Deo promovendam. Cfr. II.II. 44. VI. II.II. 184. III. et C.G. III, 130.

d) secundum studium praecipuum eorum qui charitatem habent. Charitas est actus studiosus, ie motus intentionalis in finem ultimum, scilicet in Deum ut diligendum propter se super omnia. In omni autem studio humano est accipere principium, medium et terminum, sicut etiam invenitur in motu locali, nam primum est recessus ab uno termino, secundum autem est appropinquatio ad alium terminum, tertium est quies in ipso. Sic etiam diversi gradus charitatis distinguuntur juxta variam mensuram libertatis negativae et positivae qua cum habens charitatem unioni cum Deo vacare potest. In nonnullis enim charitas sic adest ut ipsius existentia frequenter in discrimen adducatur ob motus concupiscentiae ad mortale incitantes; in aliis ita ut candidiores concupiscentias quidem sibi subjectas teneat, ast alii motus partis concupiscibilis et irascibilis, vel etiam rationis inferioris nondum ipsi pareant ad imperium; in aliis tandem devictis jam hostibus omnibus, et in servitutem suam subjectis, in pulchritudine pacis, liberrime Deo inhaerere potest eoque frui. Hinc licet isti omnes in unionem cum Deo tendant, et pro suo labore proficiant, primi tamen sic tendunt ut praecipuam sollicitudinem impendere et adhibere debeant circa concupiscentias vincendas et edomandas; secundi tuti ut plurimum ex hac parte hanc praecipuam sollicitudinem oportet, ut concupiscibile promptum et paratum reddant ad subserviendum charitati tamquam reginae et imperatrici, quod praestant exercendo se positive in virtutibus; tertii denique expediti et libertate donati maxime occupantur in inhaesione et fruitione divina, quietem nacti ad quam ordinabantur sollicitudines priores. Sic ergo in charitate accipiendum est principium, medium et terminus, et in habentibus ipsam, juxta studium praecipuum ipsorum discernuntur: incipientes, proficientes et perfecti. Cfr. II.II. 24. IX, III Sent. d. 29. q. 1. art. VIII. Suarez, op. cit. l. I. c. 13, n. 2. Denique ut observat Suar. op. cit. l. 1. c. 4. n. 3 in fin.

e) varii gradus excellentiae charitatis attendi debent, praeter in-

trinsecam perfectionem habitus et actus, in ipsius perfectione extrinseca, adjacenti, ex consortio scilicet aliarum virtutum consurgens. Prout nempe charitas in variis hominibus has virtutes magis sibi adnexas et subjectas habet, ut ipsae ad imperium pareant, et proprios actus prompte, frequenter, constanter atque delectabiliter ponant: in qua promptitudine etc. profecto gradus innumeri habentur. Ultimam hanc charitatis excellentiam maxime considerat theologia ascetica, itautusu jam communi, perfectum dicamus hominem justum cujus cor depuratum, vi charitatis, ita dispositum est, ut ex ejus imperio omnia praecepta, et si oportuerit etiam consilia, prompte, constanter et delectabiliter ad placendum Deo per omnia adimplere valeat; secus imperfectus audit. Cfr. Bouix de Regul. t. I, p. 14. n. 3. Hac igitur acceptione et nos in materia praesenti rationem perfectionis consideramus.

Quaeres: Utrum perfectio principalius in mandatis quam in consiliis consistit? Resp. 1) Ad praecavendam omnem confusionem sedulo attendas quaestionem moveri circa praecipuum constitutivum perfectionis, minime vero status perfectionis, de quo aliter, ut infra patebit, philosophandum erit. 2) Si nomine perfectionis veniat ille essentialis quidem sed infimus charitatis gradus, quo quis sic Deum diligit super omnia, ut saltem excludat ea quae ipsi charitati contrariantur, dicendum quod iste practice coincidat cum ipsa observantia mandatorum, et sic in terminis manifestum est talem perfectionem praecipue consistere in praeceptis, quippe cum sine consiliis haberi potest; sine praeceptis, non potest. Verum ista acceptio perfectionis valde impropria est. Igitur 3) Si sermo instituatur de proprie dicta perfectione, de plenitudine aliqua charitatis, tunc, distinctione facta inter praeceptum charitatis et reliqua, respondendum est: perfectionem charitatis constitui praecipue per adimpletionem hujus praecepti quod nunquam tanta plenitudine in terris adimpletur ut ulterius adimpleri non possit. Reliqua vero praecepta et ipsa consilia ordinantur ad hoc praeceptum tamquam media ad finem, nempe ut removentia prohibens, juxta sup. dicta sub litt. c). Si igitur perfectio formaliter consistit in adimpletione praecepti charitatis, dispositive et instrumentaliter vero in reliquis praeceptis et in consiliis. — Non est cur moneam, hanc solutionem quam Angelicus praeceptor passim

tradit cfr. II. II. 184. III. C. g. III. 130, praecipue II. II. 189, I ad 5, toto coelo distare a sententia erronea et falsa qua protestantes et incanti quidam catholici docent "consilia non esse perfectiora praeceptis" de qua infra. Accipe interim lucidam ven. Bellarmin. observationem, qui approbans doctrinam Sti Thom., de Monachis cap. 6, caute addit: "Possumus tamen anteponere consilia praeceptis tribus modis: 1º Comparando singula consilia, non cuicumque praecepto, sed praeceptis illis quae versantur circa eamdem materiam, vgr... "non furaberis" cum: "vende omnia et da pauperibus" etc. 2º Comparando non consilia cum praeceptis, sed statum hominum servantium praecepta et consilia, cum statu eorum qui solum observant praecepta. Neque enim dubitari potest quin sit res longe melior et perfectior status prior posteriore; quandoquidem ille istum includit, non contra... 3º comparando consilia cum quolibet praecepto, etiam illo „Diliges Dnum Deum tuum" sed considerando in consiliis, non opera externa consiliorum, sed caritatem quam praesupponunt et ad quam ducunt. Illo enim praecepto: "Diliges".. non praecipitur charitas infinita sed certus quidam gradus (nempe saltem ille infimus, de quo pluries supra) nimirum tanta charitas, ut per eam nihil Deo aeques, vel anteponas; at major gradus charitatis requiritur ut propter Deum renuncies omnibus opibus et voluptatibus alioqui licitis: dicit enim Aug. serm. 18 de verb. apost., de virginibus loquens: „Major amor majus imposuit onus" Lege Suarez, op. cit. lib. I. c. XI, n. 1-3.

Declarantes rationem perfectionis christianae viam paravimus ad hauriendam genuinam notitiam status communis, status __perfectionis__ ac demum ipsius status religiosi, quod jam prosequimur

Art. III. Quid sit status vitae communis.

Status vitae christianae universalissime acceptus non est nisi ratio aliqua vivendi stabilis ac firma ad salutem gratiae in hac vita, et gloriae in futura consequendam, Christo auctore, instituta atque ordinata, qui vivendi modus in sola Ecclesia Christi reperitur, in fide Christi fundatur, et ideo status vitae christianae nuncupatur. — Cfr. Suarez, Op. cit. lib. I. c. 3. Quod autem in Ecclesia Christi sub hac universalitate multiplices in concreto status inveniantur id quidem partim de fide est, Trid. sess. XXIII. cap. 4,

can. 4. 6., partim adeo manifestum vgr. quoad statum communem et statum perfectionis, ut ab omni demonstratione circa eorum existentiam nos contineamus. Potius ostendendum est quaenam sit utriusque intestina natura, scopus, quomodo ab invicem differant, ita ut omnis status assignabilis in Ecclesia ad alterutrum membrum divisionis recidat, demum utrum status religiosus super statum perfectionis addat quidquam, vel cum ipso identificetur.

Status vitae communis ille est in quo fideles ad vitam gratiae et charitatis tendunt, in eo saltem gradu, qui ad salutem aeternam necessarius est. Ad hanc essentialem perfectionem ad minimum consequendam ordinatur professio religionis christianae, simulque media necessaria et sufficientia proponit: unde 1°) salvatur in ipso aliqualis ratio plenitudinis vel consummationis quam ratio status involvit, prout status quietem in proprio aliquo genere connotat. 2°) salvatur etiam firmitas et stabilitas ex aliqua causa permanenti et sociali. Status enim iste inchoatur et constituitur per baptismum et adnexam fidei professionem, qua homo se Christo et Ecclesiae obligat; consummatur vero per confirmationem quae vires ad eum servandum atque defendendum subministrat.

Porro dicitur status communis non quia in illo homines non possint opera supererogationis facere, et, auxilio divino cooperantes, in perfectione quantum voluerint crescere; sed a) quia status ad hoc non obligat, neque specialia ad id media confert; b) quia omnibus necessarius est; c) quia, quantum ad id quod habet stabilitatis ac perfectionis in omni alio includi debet, cum sit velut fundamentum ulteriorum — Vide Suarez, l. c. l. 1. c. 2. n. 8.

Art. IV. Quid sit status perfectionis.

Status perfectionis, qui se habet quasi per addimentum ad statum communem, ab illoque distinguitur tamquam includens ab incluso, et determinans a determinabili, ad mentem d. Th. II. II. 184, IV. definiri potest: Quidam exterior vivendi modus firmus ac stabilis ad propriam perfectionem vitae christianae obtinendam institutus.

Declarantur et probantur singula definitionis membra. Dicitur:

1° Quidam <u>vivendi modus</u>, non autem ministerium, munus aut officium ut significetur hunc statum, secus ac ministeria et officia, non primo

et per se ordinari ad *aliorum* bonum spirituale, sed ad *propriam* perfectionem illius qui talem statum profitetur, licet consequenter possit ad aliorum juvamen institui, quatenus juvare alios, actus perfectionis est per quem ipsa perfectio acquiritur, activatur vel crescit.

2°) *exterior*, quippe cum, ut dictum est supra in definitione status, non tam attenditur hic conditio hominum in ordine ad Deum qui solus intuetur cor, quam in ordine ad Ecclesiam societatem visibilem cujus pulchritudo et ornatus ex varietate statuum multum intenditur: Importat porro visibilitas externa hujus status a) ut actu vel facto quodam externo suscipiatur; b) ut actiones etiam producat iste vivendi modus, de quibus Ecclesia judicare valeat. Non nego perfectionem hujus principalius in actibus interioribus esse positam, verum si actus omnes ad quos impellit status perfectionis interni forent, tunc haberemus vitam forte coram Deo perfectissimam, minime vero in conspectu Ecclesiae, quod repugnat notioni status. Caeteroquin humano modo impossibile est, ut actus interni peculiares non peculiari modo in externa conversatione se prodant, aliunde ad hunc statum ut infra dicetur, pertinet remotio eorum quae charitatis plenitudinem praepediunt, porro inter hujusmodi impedimenta dantur plura exteriora quorum remotio ex natura rei, velis nolis, visibilis est.

3°) *firmus ac stabilis*, sequitur haec proprietas ex indole status quae immutabilitatem saltem moralem importat. Cum autem talem stabilitatem saltem moralem importat. Cum autem talem stabilitatem neque ex praecepto, neque ex natura rei habeat, restat ut illa ex aliqua obligatione libere assumpta oriatur. Dicit ergo iste status obligationem publice i.e. in facie Ecclae assumptam permanendi in tali genere vitae. Hinc manifestum fit: *perfectum esse*, et *in statu perfectionis esse*, non esse synonyma. Quippe cum unum sine altero haberi potest et hoc ideo quia "contingit quod aliqui se obligant ad id quod non servant, et aliqui implent ad quod se non obligaverunt". II. II. 184. IV. Perfectus est quicumque perfectione christiana potitur etiamsi nullam obligationem ad id assumpserit, ut in multis sanctis conjugatis videmus, in statu perfectionis vero est, qui servituti tendendi in perfectionem, ex libera voluntate externe manifestata, subjectus manet.

4°) *Institutus ad obtinendam perfectionem vitae christianae*. Ex his verbis apparet, statum seu modum vivendi de quo agimus, se habere

ad perfectionem christianam tanquam viam ad terminum, vel medium ad finem. Cum autem media specificentur a fine liquet jam, hanc particulam definitionis esse maximi momenti, seduloque esse explicandum in quo dicta perfectio consistat, ut ex notitia finis tota intestina ratio hujus status palam fiat.

Ut igitur ordinatim incedamus recole: Vita christiana in charitate consistit, ideoque ejus perfectio in perfectione caritatis. Perfectio caritatis attenditur secundum duplicem gradum; priorem inferiorem, indispensabilem quoad salutem obtinendam qui totus quantus est in observantia praeceptorum et in remotione eorum sine quibus charitas <u>esse</u> nequit; posteriorem, qui sine modo excrescere potest importantem non nudum esse charitatis, sed peculiare ejusdem augmentum et singularem excellentiam, quae procul dubio in aliquo quaerendo est quod sub praecepto non cadit; puta in singulari modo observandi ipsum praeceptum v.gr. non furtum facies... vel in aliquo seu pluribus consiliis, ut charitas liberior ab impedimentis, intensius, constantius, universalius per omnia in Deum se refundat. Utrumque gradum Christus Dñus innuit, dum primo dixit: "Si vis ad vitam ingredi serva mandata, et postea si vis perfectus esse, vade vende omnia".

Cum igitur ex communi Patrum Cfr. Cassian. Collat. 1. Migne, P.L. t. 49 et DD. consensu, status perfectionis aliquid addat supra statum communem, nec omnes quotquot gratia et ideo charitate ornantur in statu perfectionis versentur, fatendum erit nomine perfectionis quae hujus status finis et scopus est non venire illum gradum initialem charitatis indispensabilem ad salutem aeternam, sed posteriorem. Et quia primus essentialis charitatis gradus amplectitur in sua latitudine omnem Dei voluntatem <u>jubentem</u>, posterior perfectio absolute inspecta se extendit simpliciter ad omnes Dei voluntates implendas etiamsi non praecipiendo sed consulendo nobis illas significet; breviter dicit charitatem involventem efficax propositum faciendi quidquid via vel ratione nobis constiterit esse magis beneplacitum Deo. Tunc autem quisque dicitur habitum aliquem perfecte habere cum ejus operationes prompte, constanter et delectabiliter operatur; sic ergo perfectio postulat promptitudinem constantiam et jucunditatem in efficiendo omne beneplacitum divinum. Huic puritati impedimenta" plerumque nascuntur ex concupiscentia habituali nondum expugnata, ex rebus etiam exterioribus, utut in se licitis, quae tamen impetum

charitatis ligant sc. affectum, quo voluntatem detinent. Alias caritas non valet prompte et constanter divinum beneplacitum exequi ob defectum virtutum aliarum quarum actus hic et nunc a Deo desideratur. Igitur perfectio de qua nunc loquimur et ad quam iste status tam quam ad scopum proprium ordinatur, haec impedimenta interna et externa et defectum virtutum removere debet, ut ipsa in sua ingenua pulchritudine splendescere valeat.

Ex dictis Perfectio vitae christianae dicitur caritas Deum et proximum amplectens, efficax non modo ad voluntatem Dei jubentem exequendam et ad removenda quae illi contrariantur, verum efficax ulterius ad omnem Dei voluntatem consulentem seu invitantem perficiendam, ad removenda simul omnia impedimenta interiora concupiscentiae, exteriora rerum creatarum, ad nutum habens universum chorum virtutum unde sive eliciendo, sive imperando omne Dei beneplacitum prompte, constanter et delectabiliter exequi potest.

Ad quam descriptionem duo adnotare velis: a) id quo praecise iste status a priori, seu communi, differt, in eo est quod se ad voluntatem Dei consulentem exequendam erigit. Hoc ergo illi essentiale. b) cum dicitur in descriptione "ad omne beneplacitum" et iterum ad removenda omnia impedimenta huic efficacitati charitatis opposita, et denum "ad nutum universum chorum virtutum" describitur perfectio in suo esse consummato; neque haec omnia requiruntur ut quis in statu perfectionis, sed tantum ut in eo statu perfectus sit. Ista enim perfectio est finis ad quem tendit homo in statu, ad finem autem non pervenit nisi per medium, unde hic iterum recurrit celebris divisio in incipientes, progredientes et perfectos. E contra status est servitus perfectionis, seu obligatio stabilis assumpta tendendi in perfectionem i.e. saltem in observantiam unius alterius ve consilii, et quo plenior erit consiliorum observantia juxta uniuscujusque conditionem, quo major abnegatio, etc., eo perfectior, seu altior erit status perfectionis quem amplexus est homo.

Scholion. Multi AA. hic opponunt distinctionem status perfectionis acquirendae cujus asseclae, ajunt, sunt Religiosi, et statum perfectionis acquisitae, cujus professores ponunt Epos. Nihil priori membro hujus distinctionis verius, non ita videtur quoad alterum. Quis enim Eporum crederit se esse firmo stabilique modo perfectum cum b. Paulus de se profiteatur "non quod... jam perfectus sim", licet proculdubio altissimum gradum atti-

-gisset non tamen quem in hac vita consequi poterat et sperabat. Aliunde sta-tum constituit formaliter conditio libertatis vel servitutis, cum porro per se loquendo nemo nisi volens ad Episcopatum ascendat, haec servitus ab actu quo se episcopus statui mancipat profluat oportet. Jam quaero, ubi nam gentium videmus Episcopum se obligare ad statum acquisitae perfectionis, id insulsum et superbiae phantasma foret. Demum si Episcopatus esset status acquisitae perfectionis qui R. Pontifex Epum a vinculo suae Ecclesiae solvere posset in ordine ad ingressum in Religionem? Esset enim et non provectio, siquidem a statu possidentis ad statum quaerentis perfectionem declinaret — Id veritatis latet in dicta distinctione (ut rite observat P. Vermeersch, de Religiosis Justit. t. I, p. 9) quod ad religiosum statum ineundum nulla requiritur per se praeparatio virtutis, dum e contra Episcopus debet ab initio satis emendasse vitia sua, ut "nihil in se inveniat per quod illicitum ei reddatur praelationis assumere officium, ut loquitur D. Thom. II. II. 185. III. — Hinc, distinctione facta inter perfectionem et statum perfectionis, cum eodem angelico praeceptore censemus: ad statum episcopalem praeexigi de se vitae perfectionem, cum Dñus a Petro quaesivit si plus eum caeteris diligeret antequam ei committeret pastorale officium, q. cit. art. 1. ad 2, et Paulus enunciavit, "Oportet autem episcopum irreprehensibilem esse"; non autem, statum ipsum episcopalem esse statum perfectionis acquisitae, cum ad hoc nullam obligationem inivit. In eo reponenda est perfectio hujusmodi status quod Episcopus ex divina electione se obligat ad salutem proximorum procurandam, unde proximo vitam impendere tenetur totam, in sollicitudine quotidiana, imo quandoque per effusionem sanguinis etiam pro dyscolis, omnibus largiens divina munera. Verbo, status perfectionis est Episcopatus propter assumptam obligationem perennem exercendi eximiam charitatem in proximum quem utique cura sua perficiat in ordine ad salutem aeternam. Est status diffundendae perfectionis, sumendo perfectionem sensu analogo prout importat quamcunque participationem vitae supernaturalis, quo sensu Ps. Dyonisius theoriam suam de angelis superioribus qui inferiores purificant illuminant et perficiunt (τελειτειν) ad Epos hierarchiae ecclesiasticae derivavit qui et ipsi genus humanum, purificent, perficiant", intellige consecrent, Deo jungant. Quae praemissa audita: Epus alios perficit alteram subministrarunt multi: atqui nemo dat quod non habet". Ergo Epus est in

statu perfectionis acquisitae". Quod incaute dictum est, cum illud "perficere" Ps. Dyonisii non sit effusio dotis personalis ipsius Epi, sed ministratio sacrificii et sacramentorum quae ex opere operato fideles Deo consecrant et intimius subjungant.

Art. V. Quid sit status religiosus.

Status Religiosus a div. Th. II. II. 186. II, cui praeiverunt Patres, dicitur "quaedam disciplina vel exercitium ad perfectionem perveniendi", quam rationem loquendi posteriores DD. unanimi consensu probarunt. Est igitur verissime status perfectionis acquirendae, non tamen in rigore omnis status perfectionis est status religiosus.

1) ratio prioris est: quia uterque status habet eumdem finem intrinsecum et ultimum; et uterque consiliis, tq. medio proprio perveniendi ad finem, utitur.

a) habet eumdem finem intrinsecum qui est perfectio vitae christianae. De statu perfectionis id superius probatum est, de statu religioso patet ex verbis X^{ti} D^{ni} ap. Matth. XIX "si vis perfectus esse vade vende quae habes et da pauperibus et habebis thesaurum in caelo et veni sequere me". Suppono interim cum SS. PP., quod infra demonstrabitur, X^{tum} his verbis statum religiosum promulgasse. Illis igitur verbis: "si vis perfectus esse" finem hujus status intrinsecum declaravit, in hunc scopum scilicet per se ducunt illa opera seu media — vendere sua etc — Finis ultimus status perfectionis subjectivus, est major charitas patriae correspondens augmento charitatis viae, sed et statui religioso repromittitur "specialis thesaurus in caelo. Finis demum ultimus objectivus status perfectionis est major quam in praeceptis intimatur Dei cultus et gloria; sed idem in statu religioso, vi cujus homo, ut loquitur S. Chrysost. de comparatione Regis et Monachi S. Gr. t. 47, col. 388 et 389 "totam vitam suam Dei cultui mancipavit et se totum Deo dedit" unde et holocaustum a Greg. sup. Ezechiel. l. I. homil. 12, n. 30. S. L. t. 76, col. 933 Deo afferre dicitur, imo ex hoc holocausto tq. ex eximio actu religionis per antonomasiam religiosus dicitur Cfr. S. Th. Quodl. III a. 17. Ergo sub õi respectu idem est finis status perfectionis acquirendae et religiosi.

b) consiliis utuntur ambo. Id statui perfectionis prout a communi

distingitur, juxta superius dicta, proprium est ac essentiale; sed consiliis utitur status religiosus, cum juxta definitionem ecclesiasticam Cfr. Epist. Leonis XIII ad Card. Rich. nihil aliud est quam "status publicae professionis consiliorum evangelicorum".

Restat igitur ut quidquid habetur in statu perfectionis, religioso etiam insit.

2) ratio posterioris – non omnis status perfectionis est religiosus – est manifesta in terminis: Quicumque enim assumit obligationem tendendi in plenitudinem caritatis per unius alteriusve consilii observantiam verissime in statu perfectionis consistit. Ad statum vero religiosum stricte dictum, de quo nunc sermo est, requiruntur tot consilia observanda ut homo juxta SS. holocaustum Dei fiat i.e. totum se servituti perfectionis mancipet. Hinc qui in primitiva Ecclesia dicebantur ascetae, ἐγκρατεῖς seu continentes ex voto, illi qui sponte bonis temporalibus se abdicarunt, ut plurimum virgines sacrae per tria priora saecula, recte dicuntur in statu perfectionis vixisse, non tamen in statu religioso proprie loquendo. Itat hodie, recte dices clericum in sacris esse in statu perfectionis, non quidem ob ordinem, sed ob perpetuam continentiam ordini adnexam. Tales enim servituti perfectionis obnoxii sunt non simpliciter sed sec. quid, respectu scilicet illius tantum consilii ad quod se perpetuo obligarunt.

Itaque ex dictis, discrimen inter statum perfectionis simpliciter talem et statum religiosum completum in eo est, quod professores prioris unum saltem vel alterum consilium ex obligatione perpetua servant, posteriores vero plura per quae totaliter Deo consecrentur. Hinc restat explicandum:

1° Utrum in statu religioso observari debeant omnino omnia consilia,

et 2° si id impossibile sit, quaenam requirantur et sufficiant ad essentiam status religiosi constituendam.

Ad 1um respondeo negative. Ut haec doctrina rite intelligatur sedulo retinenda est distinctio inter consilia generalia et particularia quam Suarez clare exponit op. cit. lib. I, cap. 8 et lib. II. c. 1. n. 5. Generalia dicuntur ea quae juvant plurimum ad omnia genera virtutum, et ad liberandum animum ab omnibus impedimentis quominus plene Deo vacet. Sunt igitur veluti universalia instrumenta acquirendae perfectionis. Hujusmodi, duce Evangelio, a Patribus et DD. consensu perpetuo, tria numerantur: paupertas, castitas et obedientia quae propterea per antonomasiam consilia Evan-

gelica, vel simpliciter consilia dicuntur. Iis, sine dubio, addi poterit consilium vovendi haec tria Cro. Hoc enim non cadit sub praecepto, aliunde vero, obligationem firmando vivendi sec. tria illa consilia universalissima, hujusmodi votum causa erit perfectionis omnimodae.

Particularia ea dicuntur quae versantur tantum circa aliquod opus singulare tamquam honestum et melius aliis secum pugnantibus, vel simpliciter, vel respectu talis personae, vel in tali occasione: puta si herus ex liberalitate famulo diligenti det ultra mercedem debitam. Hujusmodi consilia locum habent in omni genere virtutum, in omnibus praeceptis vgr ratione temporis: ut est jejunare et audire sacrum diebus non praeceptis; vel ratione quantitatis: ut est dare eleemosynam ultra debitum, i.e. majorem; vel ratione modi: puta si quis ferventius, vel propter finem altiorem quam teneatur, opus faciat. Ideo vero in omni genere virtutum dantur hujusmodi consilia, quia praecepta affirmativa non urgent quolibet tempore, nec obligant ad omnem meliorem modum adimpletionis; hinc major frequentia, melior modus, per se loquendo, manet sub consilio, utpote melius bonum. Imo in praeceptis negativis, licet urgeant semper, et actum totaliter prohibeant, locus est aliquomodo hisce consiliis nempe quantum ad media quae adhibentur ad cavendam transgressionem, ut est jejunare ad comprimandam libidinem etc.

Jam age, ex infra demonstrandis, tria consilia generalia essentiam seu substantiam constituunt status religiosi, hinc reliqua omnia se habebunt ut accidentalia respectu hujus status, et licet substantia non possit esse sine aliquibus accidentibus non tamen requiritur ut habeat omnia possibilia, ita a pari in casu nostro, non requiritur ut in statu religioso observentur omnia consilia particularia, nemo enim non videt quaedam eorum contrariari ad invicem in subjecto. Rationem negationis evidentissimam affert S. Th. II.II. 186 II. Finis status religiosi est perfectio charitatis, ipseque schola quaedam et exercitium ad perfectionem perveniendi, porro ex una parte nimia coacervatio consiliorum impedimento esse posset perfectioni acquirendi; ex altera vero, qui tendit in finem non tenetur uti omnibus mediis possibilibus — puta medicum in sanando sed tantum mediis necessariis et positive ad scopum deducentibus — Eadem responsio confirmari potest a contrario. Pone enim omnes religiosos teneri ad omnia consilia, hoc ipso negaveris omnem distinctionem prae-

eminentiam inter varias religiones et sequetur confusio universarum.

Ad illa igitur consilia accidentalia tenebitur quisque religiosus quae ei taxata sunt juxta propriam regulam, norma autem taxationis sumitur, tum a mensura qua religio observat ipsa substantialia consilia, tum a fine particulari uniuscujusque.

Ad 2^am^ quaest. Quaenam consilia requirantur et sufficiant ad essentiam vitae religiosae constituendam respondeo: abstrahendo a positiva Ecclesiae legislatione, ex natura rei, ad constituendum statum religiosum completum, requiruntur tria consilia paupertatis, castitatis, obedientiae voto firmata, eaque sufficiunt.

Dico: 1° Necessaria sunt.

Prob. Status religionis est schola et exercitium quoddam ad obtinendam perfectionem charitatis. Atqui plena disciplina perfectionis tria dicta consilia proponat oportet. Ergo requiruntur.

prob. min. 1° Ex auctoritate. Ita enim docent scholae catholicae omnes a multis saeculis, cfr. v.g. D. Th. II. II. 186. III. IV. V. Ita maxime Romani Pontificis in bullis approbationis variarum religionum et in aliis innumeris documentis constanter declarant, statum religionis esse statum publicae professionis consiliorum evangelicorum.

prob. min. 2°. E necessitate removendi impedimenta perfectae charitatis, ~~Ad disciplinam et sollicitudines temporales~~ et sollicitudines temporales integram perfectionis pertinet removere propter Deum omnia creata quae Dei amorem perfectum per se praepedirent, recte enim S. Aug. "venenum charitatis cupiditas, perfectio charitatis nulla cupiditas" in lib. 83. quaest. q. 36. n. 1. P. L. t. 40. col. 25. Atqui hujusmodi impedimenta sunt: divitiae e quibus nascitur concupiscentia oculorum quae removetur per paupertatem; delectationes carnales maxime venereae quae accendunt concupiscentiam carnis et removentur per castitatem; independentia voluntatis e qua pullulat superbia vitae quam removet obedientia. Ergo ut removeatur omne venenum charitatis requiruntur tria haec consilia, ut sic oriatur perfecta charitas.

Explico argum. ad maj. Disciplina integra perfectionis debet removere omnia quae per se libertatem charitatis praepediunt. Voluntas hominis etiam justificati, pro sua nativa indole facultatis expansivae,

potest amplecti bonum incommutabile, in quo est charitas, vel commutabile in quo est cupiditas, quam Augustinus charitatis venenum dixit, ast sedulo attendendum quod haec cupiditas aliquando charitatis est venenum mortiferum, aliquando ttum debilitans. Mortiferum est, seu ipsum esse charitatis destruit cupiditas, quando commutabilibus bonis inhaeret contempto Deo, seu transgressione praecepti gravis. Hinc cum status cōis in eo situt quis saltem primum esse charitatis in se salvet, ideo quotquot ad hunc statum pertinent, vi suae obligationis, tenentur amputare omnes istiusmodi cupiditates cum quibus charitas subsistere non potest. Qui enim tenetur ad finem tenetur ad medium sine quo finis haberi non potest verbo isti tenentur ad exequenda omnia praecepta quarum transgressio occidit charitatem.

Debilitat autem charitatem, non in suo esse, sed in sua activitate, libertate, intensitate et continuatione, cupiditas quae versatur circa bonum commutabile licitum quidem, quod tamen {attrahendo ad se, / captivando - - -} affectum, nisum, inclinationem voluntatis illam retardat quominus {omni fervore Deum amplectetur, / totaliter in Deum feratur}, et charitas plenitudinem suam acquirat.

Jam age status perfectionis tq. finem habet non esse primum charitatis sed ejus plenitudinem; unde sicut illi qui versantur in statu cōni tenentur vi positionis suae amputare cupiditatem de se contrariam charitati, ita qui in statu perfectionis sunt cupiditatis contrariantem plenitudinem charitatis; et si sermo sit de statu perfectionis completo omnia quae per se retardant resecare debet.

Ad minorem: Bona commutabilia ad quae homo in hac vita primo se convertere potest sunt vel bona ei exteriora, vel bona proprii corporis, vel demum bona animi, et cum haec ultima sint in ditione voluntatis posita ut illis utatur, reducuntur radicitus ad bonum libertatis in dispositione sui.

In hoc triplici ordine status communis amputat cupiditatem mortiferam, ad eum pertinet illud: non furaberis, non concupisces bona aliena; non adulterabis, non concupisces uxorem proximi; legitimae auctoritati sive paternae, sive civili, sive maxime Dei, libertas et independentia voluntatis subjicienda est.

In hoc triplici ordine status perfectionis adaequatus, seu simpliciter talis, debet amputare cupiditates etiam licitas, prout se opponunt li-

bertati et plenitudini charitatis:

atqui 1°. Multum per se retardat charitatem actualis possessio etiam legitima divitiarum; necessario enim moraliter loquendo alliciunt affectum ad se, tq. ad quasi-membra nostra et ad instrumenta nostrae praepotentiae; necessario pariter distrahunt animum implentes eum sollicitudine plurima in conservatione, administratione, fructificatione talium bonorum ergo et ejus cupiditas, utut non peccaminosa, de se est fons necessarius et permanens unde libertati charitatis impedimenta nascuntur. Qui ergo obligationem suscipit tendendi in plenitudinem charitatis, simul assumit obligationem moralem removendi id quod per se consecutionem finis impedit. Hoc autem fit executione consilii paupertatis, dum homo ex amore charitatis consequendae bonis externis se abdicat — Hinc licet dives, bene utendo divitiis, forte ad perfectionem pervenire possit, ut Job, minime tamen ad <u>statum</u> vel <u>scholam</u> perfectionis pertinere poterit; status enim servitutem seu obligationem denotat.

2° Status conjugalis, ait S. Th. dupliciter hnem impedit quominus feratur totaliter in Dei servitium: a) uno modo propter vehementiam delectationis quam commercium carnale secum fert ex cujus frequenti experientia augetur concupiscentia, b) Alio modo propter sollicitudines quas ingerit homini de gubernatione uxoris et filiorum et de procuratione rerum temporalium quae ad eorum sustentationem pro nunc et tunc sufficiant. Cum autem perfectio maxime consistit in unione cum Deo et sollicitudine illi placendi, status vero completus perfectionis sit via expedita et facilis ad unionem cum Deo perveniendi, ipse debet excludere quae talem unionem notabiliter impediunt, vel difficilem reddunt. Hoc autem fit praxi consilii continentiae. Ergo ad statum completum perfectionis continentiae consilium necessarium est. II. II. 186. IV.

Confirm. Paupertatis consilium ex dictis necessarium est, sed sine continentia paupertas videtur ferme impossibilis, bona enim temporalia videntur necessaria ad sustentationem familiae, et parentes filiis thesaurizare tenentur. Ergo si paupertas necessaria, implicite enunciatur necessitas continentiae.

3° Obedientia idem est ac abnegatio propriae libertatis qua homo se subjicit voluntati legitimae auctoritatis. Voluntas divina partim jubens est, partim consulens. Qui versantur in statu [illegible] spondent ob-

dientiam Deo jubenti, quae non de consilio, sed de praecepto est. Siquidem unicuique Xtus dicit: "Si vis ad vitam ingredi serva mandata". Unde qui non vult abnegare independentiam voluntatis nisi coram auctoritate Dei praecipientis, impossibile est eum ad statum perfectionis pertinere. Ideoque quicumque statum perfectionis amplectuntur spondent Deo obedientiam meliorem, vi cujus ad plenitudinem charitatis perveniant. Voluntati scilicet Dei consulentis aemulantur se submittere. Quod si status hujusmodi plenus sit, viam facilem et expeditam praebere debet ad agnoscendum semper et in omnibus Dei beneplacitum, ut homo totam suam activitatem ei conformare possit. Verum invenire in singulis beneplacitum Dei circa nos, res est non modo difficultate et sollicitudine plena, sed et hallucinationi et erroribus obnoxia, cum nemo judex aequus sit in propria causa, et nemo non videt libertatem charitatis inde non leviter impediri. Ideoque status seu disciplina integra perfectionis hominem ab ista difficultate et sollicitudine expedire oportet.

Sed qui id fieri possit quaeres? Sciendum igitur est quod, curam personalem uniuscujusque Deus non immediate per se assumit, verum sicut in ordine naturali id per dictamen rationis, per legitimos superiores puta per parentes, praeceptores etc. praestat, simili modo in ordine vitae supernaturalis per suos legatos, maxime per proprium filium quem constituit nobis ducem et magistrum. Christus autem non amplius visibilis inter nos ambulat, sed revertens ad Patrem vices suas Ecclesiae sponsae commisit et ut tanto muneri impar non sit, eam charismate Spiritus Sancti auxit et incorruptibili infallibilitate dotavit. Haec igitur sponsa Christi infallibili suo magisterio, auctoritate Dei et Christi, fidelibus proponit quae sit voluntas Dei, ut salutem et consequenter omnem gradum salutis, seu ipsam perfectionem consequamur. Verbo, declarat et voluntatem Dei jubentem et consulentem; sicque normam et regulam certissimam utrique statui proponit. Regulae priori necessario subduntur qui versantur in statu communi, posteriori qui perfectionis statum amplexi sunt. Haec autem submissio ulterior non potest esse de praecepto, restat igitur ut sit de consilio. Hac igitur de causa status plenus perfectionis, i.e. prompta ac facilis via perveniendi ad cognoscendum et complendum beneplacitum Dei, moraliter necessario importat consilium obedientiae. Hanc doctrinam

paucissimis verbis proponit Angelicus Praeceptor II. II. 186. V: " Qui exercitantur, ut perveniant ad aliquem finem... oportet quod directionem alicujus sequantur... quasi discipuli sub magistro... imperio autem et alterius instructioni homo subjicitur per obedientiam, et ideo obedientia requiritur ad religionis perfectionem."

Ulterius autem attendendum est quod cum Ecclesia, Xti sponsa, semel infallibiliter normam proposuit perveniendi ad perfectionem, potestatem sibi a Xto factam nequaquam exhausit. Et sane vi sacri imperii a Xto sibi demandati tenetur fideles urgere ad voluntatem divinam perficiendam, praeceptivam quidem quoad omnes, consulentem in iis qui libere talem susceperunt obligationem, non enim mere philosophicum sed auctoritativum exercet magisterium. Ad hoc officium Epi ex voluntate Xti, vi muneris seu potestate ordinaria, tenentur. Porro tametsi infallibilitatis charisma Ecclesia delegare nequit, imperium ad urgendam executionem, non modo delegare potest, sed aliquando necessario delegat. Potest ergo in Ecclesia omnis judex ordinarius, quisque pro ambitu suae jurisdictionis, Romanus Pontif. et Concil. oecum. pro tota Ecclesia, concilium provinciale pro sua provincia, Epus pro sua diocesi hoc munus urgendi executionem praeceptorum et conciliorum delegare aliis, qui vera potestate imperandi, ultimatim ex Xto et Deo, derivata, in alios potiantur, quibus profecto obediendum erit, sive ratione professionis christianae in praeceptis, sive ratione professionis perfectionis acquirendae etiam in consiliis. Apposite Thomas l. cit. ad 1um "obedire praelatis in his quae pertinent ad necessitatem virtutis, non est supererogationis sed omnibus commune, sed obedire in his quae pertinent ad exercitium perfectionis pertinet proprie ad religiosos et comparatur ista obedientia ad aliam sicut universale ad particulare."

Quae si rite prae oculis habeantur intelligetur. Denum quo pacto executio consilii obedientiae ad substantiam vitae religiosae pertinens, ideoque per se semper requisita, in forma tamen et mensura exteriori, variis temporibus varia esse potuit et debuit, prout Ecclesia magisterio suo naturam et amplitudinem consilii magis magisque determinavit, vel ipsam rationem exequendi illud legislatione sua positiva circumscripsit.

Ut vgr. schematismum quendam idealem exhibeam: Poterat quis

cum ab apostolis, vel a quotidiano Ecclesiae magisterio, acceperat propositionem vitae perfectae, interne in corde suo Deo vovere executionem horum consiliorum, et sic tendebat in perfectionem, non tamen censeri poterat in statu perfectionis vel religioso vixisse. Poterat ulterius externe socialiter coram E^m vovere Deo obedientiam in istis consiliis, nulli congregationi nulli peculiari Patri sed superiori humano subditus, sed curae tum Epi sui, sicut reliqui fideles, subjectus, ut erant vgr. Anachoretae Aegypti inferioris sub beato Athanasio visitante illos. Ad quod genus referas et exemplum a Greg. Turonensi allegatum in histor. francor. lib. 8, c. 15, Migne, P. L. t. 71. col. 458. ad ann. 581. Hinc non irrationabiliter diceris sic voventes veros fuisse religiosos, licet non eodem modo ac nostri. Nec videre est cur non potuerint plures, sub tutela magisterii et imperii Ecclesiae saltem non improbantis talem formam, probato cuidam Religioso se subjicere ut filios et discipulos patri et praeceptori, sub quo in perfectionem tenderent, voventes Deo obedientiam insimul quoad consilia ab Ecclesia proposita et quoad modum practicum id praestandi a spirituali patre traditum. Hic jam pleniorem haberemus obedientiam. — Imo Ecclesia positive intervenire potest. ut ecce: pro suo magisterio infallibili publice fidelibus exhibebit determinatam regulam perfectionis cujus ope secure ad plenitudinem charitatis perveniant; aliunde pro suo imperio certis personis concedet jurisdictionem ad congregandos et regendos fideles qui secundum taxatam normam vivere voluerint. Exhinc forma voti obedientiae diversa erit ob omni superiori. Non enim, in casu nostro, satis erit ut olim, Deo consulenti obedientiam spondere, sed promittenda erit et huic Ecclesiae delegato tamquam Dei ministro in conquirenda perfectione. — Ulterius, ob rationes prudentiae, boni communis etc., poterit Ecclesia ex sinu suo abjicere omnem vitae religiosae formam, a modo allegata discrepantem. Quod si fecerit, jam nemo in facie Ecclesiae religiosus existet, nisi simul Deo et homini Dei ministro, imo Deo praecise per hominem obedientiam voveat. En tibi varias formas obedientiae speculative descriptas; imo hac ipsa successione historice apparuerunt! Ecquis futurorum praescius certo affirmabit, hunc modum jam constituere ultimum hujus evolutionis stadium?

Confirm. a posteriori. Argumento analytico, quod modo proposuimus, antiqui PP. aliud superaddunt ex experientia depromptum. Di-

cunt enim: Proximus vitae religiosae scopus in eo est ut absolutam conquiramus et retineamus cordis puritatem, Cassian. Collat. I, c. 4, 5, 7. P. L. t. 49. 486 sq. Qua mediante ad perfectam cum Deo unionem perveniamus. Addunt porro: ad tantam puritatem neminem tuto pervenire nisi sub probato magistro et medico militet et exerceatur, Cfr. op. cit. collat. II, c. 9, et collat. XVIII. c. 2, 3. et praesertim Auctor. Constit. Monastic. inter opera S. Basil. P. Gr. t. XXXI. 1410. Sed mediens cui non obedimus aequiparatur non existenti. Ergo perfectio charitatis acquirenda, morali necessitate, postulat subjectionem voluntatis sub magistro et medico spirituali. Ergo requirit consilium obedientiae.

Argumenta ad adstruendam necessitatem trium consiliorum, tq. essentialia statui religioso, desumpsimus ex analysi notionis hujus status prout dicit vel exercitium tendendi in perfectionem charitatis; vel disciplinam quietantem hmem a sollicitudinibus quae charitatis libertatem impediunt. Restat ut hunc statum insuper consideremus tq. holocaustum quoddam, ut loquuntur Patres, quo homo totaliter se et sua offert. Unde nascitur novum argum. ad demonstrandam necessitatem trium consiliorum in vita religiosa.

Prob. 3) De ratione perfecti status religiosi est ut homo non ex parte, sed totus in cultum et servitium Dei transeat, sicque, ut verbis Gregorii M. utar, P. L. t. 76. col. 933, non tum Deo sacrificium sed holocaustum fiat et maneat. Atqui "homo habet triplex bonum: exteriores divitias, bonum corporis, bonum animi. Sono res exteriores totaliter quis affert per voluntariam paupertatem; bonum proprii corporis praecipue quis affert per continentiam; bonum animae, per obedientiam qua aliquis offert Deo propriam voluntatem per quam homo utitur omnibus potentiis et habitibus animae. Ergo ad perficiendum holocaustum executio trium consiliorum requiritur.

Quaeres: quodnam ex istis tribus consiliis maximum sit?

Resp. cum divo Th. Maximum et optimum obedientia continetur: rationes sunt a) quia per obedientiam aliquid magis offert religiosus Deo, scilicet propriam voluntatem quae est potior quam corpus et res exteriores, ut ex argto. modo facto patet.

b) quia ut implicite continetur in arg. 1º obedientiae consilium alia sub se continet ast non e converso, Cfr. II. II. 186. VIII quippe cum ex natura sua omne beneplacitum divinum amplectitur.

c) Quia cum obedientia procedit ex reverentia, quae exhibet Deo cultum et honorem, sub nobilissima virtute religionis virtute religionis continetur, et pertinet ad devotionem quae est principalis actus religionis cfr. II.II. 104. III unde recte infert Angelicus 186. VIII: votum obedientiae esse statui religioso essentialius prae reliquis.

d) quia ut argumentatur d. Th. in opusc. de statu perfectionis c.15: Paupertas et continentia primo et per se tollunt impedimenta perfectionis, Deoque potius promittunt omissionem quam actionem; dum e contra obedientia totam hominis vitam et activitatem positive Deo offert, ut ipsa in ejus laudem et servitium consumatur.

e) Hinc demum vides, in statu perfectionis, tria haec: paupertatem, castitatem et obedientiam eadem proportione se suscipere ac in generali oeconomia bonorum operum eleemosyna jejunium et oratio, singulaque singulis respondere. – Ulterius ad quaest. 2. sup.

Dico 2. Tria haec necessaria consilia ad constituendum statum religiosum perfectum voto firmari debent.

Id patet ex notione status, prout stabilem dicit vivendi formam. Cum autem executio stabilis horum consiliorum non oriatur ex natura rei; neque ex praecepto – est enim res consilii diligentiae fidelium permissa, restat ut tantum ex promissione religiosa Deo facta obligatio in iis permanendi oriri possit.

Nota: multi dicunt necessarium ut voto perpetuo firmentur: at in rigore, voti perpetuitas non afficit intrinsecam status perfectionem in se ipsa, sed tantum ejus durationem perpetuam. Ut autem vere quis sit in aliquo statu, per se non requiritur ut durante tota vita in eo permaneat, secus nulla vidua vere fuisset in statu conjugali; bene vero, ut ex causa aliquam durationem ex se gignente talem conditionem teneat. Versamur enim in re morali aestimationi subjecta. Hinc per se loquendo votum temporaneum sufficere potest ad 3^{nnis} ad quinquennium etc, si autem de perfectione status religiosi absoluta sermo sit, etiam ratione durationis, tunc procul dubio requiritur votum perpetuum.

Dico 3. Tria haec, voto firmata, sufficiunt ad constitutionem substantialem status religiosi.

Accipe demonstrationem generalem a d. Th. II. II. 186. VII.

Quod autem in specie non requiratur.

a) Solemnitas votorum: id patet, tum ex formali declaratione sedis apostol. quae cum Greg. XIII "ascendente Dño" 25 Maj. 1584 declarat "scholasticos S. J. fuisse ac esse vere religiosos", neque id privilegium dicendum cum S. Piat de Jure Reg. t. I. p. 10, sed veritatis declaratio, ratione cujus veros religiosos eos omnes dicimus qui ex lege Pii IX "Regulari disciplinae" 25 Jun. 1848 in triennio professionis simplicis militant. Tum quia, ut infra ex professo demonstrabitur, solemnitas votorum non ex natura rei cum votis religiosis conserta est sed tota quanta per Eª positivam legislationem invecta est.

b) traditio: ratio est quia haec tantum in vita stricte coenobitica locum habere potest. Porro tametsi a multis saeculis haec forma ab Eª sit praescripta, non tamen est de essentia vitae religiosae sec. se consideratae, ut historia ecclesiastica abunde constat.

c) Approbatio vero Ecclesiae, si formalis et explicita intelligatur per se omnino non requiritur: tum quia nihil intrinsece addit, sicut nec canonizatio sanctitatem caelitum constituit; tum quia id ex historia Ecclesiae manifeste patet. Et hoc sensu recte argumentatur Bouix, de Jure Regul. t. I. p. 57.

Si vero approbationem negativam intelligas, non negabo eam, modo rite declaretur, quadantenus ex natura rei requiri. Ipsa vero non in actu sed in omissione actus consistit, et propterea positivis status religiosi constitutivis, de quibus hic agitur, non est connumeranda.

Porro ut manifestum fiat in quo praecise stat haec negativa approbatio; sciendum quod positiva plena approbatio duplicem actum importat: alterum magisterii, imperii alterum: priori Ecclesia declarat, determinatam vivendi formam esse viam ad perfectionem ducentem; posteriori potestatem facit ut haec forma vivendi publice usurpetur, eique ut plurimum tamquam testimonium favoris sui privilegia adjicit et effectus juridicos quos status producat determinat. Nec unquam confundendi sunt bini isti actus, neque ex denegatione posterioris rite inferes denegationem prioris. Potest enim Eª ob rationes optimas excludere practice aliquem vivendi modum, quin eum doctrinaliter rejiciat; sic nunc rejicit formam anachoreticam, et obligat ad coenobiticam quin priorem modum magisterio suo unquam reprobaverit.

Cum ergo dicimus approbationem negativam ex natura rei requiri,

asserimus jus et obligationem magisterii Ecclesiastici invigilandi ne formae spuriae perfectionis pro veris traducantur. Ideoque requiri semper ut modus stabilis vivendi quem elegeris ad perveniendum per consilia ad perfectionem ab E^ae magisterio reprobatus non fuerit. Ipsius enim est, ut supra fuse habui, declarare fidelibus quae sit via ad salutem, quae vero ad plenitudinem cumulatae salutis.

Quod si E^a actu jurisdictionis formam tuam excluserit, id eveniet tum, E^a non agnoscet te _exterius_ ut religiosum, licet in foro interno et _coram Deo_ id tibi non neget, et ideo status quem elegisti nullos habebit effectus juridicos et sociales, nec ullis privilegiis statui religioso adnexis particeps eris. Hoc sensu accipienda sunt in hac materia quae fuse disputat Suarez op. cit. lib. II. c. 15. n. 11 sqq.

Obj. Status perfectionis completus juxta toties dicta removeat oportet omnia generalia impedimenta fervoris charitatis: Atqui 1º castitas removet impedimenta quidem delectationum venerearum, sed sunt et aliae delectationes corporales impeditivae, ut delectationes gustus et similes; 2º Honoris et famae appetitus et dignitatum ambitio maxime solent sollicitudines ingerere et hominem a spirituali profectu retrahere, quibus tamen non obviatur per tria haec consilia. Ergo aliqua alia requiruntur.

Ad 1um resp. S^i Th. meditatissime locutus est cum dixit inter delectationes sensibiles _praecellere_ venereas, et concupiscentias carnales _praecipue_ per castitatem auferri" nam licet materia voti castitatis non sit corporis afflictio seu poena, nec abstinentia ab omnibus corporeis delectationibus, sed a libidinosis tantum, nihilominus professio castitatis, seu status continentiae, constituit hominem in statu postulante aliarum sensibilium delectationum moderationem, vel etiam abnegationem tq. medium moraliter necessarium ad finem i. e. ad castitatem ipsam, ideoque et hoc solo voto _implicite_ reliqua carnalia impedimenta auferuntur."

Ad 2um, Licet tria consilia appetitum honoris etc. et sollicitudinem inde natam non amputant _formaliter_, id tamen praestant _virtualiter_ et in radice, submovendo materiam circa quam Et quidem paupertatis professio per se inducit statum abjectionis et humilitatis; professio autem obedientiae succidendo propriam voluntatem et actionem, non permittit curam et sollicitudinem propriarum actionum sibi arrogare, nec consequenter dignitates ambire, modo vovens obedientiam,

convenienter suo suo statui operetur. Quoad utramque resp. vide Suarez op. cit. lib. II. cap. 2. nn. 12-16.

Cum juxta Aristotelem definitio sit fructus argumentationis, licet jam ex dictis definitionem aut descriptionem aliquam status religiosi eruere, quae definitio, ut supra monui, tradit tum ea quae ad talem statum per se ex natura rei, abstractione facta a positiva Ecclesiae legislatione pertinent. Sicque dicimus: Status religiosus est stabilis vivendi modus christifidelium qui, praeter generalem obligationem servandi praecepta, voto susceperunt obligationem tendendi in perfectionem charitatis per exercitium trium consiliorum: paupertatis, castitatis et obedientiae.

Quaeres: Utrum status religiosus sec. se sit semper et necessario unius ejusdemque coloris et rationis, vel potius de se diversitatem admittat.

Resp. 1º ex eo quod status religiosus sit essentialiter exercitium perveniendi per consilia ad plenitudinem charitatis; vel holocaustum quo quis per consilia se et sua totaliter in Dei servitium afferat, liquet, tum ratione finis intrinseci, tum ratione mediorum quibus eundum in finem, nullam posse dari diversitatem essentialem, substantia quippe rei una et eadem est in omnibus speciei individuis.

Resp. 2º Si vero attendas opera charitatis, quae ad Deum et proximum se extendit, esse diversa, et hinc Deo in diversis servire posse, statim apparebit radix unde in accidentalibus status religiosus per se diversificari possit: puta si quis ex charitate erga Deum praecipue circa opera religionis versetur, ut est contemplatio divinorum, oratio et hac vi per consequentiam proximum diligere et juvare intendit; dum alter ex charitate erga Deum primo et per se proximum per opera misericordiae corporalis vel spiritualis juvare intendit, tertius vero utrumque modum serviendi Deo ex aequo conjungat. Unde nascitur celebris distinctio vitae religiosae contemplativae, activae, mixtae, lege D. Th. II. II. 188. I. II. Inter quae genera vitae contemplativa praefertur activae, prout haec ex dilectione Dei, in qua subauditur necessario quaedam divinorum contemplatio, tantum circa res exteriores occupatur ut est: redimere captivos, curare infirmos, hospites recipere. Utrique vero praefertur mixta, prout in hac opus externum derivatur ex plenitudine contemplationis, sicut doctrina et praedicatio; majus enim profecto est, fructus contemplationis et contemplata

...iis tradere quam tantum contemplari, ut egregie disserit Angelicus. l. cit. art. 6.

Resp. 3. In singulis autem horum graduum potest attendi praeeminentia prout assumit exercitium consiliorum in mensura, non absolute in se sed in proportione ad finem intentum pleniori et accomodatiori et prout ordinatur ad actum altiorem in eadem genere. Sic in operationibus vitae contemplativae potior est oratio quam lectio, et in operibus activae potius est redimere captivos quam suscipere hospites, utrique praefertur praedicatio. etc. II. II. 188. VI et maxime VII. ad 1um.

Caput II.

De auctore seu institutore status religiosi

Quaeritur hic utrum status religiosus juris sit divini id est a Christo ipso institutus, an vero juris humani, nempe ab Ecclesia inventus. Gravitas quaestionis a limine patet: pone enim statum religiosum institutionis mere ecclesiasticae: recte inferent hostes Ecclesiae hujusmodi statum ab ipsa posse auferri, et rationes, ut ajunt politicas ut de facto auferatur catervatim afferent.

Dixi utrum sit juris divini i.e. a Christo institutus — licet enim aliquid juris divini esse possit quin sit a Christo, praesens inquisitio tamen universa ad novum testamentum est restringenda. Ut enim Suarez op. cit. lib. III. c. 1 fuse probat, hic status simpliciter, prout includit omnia ad substantialem ipsius perfectionem spectantia, proprius est legis evangelicae; in antiqua lege sane quadantenus adumbratus, vel ex parte etiam inchoatus juxta oeconomiam generalem V. T. quod quidem erat umbra futurorum, nihil tamen ad perfectum adduxit. Profecto Elias, Elisaeus et alii in V. T., ultra mandatorum observantiam se extendentes, plurima observarunt quae ad materiam consiliorum pertinent, puta perfectam castitatem, abjectionem rerum temporalium: et hoc probat quidem eos ad perfectionem devenisse, minime vero, religiosos fuisse; nam non constat utrum id fecerint ex voto, et si ponas id e voto promanasse, votum hujusmodi non fuit publice emissum in facie Ecclesiae locum Dei tenentis, sed in occulto coram Deo, ideoque statum internum coram

Deo, minime vero statum publicum, de quo hic sermo est, fundare poterat.

Sedulo distinguendum est inter substantiam status religiosi et ejus formas accidentales substantia in eo est ut homo per triplicis evangelici consilii professionem, voto firmatam, integrum se Dei obsequio mancipet. Accidentales formae sunt varii modi quibus homo talem servitutem practice Deo exhibet: puta in vita contemplativa, vel activa, juxta talem vel aliam Regulam mitiorem, vel rigidiorem. Ex quo ulterius patet distinguendum esse inter statum religiosum et ordinem religiosum quae ab invicem differunt sicut substantia et accidentia ejus individuantia. Cfr. Bouix, l. c. p. 123, sq.

Porro non dicimus Christum ordinem aliquem religiosum, sed hoc genus vitae, seu statum secundum se et quoad substantiam instituisse, qui propterea dici debet de jure divino, non quidem praecipiente, sed consulente. Et haec est, ait Suarez l. c. c. 2. n. 3, "sententia omnium catholicorum recte sentientium". Cfr. Encycl. "Quanta cura" ap. Denz. n. 1541.

Prob. 1. E Scripturis. Nam Christus Dñus exemplo et doctrina homines exhortatus est 1) ad tria consilia evangelica ut colligitur a) de paupertate ex Matth. XIX, 21 "vade et vende omnia..." b) de castitate ex Matth. XIX, 12 "Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum" Coll. XIV. 11, 12 "non capiunt omnes verbum istud, sed quibus datum est..." I Cor. VII, 25 "de virginibus praeceptum Dñi non habeo, consilium autem do..." c) de obedientia ex Matth. XIX. 21 "Si vis perfectus esse... veni sequere me, quod utique non gressibus corporis, sed affectu mentis peragendum est; nec de affectu mentis quo se submittit ad exemplum Christi praeceptis, hoc enim genus abnegationis jam compleverat "haec omnia feci a juventute mea", ergo de abnegatione majori qua "odiat animam suam" Luc. XIV, 26 ultra id quod ad salutem necessario ab omnibus postulatur. Cfr. Matth. XVI, 24.

2) Invitavit Christus, non ad unum aut alterum ex his consiliis seorsim, sed ad tria simul: ut habes ex Matth. XIX. 14-19 ubi ad paupertatem et obedientiam provocat juvenem explicite, ad castitatem vero implicite: tum quia qui bona sua abjicere suadetur, implicite ad renunciandum statui conjugali qui sine bonis decenter sustineri nequit invitatur, tum quia illa sequela etc. Christi, ut ex toto loco evidens est, est sequela arctior, plenior prae illa quae observatione mandatorum co-

tinetur, talis autem sequela ex genere suo subaudit castitatem, cum alias de ipsa expressam fecerit mentionem.

Confirmatur ex Luc. XIV, 26, "si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem, et uxorem et filios, et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus", et Matth. XVI, 24 "si quis vult post me venire abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me". In his locis sub tali odio et tanta abnegatione comprehenduntur profecto tres modi supra singillatim enumerati: Et licet haec et similia, ut expresse habet Luc. IX, 23, spectent ad omnes christianos, quando scilicet cadunt sub praecepto et quoad praeparationem animi pro casu necessitatis, tamen proprie et in rigore intelliguntur de actuali renunciatione omnium ad Christum perfecte sequendum: sequelam enim proponit quae ultra terminos praeceptorum se extendat: si vis ad vitam ingredi serva mandata; si vis perfectus esse... veni sequere me.

3) Christus invitat ad stabilem in istis tribus consiliis vivendi rationem. Nam ita ad sui exhortatur sequelam ut veniens "non amplius respiciat retro" i.e. excludat omnem voluntatem et affectum libertatis prioris Luc. IX. 57-62 et cum Christus duplicem viam sequendi ipsum, vel duplicem gradum in sui sequela constituerit, de utroque verbum cum commoda distributione est intelligendum. Ergo invitat ad stabilem vivendi rationem in sui sequela etiam per consilia. Cum autem tanta sequela non cadat sub praecepto, sed consulatur tantum, non videtur qua ratione haec voluntas stabilietur a priori nisi solo voto perpetuo. Ideoque Christus simul implicite invitat ad vota perpetua.

4) Demum ut languentem animum erigat ad tam arctam sequelam, motiva ad id impellentia allegat. a) amorem ipsius: qui amat patrem aut matrem plus quam me. Matth. X, 37, Luc. XIV, 26. — b) dignitatem vitae quae sita est in consortio cum ipso: sequere me". c) tandem praemium speciale jam in hac vita, thesaurum in caelo, et vitam aeternam "Omnis qui reliquerit domum... patrem - uxorem... agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit" Matth. XIX, 29. "Habebit thesaurum in caelo" Matth. XIX. 21 Atqui ut supra (cap. 1) ex professo demonstravimus in stabili obser-

vantia trium consiliorum voto inducta stat tota substantia status religiosi. Ergo Christus Dominus exemplo et doctrina hunc statum fidelibus suis proposuit non jubendo, sed invitando eos qui possunt capere ut capiant ipsum.

Prob. 2. E Patribus qui communiter docent Christum qui via veritas et vita est, quem sequi tenentur quotquot ad vitam pervenire volunt aeternam, sectatores suos in <u>duos ordines</u> distribuisse, quorum prior eum sequitur per viam mandatorum, alter sublimiori ratione per angelicam id est religiosam vitam. Unde hanc vitam Chrysostomus vocat "philosophiam a Christo introductam" homil. 17 ad pop. Antioch. P. Gr. t. 49 col. 174 et Christum "ducem ac institutorem hujus salutaris vitae" opusc. Comparatio regis et monachi, vers. fin. P. Gr. t. 47, col. 392. — S. Basilius serm. de renunc. saeculi P. Gr. t. 31. col. 627 "Deus saluti nostrae providens, vitam hominum in duplex divisit vitae genus: conjugium dico ac virginitatem", ubi virginitatis statum antonomastice ponit pro statu religioso, ut ex integro sermone palam fit, et in principio ipse expresse declarat: Item dicentem "venite ad me omnes" nos vocasse "ad cruciferam monachorum vitam". Cfr. regul. VI interfusiores "Si quis vult" etc. eod. tom. col. 926. S. Athanasius epist. 1 ad Amunem P. Gr. t. 26 col. 1174 ait "duplex... via in vita, alia quidem inferior. vulgariorque matrimonii, alia angelica et suprema omnium" etc. Sed lege praecipue S. August. epist. ad Hilarium Syracus. cap. 4. n. 25, 31, 39. P. L. t. 33. col. 686, 689, 692. Lege etiam Euseb. Caesar. Demonstratio evangel. lib. I. c. 8.

Prob. 3. Ex unanimi consensu scholarum catholicarum.

Prob. 4. Ex sensu fidelium et auctoritate Ecclesiae, nam quotquot hujusmodi statum amplexi sunt, id cogitarunt Christo vocanti se obtemperare, non humanam disciplinam amplecti, ita ut cum S^to^. Petro dicerent "Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te". Quod ex eorum vitis et scriptis et dictis manifestissimum est. Sed et reliqui fideles, hujusmodi vitae genus divinum, angelicum, tanquam vitam a Christo ipso propositam habuerunt. Atqui talis consensus fidelium hic argumentum veritatis est. — Ex auctoritate vero Ecclesiae idem sequitur, cum in approbatione Ordinum SS. Pontifices, hanc divinam institutionem tanquam fundamentum constitutionis assumant.

Prob. 5) E proprietate et nota verae Christi Ecclesiae ut sit sancta. Talem Christus Ecclesiae suae indidit naturam ut ipsa necessario et semper sit sancta: (proprietas) Ut sit sancta dico, non modo ratione originis, finis, mediorum socialium, Capitis et assistentiae Spiritus Christi, sed sit sancta formaliter in suis membris. Haec est voluntas Christi antecedens et absoluta Eph. V. 25, 26; Tit. II. 14, 15. Eph. IV. 11-13. Ideo media ad hunc finem idonea instituit: doctrinam suam et sacramenta praeterea potestatem quae media dispensaret, et quidem, ex sua promissione Matth. XXVIII, 20 et oratione Jo. XVII, 20. 21. infrustrabili efficacia dispensaret, instituit: Atqui sanctitas membrorum consistit praeter gratiam sanctificantem in exercitio virtutum. Atqui rursus Christi doctrina non proponit tantum exercitium virtutum prout requiritur ne praecepta violentur, sed et gradum magis eximium consiliis tantum comprehensum. Ergo etiam iste gradus necessario pertinet ad sanctitatem quae Ecclesiae Christi proprietas est, non quidem in omnibus, siquidem consulitur et non praecipitur, attamen in aliquibus. — Verum, ut habet unanimis scholae doctrina, sanctitas est insuper nota seu tessera qua vera Christi Ecclesia a falsa dignosci valeat, supponunt ergo omnes, id quod natura rerum necessario secum fert, sanctitatem Ecclesiae charismatibus Sp. S^ti^ et eximio virtutum cultu manifeste et publice fulgere. Atqui status religiosus est praecise status publicae professionis consiliorum evangelicorum. Ergo jure inferimus eo ipso quod Christus Ecclesiam suam tali sanctitate praeditam atque fulgentem voluit, reapse statum religiosum instituit.

Quaeres: Num igitur status religiosus pertinet ad constitutionem sive essentiam Eccl^ae^?

Resp. 1° juxta distinctionem superius allatam, certe nullus peculiaris Ordo, nulla determinata in concreto forma vitae religiosae ad essentiam Ecclesiae pertinet 2° Si per essentiam sive constitutionem Ecclesiae intelligis elementum Ecclesiae formale, nempe sive potestatem, ordinis aut jurisdictionis in abstracto, sive in concreto hierarchiam cui inest hujusmodi potestas, sic status religiosus et religiosi non pertinent ad constitutionem Ecclesiae. Ratio est quia nec potestas ordinis, nec potestas jurisdictionis huic statui commissa est, nec religiosis vi status sui ullus inest titulus exercendae potestatis ecclesiasticae, sive ordinis,

...iae jurisdictionis. Si per constitutionem Ecclesiae intelligis modum a Christo praefixum quo potestas ab ipso instituta membra Societatis in finem socialem ic salutem aeternam promovere debeat, sic profecto status religiosus et religiosi pertinent ad constitutionem Ecclesiae, ratio est quia ex voluntate Christi antecedente et absoluta quaedam Ecclesiae membra ita in finem promoveri debent, ut non maneant in via communi mandatorum, sed per viam consiliorum Evangelicorum in illum nitantur, ibi vero est status religiosus – videsis Wernz: Jus decretal. t. II. p. 22.

Coroll. Cum officium Ecclesiae sit declarare et determinare jus divinum pro nata opportunitate, ipsa, jure proprio et exclusivo decernit, moderatur suoque judicio terminat quaecumque spectant ad ipsum statum religiosum, vel ad effectus ipsius immediatos; Status vero christianus tenetur talem legislationem agnoscere etiam in foro civili. Cfr. prop. 52. 53 Syllabi –, secus 1) <u>laedit Ecclesiam</u>. Familiae enim religiosae sunt a) velut instrumenta eximia quibus Ecclesia ad divinum cultum et animarum salutem plenius promovenda jure suo utitur, sicut statui subsidio sunt societates commerciales, pecuniariae etc. b) militia quaedam sacra quae armis spiritualibus oratione. Cfr. Jo. Chrys. Compar. regis et mon. c. 4. P. Gr. t. 47. col. 392 praedicatione verbi Dei, sacro ministerio, juventutis institutione, operibus misericordiae omnimodis, apud barbaras gentes missionibus, Ecclesiam defendit atque dilatat. lege epist. Leon. XIII ad cardin. archiep. Paris. 23 Dec. 1900, Cfr. de Montalembert, Les Moines d'Occident. Introd. chap. 3 et 4. – 2) <u>laedit seipsum</u> Nequit enim civitas rite stabiliri aut prospere dilatari absque fundamento religionis, sine moribus, sine reverentia obedientiali erga praepositos. Ad hoc autem exemplum religiosorum efficacius inducit quam elegantissima verba; nomeruia pro ipertate et divitem monent de sobrietate, pauperem de patientia etc. Cfr. S. J. Chrys. hom. 68 in Matth. 2. 1 in Timoth. 3) <u>laedit cives</u> quippe qui nulla civili potestate jure praepediri possunt, quominus, ad vitam aeternam facilius consequendam, illud sibi vitae genus eligant quod Ecclesia approbat ante securius ad scopum eos deducet.

Quoad Statum acatholicum hoc summum jus Ecclesia defendere tenetur... poterit aut via apologetica, ostendendo, ut supra, utilitatem... religiosae professores vel ipsi civitati afferunt...

minem ex principio aliquo juris moderni; puta ex hodierno jure libertatis conscientiae. Cfr. Cavagnis Instit. juris Eccl. publ. t. 1. p. 167-187. De Camillis t. 1 in fine.

Caput III.

De propagatione et diffusione vitae religiosae. — Synopsis historica.

Art. I. Ante Christum et extra religionem christianam.

1) Vita ascetica, si eo nomine intelligas segregationem a mundo et exercitium operum paenalium quibus homo ad vitam moralem perducatur puriorem, antiquissima est, nec ulli fere defuit religioni cujus ratio putidum materialismum et fetichismum transcendit.

2) Prophetae — Ascetae profecto fuerunt multi ex prophetis V. T. Pro suo munere populum electum in sinceritate verae fidei continebant, ejus mores arguebant, verum Dei cultum promovebant ipsi tamen haud raro vitam a mundo segregatam, sive soli, sive cum discipulis agebant. Cfr. IV. Reg. II. 1-25; IV, 25, 38; VI. 1. "Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati afflicti" etc. Hebr. XI. 37, sqq. Hancque ob causam PP. monachis christianis, Eliae, Elisaei, praesertim S. Joannis Bapt. vivendi rationem tamquam normam et exemplar proponere non dubitarunt. Cfr. Suarez, de Stat. Relig. l. III. c. 1. S. Basil. ep. ad Chilonem, n. 5. P. Gr. t. 32, 358, Cassian. coll. 18, c. 6, P. L. t. 49. 1101; St. Hier. ad Paulin. P. L. t. 22, 583.

3) Rechabitae — Hoc vitae genus, suo modo inter Judaeos retinebant Rechabitae de quibus agit Jerem. XXV. 1-10. Cfr. Commentatores recentiores in hunc locum.

4) Esseni — Asceticam vitam profitebantur Esseni (Josephus: Ἐσσηνοί Philo: Ἐσσαῖοι a radice hebr. hasch = pius? probabilius a radice aramaica saha plur. asaï unde asaï = lavare, lavantes, les baigneurs). Hi juxta Philonem constituebant τάγμα = ordinem, sectam peculiarem cujus exordia, teste Josepho, ad medium saec. II. a Chr. sunt referenda. Tempore Christi numerabantur circiter 4000, incolebant ut plurimum ora maris mortui, nonnullis etiam in dispersione vicorum habitantibus,

ut fratribus itinerantibus hospitium et auxilia praeberent.

Profitebantur continentiam, ii saltem qui in supremo i.e. in 4to gradu consistebant. Bona privatim nulla possidebant sed omnia in communi; superioribus spondebant obedientiam absolutissimam, diem in orationibus et in labore manuum occupati transigebant; maximi habebant balnea ritualia quibus bis in die ante mensam indulgebant.

Sectaerat profecto judaica, sed haeretica. Licet enim 5 libros Moysis admitterent, in multis rigorismum vel Pharisaeorum excederent, tamen ad templum Hiersol. non accedebant, sacrificia cruenta rejiciebant, aliunde monotheismo cultum solis adjiciebant (forte ut nobilissimi divinitatis symboli) doctrinas orphicas, pythagoricasque (quoad animam) admittebant, et in secretissimo cultu quo angelos prosequebantur forte "mysteria" quaedam celebrabant.

Eos Philo vocat πρακτικους, juxta Josephum in Lege considerabant tantum doctrinas morales. Porro eorum principia ethica, ut habet Philo, ad tria revocantur, continebantur scilicet: τῷ φιλοθεῳ, τῷ φιλαρετῃ, τῷ τε φιλανθρωπῳ. Evanuerunt demum in vastatione palaestinensi sub fine saec. I.

Reliqua quae Essenorum vitam attinent accipe a Döllinger, Heidenthum u. Judenth. p. 755, cfr. Kirchenlex. v. Essener, Realencycl. protest. eod. verb., de Fontaine, Quest. hist. t. 17. p. 221: Les moines juifs et le christianisme, Dom U. Berlière: Revue Benedict. 1891, p. 12: Les origines du monachisme.

Fontes quoad eorum historiam sunt. Philo lib. "Quod omnis liber probus". edit. Paris. 1646, p. 876. Josephus de bell. Jud. lib. II, 8. Antiqq. XIII. 5; XVIII. 1. Plinius, Hist. nat. V, 15.

5) Therapeutae — Asceticam pariter vitam agebant illi qui sub fine saec. I prope Alexandriam Aegypt. circa Marcam paludem, viri et mulieris contemplationi studiose dicuntur, et sub nomine therapeutarum circumferuntur; dicti therapeutae = cultores, curatores, vel quod Deum diligentissime colerent, vel quod animas sedulo excolerent et curarent a morbis vitiorum.

Eorum vivendi genus fuse describitur in libello περι βίου θεωρητικου, η ἱκετῶν cujus primus omnium mentionem fecit Eusebius et tq. opus Philonis tradidit. Hist. Eccl. l. II. c. 17. edit. Schwarz Mommsen

inter cujus opera prostat edit. Paris. cit. p. 339. Hic porro lector unicum tibi praestat fontem e quo hodie therapeutarum scientiam et vivendi rationem accipias.

Verum haec res densissimis involuta tenebris ideoque potius ad scholam historicam amandanda. Quaeri enim potest: Utrum dicti therapeutae judaei fuerint, vel potius christiani adhuc judaizantes. Et sane ad christianos respexisse Philonem Eusebius ut probabile habet, et vitam therapeutarum monachorum instituto respondere, Hist. eccl. l. cit. Id vero Hieronymus, amplians Eusebium diserte affirmat. de viris illustri, c. 11. P. L. t. 23, col. 626, pariter PP. deserti ut refert Cassian de caenob. Instit. lib. II. c. 5 P. L. t. 49. c. 84 et post ipsos Sozomen. lib I. c. 12, 13. Cassiodor. Hist. tripart. lib. III, c. 1. [illegible] Bollandist. apud D. Bonix de Regul. t. I, p. 153 — His et testimoniis non obstantibus prudenter addubitabis therapeutarum christianismum, ex iis ipsis quae in cit libello habentur de choris, de sacrificio panis et salis etc, quod b. Hieronym. non effugit, dum fatetur "fuisse christianos judaizantes". Cfr. Realencycl. v. Philo, t. 15, p. 35).

Quaeri ulterius potest: utrum libellus περὶ βίου θεωρητ. revera sit ex manu Philonis, aut potius foetus suppositicius ignoti auctoris judaei I, vel monachi christ. III saeculi — Et sane, rationes dubitandi sunt sunt a) ipsum vocabulum μοναστήριον quod seqiorem aetatem sapit. b) Aetas Philonis eo tempore quo therapeutae sub b. Marco vixissent — nam anno 41 "jam senex" partes habuit in legatione judaeorum ad Claudium imp. γ) quia auctor plane silet de principiis dogmaticis therapeutarum, dum Essenorum principia theoretica et practica fuse volvit. δ) quod praecipuum est praesentia multarum virginum aetatis provectae (γηραλέαι παρθένοι) quod nec in Judaeos quadrat, nec respondet tempori quo Alexandrina ecclesia fundata dicitur, virginitas enim provecta initia habet remotiora. Alias rationes dubitandi vide apud Schürer, Gesch. des Jud. Volkes, III[3] p. 536. Libelli authenticitatem negarunt et auctori Judaeo I saecul. ignoto tribuerunt Nicolas in period. theol. protest. Strasbourg 1868; Weingarten in Real Encycl. v. Mönchtum; Derenbourg, Études juives, t. XVI, 1888 et [illegible] apud Schürer l. c. p. 536, n. 140; eam negarunt libellum pro monacho christ. III saec. adscripsere: Gratz, Jost. praecipue

Lucius: die Therapeuten, Strassburg 1880; alios vide ap. Schürer l. c. p. 537; authenticitatem addubitant: Schürer, l. c., Harnack in Herz. Real. Encycl. 2a edit. v. Therap. et alii. Demum Philonem ut auctorem libelli vindicant prae ceteris Massebieau, Le traité de la vie contempl. extrait de la Revue de l'Hist. des Religions, t. XVI, 1887. Quem sequitur E. Herriot, Philon le juif, p. 299, Paris 1898., Conybeare Philo about the contempl. life, London 1895, et Zöchler Askese und Mönchtum, I. 1897, p. 123 sq. ubi rationes ill. Conybeare recenset – ipse tamen therapeutas ut judaeos habet, simulque concedit libellum Philonis non ea quae historice fuerunt, sed quae phantasia sua delineavit scriptor, referre. Cui forte assentire potius nisi quis eligas subscribere judicio cl. Schürer: Ein sicheres Urteil ist deshalb schwierig, weil dieses Asketentum religiös ziemlich farblos in Wahrheit weder jüdisch noch christlich war." Nostra igitur sententia, lis sub judice remanet, nec constat therapeutas unquam extitisse!

c) Pagani. Non desunt inter paganos qui vitam asceticam sensu superius expresso amplexi sunt. Indorum orientalium regionem non immerito solum natale et sane feracissimum asceticismi pagani diceris et hodiedum manet. Tametsi difficile imo impossibile est in utroque poemate heroico "Mahabarata" et "Ramajana" et in aliis vetustissimis documentis secernere granum veritatis a palea fabularum, id tamen liquidum est. Brahmanos diu ante reformationem Buddhisticam suos habuisse ascetas qui modo eremitice, modo collegialiter in syl. vis (vanaprastha ὕλοβιοι) degebant asperrimae paenitentiae et contemplationi dediti, sicque suam in divinam substantiam resorptionem praestolantes. Historice nota est et alia eorum secta ascetica dict. γυμνοσοφισται Strab. XV, 65 – Pariter asceticam vitam duxerunt Buddha Gautama dictus Çakyamouni (= Çakya nomen generis, muni ascetа) circa 560 ant. Chr. et ejus discipuli, indeque derivati Mendicantes (Bhikshu = medicans) et sensuum edomitores, etc. qui paulatim vitam coenobiticam inierunt de his cfr. Kirchenlex. et Realenc. Encycl. v. v. Brahmanismus, Buddhismus. Mgr Bigandet: vie ou légende de Gaudama, 1878, Auger, Les mystiques dans les Pays-Bas chap. 2, p. 23. Lege etiam, cum necessariis cautelis. Zöckler Askese u. Möncht. 1897, I. S. 1-4. Nota est quae apud graecos floruit societas coenobitica Pythagoricorum c. 562. Cfr. Zeller. Hist. phil. graecae.

t. I, Chaignet 1874. Pythagore et le Pythagorisme — Aegyptus inde a tempore Lagidarum habuit suos inclusos (κάτοχοι), viros et faeminas, Serapidis cultu devotos. Demum, ut brevitati consulam, exhibent et ipsi Mahumetani quinque principaliores sectas asceticas, sive confraternitates, "faciunt enim favos et vespae" (Tert. 1 sed utique melle vacuos. de his cfr. Heimbucher die Orden u. Kongreg. 1896, p. 14; R. 2 Mond. 1 Mars 1886. Sociétés secrètes chez les arabes (Vigouroux, Rev. bibl. 1896. Les prêtres de Baal et leurs successeurs. Zöckler. l. c. p. 309-22.

Quae cum ita sint increduli passim, nonnulli etiam protestantes sub larvata facie scientifica cfr. Hilgenfeld 1878. Zeitschr. f. Wissensch. Theol. p. 148, Weingarten, cfr. Real. Encycl. v. Mönchtum, non verentur affirmare, ascetismum et vitam monasticam christianorum a paganismo originem suam derivasse hujusque instituta repristinasse, quippe cum eadem opera poenalia utrobique observentur: Le geste est le même.

Verum resp. 1. Assertionem esse contra omnem fidem historicam. Et sane cum de origine alicujus societatis quaestio movetur, testes omni exceptione majores sunt ipsi societatis fundatores. Qua igitur ratione vita monastica christianorum enata sit, ipsi veteres Patres plenissime enarrant apud Cassian, collat. 18, 4 et 5; norunt profecto utrum ab Indis, vel a Serapidis reclusis formam vivendi acceperint. Pendent scilicet omnes a b. Antonio qui juvenis et illiteratus in desertum secessit, et a Pachomio qui a Palaemone rudimentariam formam vivendi accepit quam ipse postmodum propria legislatione perfecit.

Resp. 2. Ad explicandum cur extra christianam religionem vita ascetica suos habuerit sectatores abunde sufficit observatio facti duplicis: multis inesse nativam propensionem in vitam solitariam; multis pariter peculiarem zelum verae vel falsae divinitatis et famem rerum divinarum inesse, quid igitur mirum si etiam in falsis religionibus homines invenias qui huic rerum divinarum instinctui se committant (1). — Nec tamen

(1) Opposite P. Delehaye, S. J. Les legendes hagiograph., chap. 6. Réminiscences et survivances payennes, p. 190 in re analoga "Il serait peu judicieux de recourir à l'hypothèse de l'emprunt lorsque la nature humaine agissant sous l'empire [illegible] religieux suffit à tout expliquer."

inde concludas monachismum christian. ex solo instinctu naturali suam duxisse originem, absit, sed perinde ac naturam gratia extollit atque perficit, ita apud nostros instinctum naturalem mira et nobilissima ratione extulerunt exempla, doctrina et vocatio D. N. Jesu Christi, et quia solus christianorum monachismus divino hoc spiritu animatus est, solus etiam uberrimos in communem utilitatem fructus procreavit. Recte de paganorum ascetis Montalembert: "Ils n'ont rien produit, rien sauvé; l'orgueil de l'erreur et la corruption de l'oisiveté les ont rendus inutiles à l'esprit humain comme à la société." Moines d'Occid. t. I, p. 41 sq.

Resp. 3. Tametsi idem faciunt ascetae pagani et christiani, minime idem est, perinde ac non idem est, quod idem faciunt medicus et carnifex. Ut idem faciant in causa est ipsa rerum natura: communem prosequuntur scopum: vitam dico moralem puriorem, unionemque cum divinitate; commune omnibus congenitum experiuntur impedimentum, concupiscentiam dico: ideoque dum meditationibus et oratione ad Deum tendat simul et carnem continentia, abstinentia multimoda, operibus poenalibus et vita solitaria edomant. Ut autem ipsae castigationes utrobique non idem sint, in causa est motivum ad eas impellens. Buddhistae, manichaei dualistae et pessimistae naturam sensibilem malum reputant ideo ab ea refugiunt, christianus autem ut carne mortificatus spiritu vivat cum Christo in Deo. cfr. Schiewitz, op. cit. I. § 8.

Art. II. In Oriente christiano usque ad Concilium Chalcedonense a. 451.

1) Ascetae — Vitam religiosam suo exemplo docuit Christus, ad eamque invitavit quotquot ad perfectionem eniti vellent, viam sublimem consiliorum eis proponens. Exempla et doctrinam Christi beati Apostoli sibi ut regulam vitae retinuerunt et in hac "philosophia" nacti sunt discipulos et sequaces praeter mandata etiam consilia imprimis paupertatis amplectentes ut legimus. Act. II. 44-45; IV. 32 sqq.

At ipsis Ecclesiae incunabilis christiani paruerunt praedicationi Apostolicae: "induimini D. J. Chr. et carnis curam ne feceritis in desideriis" Rom. XIII, 14; "Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis" Gal. V, 24, ideoque abnegationi interiori externam addi

deinde mortificationem abstinentiae et jejuniorum; tum ut castigantes corpus proprium, illud in servitutem redigerent; tum ut ab infestatione illius se liberarent, qui non ejicitur nisi per orationem et jejunium. Porro qui singulari ratione in his operibus, privationibus et orationibus se exercebant dicti sunt asceticae (ἀσκηταί, ἀσκήτριαι) nomine mutuato ab antiquis athletis. vide Platon. de civit. lib. III ed. Didot, t. II, p. 53. Cfr. I Cor. IX, 25. Hi igitur qui facultatibus abundabant bona sua pauperibus elargiebant, plurimi, ab usu et commercio omnium segregati, solitarie vivebant, (ἀποτακτικοί); vestes pauperiores praeeligebant (σακκοφόροι), saepius in castimonia (Ignat. ἐν ἁγνείᾳ) et continentia perfecta, etiam ex voto perpetuo, vitam transigebant. (ἐγκρατεῖς) Cfr. Justin. Apolog. I. n. 15. 29. P. Gr. t. 6. p. 350, 374. Athenag. Legat. pro christ. n. 33. P. Gr. t. 6, 966 (de excessu Pinyti ep. Cretensis quoad continentiae obligationem cfr. Euseb. Hist. eccl. IV, 23. vide etiam Dom Conolly contra Burkitt quoad S. Aphraatem: Aphraates and Monasticism, Journal of Theolog. Stud. July 1905, p. 522 et responsionem Burkitt, ibid. Octob. 1905, p. 10). Degebat quisque ut plurimum in propria domo solus, aut etiam cum contubernali ὁμοψύχῳ. Constituebant τάξιν sive ordinem, medium inter clerum et fideles, ideoque in ecclesia sacris intererant primi post clerum, post quem et ipsi, ante fideles, sacris mysteriis participabant et monachismo jam nato pluribus saeculis supervixere. Cfr. Clem. Alex. Strom. lib. II, 17, lib. VI, VII. P. Gr. t. 8, Const. apost. lib. XIII, 13.

2) Virgines. Ab ipso Ecclesiae exordio, non modo feminae Cfr. Act. XXI, 9, sed et viri multi, teste Justino et Athenagora, se Christo dedicarunt in continentia absolutissima, e quibus viris, ut multa documenta genuina et antiquissima testantur potissimum adlegebantur ministri sacri; operae tamen pretium visum est seorsim quaedam indicare de virginibus sequioris sexus, quippe cum earum institutum suis legibus circumscribebatur diu ante formam vivendi coenobiticam in monasteriis, imo et huic novae formae supervixit aliquantulum, sicut et apud orientales schismaticos hodiedum permanet. Cfr. Silbernagl Verfassung d. Kirchen des Orients 1904 p. 273.

Hae "νύμφας τοῦ Χριστοῦ καλεῖν εἴωθεν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία" ipsaeque constituunt μέγα τεκμήριον... τοῦ παρ' ἡμῖν εἶναι τὴν ὄντως... θεοσέβειαν," ut habet S. Athan. apolog. ad Const. § 33 P. Gr. t. 25. 640; juxta S. Cyprianum de habit. virg. n. 3. P. L. t. 4. 413. Virgines sunt "flos ecclesiastici germinis... illustrior portio gregis Christi", earum μεγάλα ἐγκώμια pau-

cis, sed validissimis verbis constrinxit, S. Athan. in libel. prae omnibus in hac materia legendo λογος σωτηρίας ἢ περὶ παρθενίας n. 24. P. Gr. t. 28, 280 (libelli authenticitas saepe addubitata fuerat, recentissime Von der Golz in collect. Harnack Texte u. Untersuch. t. XIV, fasc. 2. 1905 eam solidis et manifestis argumentis vindicavit, etiam contra vanas rationes D. Batiffol Röm. Quartalschrift. 1893, p. 275). Constituebant et ipsae τάγμα seu ordinem ecclesiasticum. Cfr. Orig. in num. hom. 2 n. 1. P. Gr. t. 12, 591. Offic. Feriae VI in Parascev. admon. 3, in ecclesia locum privilegiatum sibi assignatum occupabant Cfr. Tert. de exhort. cast. 11. P. L. t. 2, 975, Const. Apost. l. II, c. 57, de lapsu Virg. c. 6. n. 24 inter Op. S. Ambr. P. L. t. 16, 374. Non tamen eas tibi fingas ad imaginem monialium. Assumpto enim proposito virginitatis, neque paupertatis, neque obedientiae votum conjungebant, neque "regulae" professionem sensu stricto, tametsi omnes SS. Patres eas gravissim deterrent a φιλαργυρια, ad elargitionem bonorum provocant et sic ad spiritum et consilium paupertatis promovent, (Cypr. Ath.); insuper vivebant sub peculiari cura Episcoporum (Cypr. de hab. virg. 3, l. c. p. 413) juniores que senioribus a quibus instituerentur tradebantur, (Athan. Vita S. Anton. c. 3, P. Gr. t. 26, 843, Cfr. int. op. Ath. Vitam Syncleticae, et S. Method. (300) συμποσιον των δεκα παρθενων, passim. P. Gr. t. 18, col. 27, ideoque et aliquid consilii obedientiae assequebantur. Vivebant in domo paterna, solitariae aut cum contubernali συμψυχῳ (Athan. περι παρθ), aut si id impossibile, vel periculosum, in domo ab Ecclesia conducta (argum. ex epist. 6. Cypr. 62, n. 2 P. L. t. 4, 565). Ibi vacabant orationibus certis horis persolvendis, jejuniis, lectioni sacrarum Scriptur., operibus manualibus, φιλοξενιᾳ (lege praesertim Athan. l. cit. n. 6, 7, 10, 13, 16, 17. Cfr. Epist. 22 S. Hierony. P. L. t. 22, 394, praes. n. 8, 17, 18. et S. Ambr. de Virginib. l. III, c. 2, 3, 5 P. L. t. 16, 221 sq.), tenebantur sapientissimis cautelis non modo caste sed et caute vivere abstinere a circumcursionibus, Hier. Athan. l. c., a conviviis maxime nuptialibus a balneis (Cypr. De hab. virg. n. 18, 19. Athan. περι παρθ. n. 11) a mundo et cultu muliebri (Cypr. n. 5, Tertull. de veland. virg. passim. P. L. t. 2, 906) hinc praescribitur ipsis tunica, ependytes et maforium (velum) nigri vel subfusci coloris (Athan. l. c. n. 11) ex his quae brevitatis causa paucis attuli patet cl. Duchesne non recte dixisse: "La vierge chrétienne qui était restée vierge avait rempli l'essentiel de ses obligations surérogatoires." Origines du culte, c. XIII, p. 405 sublimiora quippe Patres χορευτρίᾳ Χριστου (Ath. Π. Παρθ. n. 25) ambiebant.

Huic ordini ecclesiastico Virgines Deo sacrae aggregabantur voto

castitatis, nulla aetate canonica adhuc praescripta, ecclesia respiciente potius "aetatem fidei et pudoris" quam annorum. Ambr. de virginit. n. 39. P. L. t. 16, 276. Asella quippe vix annum 10 aetatis expressa se Christo dedicavit. Hieron. ep. 24. P. L. t. 22, 427; Irene soror S. Damasi Papae vicennis defuncta, jam pluribus annis inter sponsas Xti vixerat etc. exeunte saec. IV taxata est aetas 25 annorum in Africa Conc. Carth. III, 397 = c. 14. C. 20. q. 1 et inde a S. Leone aetas 40 ann.

Primo saeculo Virgines forte solo proposito, absque voto expresso se Christo dedicarunt verum, ut natura rei ferebat, deinde voto se adstringere, cujus facti testem habemus primum Clem. Alexandr. (c. 192). Strom. III, 1, την προς Θεον ὁμολογίαν, P. Gr. t. 8, 1103, Strom. III, 15: ὁμολογήσας μὴ γῆμαι, l. c. 1197, dein Tertull. de virg. vel. c. 11 "continentiae votum" P. L. t. 2, 905. Cfr. ibid. c. 14 "Prolatae in medio et publicato bono suo etc. Orig. in Levit. hom. 3, n. 4 P. Gr. t. 12, 428 S. Cypr. de habit. virg. c. 4. P. L. t. 443. Quod votum primitus, prout conjectura fundata assequi valeo, privatim emittebatur, id quippe insinuat Ath. de Virg. n. 9, et supponit tota argumentatio auctoris lib. de vera virginitate n. 39-41, inter opera S. Basilii, P. Gr. t. 30, 745 sq. (Auctorem libelli esse Basilium Ancyranum (c. 360) ex medico episcopum, solidis argumentis ostendit Fr. Cavallera, Revue d'hist. Eccl. VI. n. 1, 1905). Quae privata voti emissio semper permansit, sed serius, saec. IV, cum Epi solemni consecratione imponerent virginibus velum (mafortium) cum hac velatione conjuncta fuit publica voti emissio, quae, ut mihi videtur, ex illo tempore constituebat ubique impedimentum dirimens futuri matrimonii (sic recte explicatis epist. S. Siricii ad Himer. tarrag. = c. 12, 13. C. 27. q. 1 et ep. S. Innoc. (404) ad Victric. Rhotom. = c. 9 l. c.); licet eumdem effectum juridicum diu ante consuetudo in quibusdam ecclesiis introduxerat (et sic intelligas, S. Cypr. adultera Christi. ep. cit. 62, n. 4. col. 370, ep. 60. n. 2 & membra Christo dicata et in aeternum continentiae honore pudica virtute devota". col. 360, licet ejus mens non undequaque manifesta sit ut ep. 62. n. 2. legenti patebit. E contra Basil. Ancyr. de Virg. absolute docet nullitatem attentati matrimonii n. 39, eo quod virgo libera non sit", 41 in fine "Quia vivit vir ejus (sc. Christus) P. Gr. t. 30, 745 sq. Nec abludit, ut puto, c. 13 Eliberit. (306 forte 300) = c. 25. C. 27. q. 1; dum e contra mitiorem doctrinam exhibet c. 19 Ancyran. (314) = c. 14, q. cit.

Ex coetu harum virginum quandoque, et in nonnullis ecclesiis, quae-

dam in ordinem diaconissarum assumptae sunt, etiam non observata aetate 60 ann. I Tim. V, 9. Quod quidem pro suo rigorismo Tert. de veland. virg. c. 9, l. c. col. 902 episcopis vehementer exprobrat. Taliter assumptae non amplius virgines sed viduae vocabantur. Id quidem negat Rahmani in sua edit. Testamenti D. N. J. Chr. 1899, p. 164, verum ejus argumenta debiliora sunt. De virginib. inter recentiores consule Wilpert, die altchristlichen Jungfrauen v. Zeitschr. f. k. Theol. 1889, p. 302, Schiewitz, das Morgenländ. Mönchtum 1904. I. S. 3-7. vide etiam v. d. Golz, Texte u. Untersuch. t. XIV, fasc. 2 λόγος σωτηρίας II. n. 24, 1905.

Omne lignum, omne pomum, teste S. Aug. lib. Confess., habet suum vermem; purissimi virginum Instituti vermis fuit cohabitatio earum cum coelibe viro quasi cum fratre vel patre et tutore συνείσακτοι ἀγαπηταί, subintroductae. Verum hujus excessus nullum vestigium historicum inter catholicos apparuit, quod sciam, duobus prioribus saeculis. Quae enim recentissime adducta sunt a Knopf, das nachapostolische Zeitalter 1905, p. 418 nonnisi a viro pinguioris minervae excogitari potuerunt, nec hilum nec vola hujus rei habetur in alleg. cap. XI, v. 11 Didache, nec sine risu accipies arg. depromptum ex Herma visione II. cap. 2 et 3, cum agatur de conjuge legitima ex qua filios genuerat. P. Gr. t. 2, 898, multoque insulsius allegavit similit. lib. III. sim. IX, c. 11 tum quia tota narratio imaginaria est, et cap. 15 dicitur quaenam sint illae 12 virgines scil. fides, abstinentia etc. l. c. col. 990, 993. Immanis iste abusus non auctoritate ecclesiae cath. invaluit, nec ab illa unquam probatus, nec fundatur in I Cor. VII, 36, ut sine ratione placuit Achelis, Virgines subintroductae 1902 qui ibid. etiam censet hujusmodi coelibes voluisse audaci suo facto gratiae Christi victricem potentiam demonstrare. Quae omnia vigilanti calamo refutavit P. Ladeuze, Revue d'Hist. Eccl. VI, 1. p. 58-62. 1905.

Abusum invexerunt haeretici, et probabiliter primi omnium gnostici de his enim diserte Irenae adv. haer. l. I. c. VI, n. 3. P. Gr. t. 7, 507. — Alii (gnostici) valde modeste ab initio quasi cum sororibus fingentes habitare, procedente tempore manifestati sunt, ἐγκύμονος τῆς ἀδελφῆς ὑπὸ τοῦ ἀδελφοῦ γενηθείσης. Similiter de Hieracitis narrat S. Epiphan. haer. 67. n. 2 in fin. et n. 8, χλευάζονται… διὰ τὸ κέκτηνται ἕκαστος συνεισάκτους γυναῖκας. Mores vero catholicorum describit auctor epist. Clem. ad Virg. (saec. III) ep. 2, c. 1 et sqq. " sub eodem tecto cum virginibus non mo-

nemus". P. Gr. t. 1, 418. Pravis haereticorum exemplis et humana fragilitate contaminatae sunt procul dubio, saeculo 3, etiam virgines catholicae, sed illis non defuit cura episcoporum a vesana cohabitatione retrahens et obstinatas acriter poenis perurgens, lege integr. epist. 62 S. Cypr. P. L. t. 4, 364, Conc. Ancyr. (314) can. 19: τὰς συνερχομένας παρθένους τισὶν ὡς ἀδελφὰς ἐκωλύσαμεν, edit. Lauchert, Lips. 1898, p. 34. Conc. Nic. (325) 3. l. c. p. 37 cfr. praeterea S. Basil. ep. 55. P. Gr. t. 32, 402 ejusdem S. Dris λόγος περὶ τῶν συνεισάκτων. P. Gr. t. 30, 841. S. Greg. Naz. Praecepta ad Virg. a vers. 96. P. Gr. t. 37, 585. Sti Jo. Chrys. binas orationes contra turpem hujusmodi consuetum P. Gr. t. 47, 495, 513, adeo graves ut vel ipse Hieron. acri suo stylo nil mordacius proferre voluit sive epist. 117 quae tota hoc vitium exagitat, P. L. t. 22, 953, sive ep. 22, n. 14. l. c. 402. Non igitur suo officio defuere Pastores ecclesiae quominus exitialem cohabitationem de medio tollerent, sed adimpletum est verbum Dni: necesse est ut veniant scandala. Matth. XVIII, 7.

3) Eremitae. Medio saeculo tertio novum effloruit genus ascetarum. Ingruente enim immani persecutione Decii (250) multi fideles, praecipue ex ordine ascetarum, ut tortores declinarent in abdita montium et solitudines deserti maxime Aegypti recesserunt. Quorum numerum adauxit persecutio Diocletiani (303), qui illecti dulcedine vitae contemplativae etiam sedata procella in eremo permanserunt. Alii, nulla persecutione cogente, ultro ad tale vitae genus confugerunt, ut liberius Deo sibique vacarent. Hi sunt fundatores vitae eremiticae. Prior omnium quem certo cognoscimus fuit S. Paulus dictus per antonomasiam Eremita, natus Thebis 234; a° 250 in eremum se recepit, ibi ultra 90 annis Christo meruit et anno 347, 113um annum agens pie obiit et a S. Antonio sepultus est. Cfr. S. Hier. Vita S. Pauli P. L. t. 23, col. 17 et Acta SS. t. 1, Jan., die 10, p. 602.

4) Monachi. Splendidum porro lumen et vitae anachoreticae Patriarcha fuit S. Antonius dictus magnus, cujus admirabilem vitam et conversationem conscripsit S. Athan. P. Gr. t. 26, 833 (authenticitas libelli certissima est catholicis et protest.). Quae vita, ut scite observat S. Gregor. Naz., Orat. 21. P. Gr. t. 35, 1088 simul fuit νομοθεσία τοῦ μοναδικοῦ βίου ἐν πλάσματι διηγήσεως.

Coma, vicus superioris Aegypti prope Heracleam majorem ei patria fuit, 251; 18 annos natus bona paterna pauperibus erogavit et in vico natali asceticam vitam professus est. Anno aetatis 35 in regionem mon-

tanam trans Nilum (i.e. ad Orient.) se recepit, anno circiter 55 in interiorem eremum secessit ubi, fama sanctitatis et dono curationum, multos nactus est discipulos, sicque prope Phaium (circ. 305) apparuit prima monachorum aggregatio (monachi μονος ἔχειν, sic dicti eo quod disci-puli Sti. Patris habitabant singuli seorsim in cellula sua, quae cellulae vel domunculae non multum ab invicem distabant).

Demum inde recedens se recepit ad montem Colzim (Mons Antonii postea dictum) prope Clysma (Topographiam vide Hist. Lausiac. P. Gr. t. 34, 202) ibique alteram habuit monachorum familiam. Universim, teste Rufino, si tali viro fides: 6000 discipulorum habuit. Obiit 105 vitae suae anno 356, die 17 Januar. Vide Acta SS. in h. diem. t. 2. p. 471.

Eadem aetate inclaruerunt duo alii coetus monachorum frequentissimi quorum prior degebat in Nitria et adjacente deserto (prope Cairum, á 40 kil. du Nil) hujus antecessor fuit B. Ammun Sti. Antonii amicus. Numerosa sane erat familia teste enim B. Hier. Valens a. 375, 5000 monachorum ad militiam coegit; juxta Rufin. hist. eccl. lib. II. c. 3 P. L. t. 21, 511 "Tria millia aut eo amplius" — De Nitr. lege Hist. Lausiac. c. 7. de B. Ammun ib. c. 8. P. Gr. t. 34. 1019, 1025. Ruf. hist. monach. c. 21 t. c. 443. Alter occupabat vallem scete, interjecta colle, 14 leucis a Nitria distans versus N.W. quem fundaverat B. Makarios senior ex Aegypt. sup. oriundus, natus Thebis c. 300, discipulus S. Antonii c. 335, obiit 394/395. De Makario cfr. hist. Lausiac. c. 19. t. c. p. 1045 sed praesertim dissert. quae prostant a capite tomi 34. P. Gr. quoad Scete Lettres édifiantes, t. 5. p. 243. Missions cathol. 1882, p. 38, 54, 70 et Acta SS. ad diem 17 Octob. Acta Sti. Joan. Colobo (= Le nain).

5) Caenobitae. Caenobitarum Pater et primus legislator agnoscendus est S. Pachomius, a parentibus paganis in Thebaide sup. prope Esneh (= Latopolis) anno 294 progenitus. Post brevem militiam saecularem, qua durante ad fidem venit cath., 314, vitam coluit asceticam, an. c. 320 eremitae Palemoni se tyronem exhibuit, a quo discedens in vicum Tabennisi (Jardins d'Isis, ad rip. orient. Nili, in dioecesi Tentyrae = Dendérah) se recepit. Discipulos nactus, eos in unam collegit domum (ante 328 ut expresse habet B. Athan.) communibus addixit orationibus et laboribus, ipsisque praeerat tamquam pater perpetuo vigilans, docens, et ad perfectam promovens vitam.

Ecce tibi primum κοινοβιον (328) quod Pakhomius non venator

P. S.

novitatis, sed promotor illius perfectionis quam plurimi rite assequi possent, invexit. Quo vero homines cohabitantes in ordine, fervore spiritus et mutua charitate contineret, regulam mansuetudine, virili pariter fortitudine conspicuam, prior omnium, conscripsit, discipulisque indixit. Regul. S. Pakh. P. L. t. 23, 61, et t. 50, 271, quae de angelo refert c. 38, hist. Lausiac. videntur fabulosa. Cfr. Schiewitz op. cit. p. 168 sq. (Quem ob finem ab eremitica ad coenobiticam vivendi rationem se transtulerunt veteres egregie narrat in vita Publii, Theodoret. Hist. Relig. P. Gr. t. 82, 1384, cfr. et Hier. ep. ad Rustic. monach. P. L. t. 22, 1077, n. 9, et ep. ad Eustach. 22. n. 35. Legeetiam 12 rationes quas ex sent. Veterum congessit in Com. Reg. Benedict. D. Martène P. L. t. 65, 259 sqq.

Semel ac hoc vivendi genus per Aegyptum innotuit, multi eremitae sponte se ad vitam communem obtulerunt, unde affulget quanta sapientia quanta opportunitate Pakhomius hoc temperamentum induxerit, simulque explicatur unde brevissimo tempore, in regione caeteroquin non admodum frequentata, tot asseclas potuerit habere. Etenim praeter coenobium tabennense et alia decem aedificavit quorum 9 viris, 2 monialibus replebantur cfr. hist. Laus. c. 39 inf. Universa haec monasteria arcto vinculo spirituali et oeconomico inter se colligabantur. Praeerat toti coetui superior generalis, in monasterio Phebaou 2° loco fundata residens, cui parebant superiores locales et monachi universi. Bis in anno (tempore paschali et medio augusto) conveniebant Phebaou superiores locales cum delegatis omnium monasteriorum ad negotia communia spiritualia et oeconomica tractanda, insuper superior gen. singulas domus per annum visitabat. Ut vides constituebant veram congregationem sensu moderno. Singulae domus manebant sub jurisdictione Epi dioecesani, et sub inspectione Patriarchae Alexandrini. Monachi non emittebant vota formalia, sed professionem, per habitus susceptionem post praeviam probationem, declarabant. Erant tantum non omnes laici, officiis diversis ii praeerant qui jam aucti sacerdotio accesserant, ipsa regula expresse vetabat susceptionem ordinum sacr. sine mandato superioris. Eorum disciplinam accipe a Schiewitz op. cit. p. 176-220, eorum mores ib. 225-256 ubi doctissime refellit ignorantiam et putidas ...lumnias d. Amelineau, in variis fasc. Musée Guimet, t. XVII, XXV, et p... ...sertim in Introductio, ad opus: Les moines d'Egypte, eorum vestes

cfr. Heimbucher die religios. Ord. I. p. 40. Dom Besse, les Moines d'Orient. p. 251. Obiit S. Pakhom. a. 348, quo tempore in ejus coetu vivebant 3000 religiosi, tempore Cassiani (c. 400) 5000 vide Coenob. Instit. lib. IV, c. 1 et paulo post 7000. – Vitam veriorem omnium Sti Pakh. a monacho graeco coaevo conscriptam habes in Act SS. ad diem 14 Maji. Quoad historiam Pakhomii ejusque instituti habes duo opera catholica eximia: Ladeuze, Etudes sur le cénobitisme pakhomien, Paris, Fontemoing 1898 et Schiewitz, Das morgenländ. Mönchtum t. I. Mainz 1904.

Restat ut brevissime describam ordinem quo vita religiosa in varias Orientis plagas diffusa est: de qua re consule Dom Besse, Les Moines d'Orient, Paris 1900, chap. 1. Topographie monastique de l'Orient.

S. Hilarion natus Tabathae prope Gazam 291, discipulus Sti Antonii duobus mensibus universam ejus vivendi rationem didicit. Redux in patriam propagavit vitam religiosam per omnem Palaestinam ut refert S. Hieron. in ejus vita c. 14 in P. L. t. 23, col. 34. Ubique floruerunt laurae (λαυρος, λαυρα = platea, vicus scl. aggregatio domunculorum monachorum in forma pagi, singuli singulis inhabitabant: μονος εχειν) non modo in Jerusalem et Bethlehem, sed et ad ora Maris interioris. Inde profectus in Cyprum hanc vitam et illuc introduxit, unde in alias insulas usque ad Siciliam diffusa est. Obiit 371. Celebre est monasterium monachorum quod ad praesepe Dñi Bethlehem erexit Sa Paula circ. 386.

Ex Palaestina vita religiosa propagata est in Syriam, floruit IV saeculo Antiochiae et in montibus circumvicinis. Ibi vixit solido quadriennio S. Joan. Chrysostomus. De praeclaris viris hujus regionis lege Theodoret. Hist. eccl. P. Gr. t. 82, 1190 et Hist. relig. eod. tom. 1411.

In desertum Chalcidis hanc vitam invexit S. Malchos 337 ibi vixit et ejus historiographus S. Hier. c. 375, Vita S. Malch. P. L. t. 23. Inde dilatata est in Seleuciam et Apameam unde prodiit Theodoretus epus Cyri 423.

In Osrhoena floruit magnus Julius Sabbas monachus et epus, hujus vitae promotor indefessus quem cumulatissime laudant S. Hier. et S. Joan. Chrys. Eremiticam vitam egit prope Edessam 330. Quoad ejus vitam et opera cfr. Theodor. P. Gr. t. 82, 1306. de diffusione ipsa cfr. Peregrinat. Sylviae edit. Vindob. p. 64. Edessae floruit etiam monachus et

Dr Ecclesiae S. Ephrem + 373.

Eodem IV saeculo Mesopotamia aemula quadantenus Aegypti numerosissimas continebat monachorum familias. Iis viam paraverat S. Aphraates (c. 320) instituendo celeberrimos ascetas continentia praeclaros Beni qjama = filios testamenti cfr. Patr. Syr. t. 1. dissert. dom. Parisot. p. XIV, sq. et sup. cit. art. Journal theolog. Jun. 1905 Aphraates and monacism; Zöckler Askese u. Möncht. 1897, p. 182. Eos vero instituit S. Jacobus Nissiben. 350. Cfr. Dom. Antonelli, introduct. in opera S. Jacobi Nissib.

Exinde hoc vitae genus commigravit in Persidem et Arabiam. De monachis in monte Horeb et Sinai lege praeclara scripta Sti Nili + 431, discipuli Sti J[oa]nnis Chrysost. ibi monachum agentis. P. Gr. t. 79, 590-694.

Versus aquilonem in Armeniam vitam religiosam propagavit, utique non sinceram, Eustathius ep. Sebastenus, quondam S. Basilii amicissimus et posthoc inimicus. + 360. Verum non omnes erroribus Eustathii adhaesere, eosque laudat S. Greg. Naz. carmine ad Hellenum P. Gr. t. 37. 1471.

Vitam religiosam in Ponto et Cappadocia promoverunt S. Greg. Naz., S. Macrina soror Sti Basilii et ipse Basilius 329-379 qui ex itinere Aegyptiaco redux, regulam co[n]scripsit prudentia et suavitate plenam, ratione cujus recte salutatur novus et praecipuus vitae religiosae legis[lat]or in Oriente, nam et hodiedum monachi orientales uniti et schismatici, item russiaci omnes hanc sequuntur regulam, ab ipsaque, magna ex parte, pendet Regula S. Patris Benedicti quae Occidentales monachos tot saeculis jam ad perfectionem promovet. Cfr. Vitam S. Basilii P. Gr. t. 29, cfr et Greg. Naz. orat. in Basil. P. Gr. t. 36, 335. ejus regulam P. Gr. t. 31, 1032.

Constantinopoli, ante regnum Theodosii I. 408, rari inveniebantur monachi. Equidem Marin, Les moines de Constantinople, p. 1 sqq. non dubitavit traducere Constantinum ejusque matrem S. Helenam tamquam fundatores plurium monasteriorum in nova Roma, sed obstat disertum Callinici testimonium, hic enim in vita S. Hypatii, magistri sui paulo ab init. narrat: "circa annum 384 nullum in illustri Constan[tinopolitana] civitate extitisse monasterium, uno excepto magni Isaacii, opera vero hujus famuli Dei circa 406 (i.e. inde a regno Theodos. I) plurima [ja]m [aedifica]ta fuisse." Contra Marin, et de vitae religiosae initiis in ci-

vitate Constant. lege Pargoire, Les débuts du Monachisme à Constant. Rev. des Quest. hist. t. 65, 1er Janv. 1899.

Scholion I. Non defuerunt inter hujusmodi monachos qui peculiarem et extraordiriam vivendi rationem tenebant. Scilicet

1) Inclusi: frequentiores erant in Aegypto ut multa exempla habes in Hist. Lausiac. P. Gr. t. 34, cfr vgr. c. 43 in Syria, Mesopotamia, in Palaestina cfr. P. Gr. t. 82. 1339 et 86. 2. 479 etc.

2) Hesychastes sive Inclusi silentium perpetuum servantes.

3) Subdivales et Pastores qui nempe nullo certo utebantur habitaculo sed sub dio vivebant, dormiebant; Pastores ejusdem generis vitam sectantes in Mesopotamia frequentiores erant in solitudine montium, Deum sine intermissione collaudantes, nec alio cibo nisi herbis crudis, vel arborum cortice victitantes cfr. Theodoret. hist. relig. P. Gr. t. 82, 1294, et cap. 4 t. c. 1339.

4) Saleic stulti, nempe stultitiam ex amore Christi fingentes cfr. Hist. Lausiac. c. 41, 42. Prostat pariter in Actis SS. vita stupenda hujus generis.

5) Acoemetes (a priv. κοιμάω) quorum laus divina nullo somno interrumpebatur, per turnum nempe diu noctuque psallebant. Eos instituit Alexander + 430, sed absoluta eorum constitutio procedit ab Abbate Joanne in monasterio Gomon in Bithynia; celebre fuit et hujusmodi monasterium Constantinopolitanum dictum Στουδιον.

6) Stylites, de quibus lege eruditam dissertationem P. Hip. Delehaye, Quest. Hist. t. 57. 1895. p. 52, quibus addas tamen quae leguntur de Nicandro, primo omnium stylitum in P. Gr. t. 79. 249.

Scholion II. Notandae sunt etiam quaedam formae illegitimae

1) Gyrovagi, de quibus cfr. Cassian. Collat. 18, Hist. Lausiac. 31, 33, 39, 95; nobilem exceptionem vide: Hist. Lausiac. c. 83. 84. 85.

2) Sarabaïtae (a rad. hebr. Sarab. recalcitrare) gens pessima et indocilis, S. Hier. eos vocat Remoboth. Ob eorum excessus (cfr. S. Hier. P. L. t. 22, epist. 22, n. 34 et Cassian. cit. coll. 18) demum Concil. Chalced. 451 posuit can. 4 = can. 10. C. 18, q. 1. de non amplius aedificando monasterio nisi ex arbitrio Epi.

3) Eustathiani, gnosticismo et manichaeismo infecti, quos damnavit Concil. Gangrense a. 343. c. 9 et seqq. de his lege Hefele,

Hist. des Conciles, trad. franç., t. 2, p. 168-186. Ex eorum coetu fuit notissimus Aërius. Cfr. S. Epiph. P. Gr. t. 42, 338 et 503-16.

4) Origeniani. Cfr. S. Epiph. l. c. 1063, Adamitae ibid. 955, Apostolici ib. 1039 Audiani (circ. 354) ibid. 339-374.

De vita, disciplina, pietate antiquorum monachorum: Lege. Rufin. Hist. monachor. P. L. t. 21, 387. S. Hier. t. 23 ab initio. Aphraat. Patr. Syr. t. I. Demonstr. VI. col. 274. Cfr. et Demonstr. III. — Palladium. Hist. Lausiaca. P. Gr. t. 34 (haec editio a Ducaeo primo publicata 1624 quam Gent. Hervet. Rhemensis latinitate donaverat 1555 interpolata est, puriorem latinam edidit Rosweid, S. J. de qua infra, textum criticum nuper edidit Cuthb. Butler O. B. Hist. Laus. dissert. and text. 2 vol. Eodem tomo 34 habes quae ad utrumque Macharium ad monachos Nitriae et Scete spectant, Evagrium P. Gr. t. 40. Rerum monachalium rationes; S. Joan. Chrys. Adversus oppugnatores vitae monasticae P. Gr. t. 47. Apophtegmata Patrum et Paradisus Patrum Aegyptiorum P. Gr. t. 65. S. Nilum. P. Gr. t. 79. Theodoret. Hist. relig. P. Gr. t. 82, Zozimi alloquia P. Gr. t. 78. Moschum (c. 620) Pratum spirituale. P. Gr. t. 87[bis]. Item Theodorum Studit. Descriptio monasterii studii P. Gr. t. 99. De Schemate vel vestitu monachorum lege Dorotheum monach. sub fine saec. VI. P. Gr. t. 88.

Ex his multa in unum corpus collegit doctus Rosweid S. J. quas iterum edidit Migne P. L. t. 73. 74 in cujus fine prostat magnae utilitatis "onomasticon rerum et verborum difficiliorum quae in vitis Patrum occurrunt" col. 399-515. Multa etiam scitu dignissima reperies in notis quibus Alardus Gazaeus monachus vasten. atrebat. O. S. B. illustravit edit. suam utriusque operis Cassiani, prostat apud Migne, P. L. t. 49 vide etiam dissertat. proaemialem Lucae Holstenii, quam edidit Brochie habetur in 1 vol. in fol. op. Luc. Holstein. Regulae, stat etiam apud Migne P. L. t. 103, 403. Plura tibi dabit et Mabillon in suis praefationibus ad priores tom.: Annal. Benedictin.

Quoad usus monialium graecarum Cfr. Cfr. si licet τυπικον quod post Montfaucon edidit Migne P. Gr. t. 127.

Appendix De Regulis monasticis Orientalibus.

§ I. Regulae suppositiae.

Rectissime Allatius in sua dissert. ad opus Lucae Holstenii codex

Regularum monasticarum, observat: praef. p. XI. Primaria sane et quasi fundamentalis monachorum Regula Evangelium erat, illa in quam Christi consilia quae... patrem et matrem, uxorem agros propter Christum relinquere sicque nudos Christum sequi suadebant. Regulae particulares nihil nisi ejus primae ac universalis Regulae applicationes aut declarationes, locis et personis aptatae, habebantur. Hisce monumentis viri sanctissimi discipulis suis rationem aliquam certam perveniendi ad plenitudinem perfectionis indigitarunt ostendentes, qua puritate, discretione, et mensura consilia evangelica in vita quotidiana et in singulis fere mentis et corporis operibus servarent. Quae dicta et monita, vel etiam praecepta Patrum, procul dubio ipsa ratione vivendi monachorum diversificabantur. Alia enim anachoretis, alia coenobitis congruebant. Hinc dum verae aut spuriae regulae anachoretis propositae, praecipue vitam interiorem attingunt exteriorem autem quasi in obliquo; Regulae coenobitarum integrum hominem interiorem, exteriorem, et quia in fraternitate degebat, etiam socialem moderantur.

1) Antiquissimum hujus generis monumentum tibi exhibet Regula Palemonis sec. quam illustrem suum discipulum Pakhomium instituit. Prostat in vita coptica B. Pakh., illam gallice reddidit Amelineau Musée Guimet, t. 17, p. 12, prostat in extenso apud D. Besse, Les moines d'Orient, p. 74. — Si genuina sit ante annum 320 condita sit oportet, cum saltem eo tempore B. Pakh. Palemonem venit. Si genuina sit! mediocrem enim fidem merentur ea quae in vitis ab Amelineau editis privative continentur, et in vera ejus vita, graece primitus scripta, non etiam continentur: rationes asserti vide apud Schiewitz, Mönchth. § 12, p. 137-149.

2) Circumfertur Regula Sti Antonii abbatis ad Monachos. Prostat autem in duplici recensione 1) ex collectione Regularum B. Benedicti Anianensis (+821) vide P. L. t. 103, col. 423 et P. Gr. t. 40, 1066, qui ex 1ori quodam exemplari hausit 35, et ex alio 13, universim numeros exhibet 48. 2) ex arabico, interprete maronita Echel P. Gr. t. 40, col. 1065, sq., numeros 80 continente.

Ex procul dubio supposititia est cum, teste Athanasio, B. P. Antonius undequaque litteris et graecis et copticis destitutus erat, Desumpta

videtur ex ipsa vita Athanasiana, quam ut speculum et exemplar practicam diu monachi retinuerunt. Auctorem videtur habuisse monachum, et quidem Aegyptum ut ex reg. 23, 34, 42 etc. conjectura probabili assequimur, item antiquissima est cum vitam coenobiticam nondum respiciat. Vide etiam Schiewitz, Op. cit. p. 49; 13 posteriores regulae juxta recensionem S. Benedicti, eaedem sunt et ipsi regulae Isaiae. infra n. 5.

3) Spuria procul dubio est Regula Macarii, quam multi maximi fecerunt, et ipsi Lerinenses usque ad ann. c. 661, si Mabillon fidas, Acta SS. O. B. t. I, 635 secuti sunt – ipsa enim Hieronymum, Rufinum, Palladium et Cassianum latuit. Ejus auctor, ex choro monachorum aegypti, verosimiliter quae circa Macarium illi innotuerant, hac ratione deposit. P. Gr. t. 34, p. 967. P. L. t. 103, p. 447. Egregiam profecto epistolam ejusdem Macarii suae collectioni adjecit. B. Bened. ibid. c. 451.

4) Circumferuntur tres compilationes sub titulo Regulae Patrum.

a) P. Gr. t. 34, col. 971, P. L. t. 103, col. 435, S. Serapionis, Macarii, Paphnutii et alterius Macarii Regula ad monachos. Edicitur Coenobitis. Allegati Patres ex ordine statuunt 1) Serapion. c. 1-4 de vita coenobitica, de unione paterna, de abbate et obedientia ipsi debita. 2) Macarius 5-8, de officiis Patris spiritualis, de ordine psallendi, de receptione alumnorum, hospitis. 3) Paphnutius 9-12, de jejunio, de opere manuum, de cura infirmorum, de ordine domestico. 4) Macarius 13-16, de pacis vinculo inter ipsa monasteria fovendo, de clerico suscipiendo, de emendatione culparum, de vitanda personarum acceptione. – Haec regula coenobitis appropriata, respicit potius praepositos, ut in munere suo rite procedant, quam subditos. Confecta videtur ad imaginem "canonum ecclesiasticorum SS. Apostolorum" Ιωάννης εἶπε... Πέτρος εἶπε κ. τ. λ. – In recensione vaticana, desunt ultima 4 capita. Ex hac regula plurima mutuatus est S. Pater Benedictus

b) P. Gr. t. 34, 977. P. L. 103, col. 441. Sine nomine auctoris: constat praefatione, et 7 praeceptis vitae coenobiticae conquis. Habes ibi partim repetitiones ex priori, partim complementa quaedam quoad ordinem servandum in officii divini persolutione.

c) P. Gr. l. c. col. 979, P. L. l. c. col. Sine Auctoris nomine. Ut in cap. 1 diserte enunciatur, additamentum tibi exhibet ad priores jam existentes

regulas. Videtur foetus latinus et sequioris aetatis ac duae priores, ut conjicere licet ex reg. 4 et 13, quae supponunt jam in coetu multos clericos, qui certe non aderant primis monachismi initiis.

5. Beati Isaiae abbatis praecepta seu Consilia posita tyronibus in monachatu. — Fuit hic Isaias beato Antonio coaetaneus, obiitque pro Christo martyrium, ut ajunt, anno incerto. Haec regula 68 axiomata religiosis omnis generis et aetatis versatilia exhibet, excerpta profecto ex ejus dictis vel etiam scriptis quae circumferuntur et prostant apud Migne P. Gr. t. 40 col. 1105–1214. Regula vero in codice b. Benedicti Anian. legitur P. L. t. 103, col. 427.

Hae igitur regulae omnes aut apocryphae sunt, aut sanctorum consilia et effata circa vitam religiosam tantum tibi tradunt.

§II. Regulae proprie dictae.

1) Regula S^ti Pakhomii

Equidem ut fabellam rejiciendam censemus quae hac occasione Palladius refert in hist. Lausiac. c. 38, P. Gr. t. 34, 1100 de Angelo qui de caelis advolans b. Pachomio regulam aeneis tabellis insculptam tradiderit. Ratio est quia nedum in vita Pakhomii primitiva ulla hujus caelestis et mirae traditionis mentio fiat, e contra expresse et repetitis vicibus asseritur ipsum beatum virum hanc regulam constituisse, ordinasse etc., cui testimonio nullum praevalere poterit; imo non admittimus fabellam Palladii, eo quod ipse sibi aperte contradicit, dum in decursu narrationis, angeli sui immemor, pluries asserit Pakhomium has regulas confecisse. Nec demum b. Pakh. transgressores regulae reprehendit aut castigat quasi violatores legis de coelo allatae; nec de angelo legifero quidquam novit Hieronymus.

Prout nunc prostat 194 articulis, nullo vinculo logico compactis, continetur. Verosimile est a) b. Legislatorem primitus paucissima puncta eaque urgentiora definivisse, tractu vero temporis prout prudentia sua supernaturali et quotidiana experientia admonebatur varia addidisse. b) hac eadem ratione utrumque ipsius post Petronium successorem — hic enim secundo jam magistratus sui mense e vivis sublatus est — Orsisium et Theodorum egisse; ita ut non tam quae constituit Pakhomius per se, quam eadem re-

qu'arum a Pakhomianis eo tempore quo rogarunt b. Hieronymum ut graecum exemplar latine redderet, observatarum habeamus.

Ortum et progressum vitae coenobiticae sub b. Pakhomio alias descripsi, arbor haec foecundissima, 50 annis post obitum b. Patris (346), ramos suos ad Alexandriam usque jam extenderat, Canopeum enim coenobium ortum habuit versus 400. Cum autem ad hoc coenobium confluerent plurimi Latini, et lingua coptica qua Pakhomius regulam digesserat inexpertes, et lingua graeca, in quam jam dudum translata fuerat, ignari, ipse Sylvanus presbyter, b. Hieronymum rogavit, ut exemplar graecum latinitati donaret. Quod libenter egit, paulo post, an. 404, ie ut ipse refert in Praefat. ad Reg. S. Pakhomii, paulo post dormitionem sanctae Paulae quae in dictum annum inciderat.

Prostat igitur haec regula inter opera b. Hier. P. L. t. 23 col. 65 cui adjecit translationem reliquorum S. fundatoris operum.

Haec regula ut legenti statim patet asceticam fortitudinem mira mansuetudine et eximia discretione ita temperat, ut onus et jugum monasticae conversationis humeris multorum coaequet. Ideoque b. Pakhomius verissime primus monachorum legislator celebratur, a quo posteriores omnes hauserunt ut de S. Basilio, et beato Patre Benedicto in comperto est, imo regulae 20, 33, 47, 56, 57 et 86, 94, 106 in nostram transierunt domesticam disciplinam.

Huic regulae jure subnecteres tamquam legitimam ipsius interpretationem doctrinam Orsiesii b. Pakhomii successores quam videsis P. Gr. t. 40. col. 869.

2) <u>Regulae S^ti^ Basilii.</u>

Extant sub duplici forma.

α) <u>Regulae fusius tractatae</u>, ὅροι κατὰ πλάτος. P. Gr. t. 31. col. 889-1052. Haec pars 55 regulis absolvitur quibus maxime disciplina monastica exterior et visibilis regitur.

β) <u>Regulae brevius tractatae</u>, ὅροι κατ' ἐπιτομήν t. c. 1051-1306. in quibus partim principia vitae perfectioris traduntur, partim casus particulares e superioribus enati resolvuntur. Sunt universim 313 regulae hujus seriei.

Utrumque opus f. eius genuinus S. P. Basilii agnoscendum - Cfr. argumenta Joannis Garnier O. S. B. P. Gr. t. 31. col. 161 - est, in utroque opere procedit κατ' ἐρώτησιν καὶ ἀπόκρισιν per interrogationes et responsiones. Observantiae quotidianae in neutra consignantur, hae enim de ore ad os transmittebantur, nullo adhuc consuetudinario scripto; observantias dico quae pertinent ad modum et ordinem psallendi, ad laborem manuum, formam vestimentimentorum, quantitatem et qualitatem ciborum et ad correctionem culparum etc.

Hisce regulis, fatente Greg. Naz. orat. 20 in S. Basil. "et sensus omnes castigabat, et membra omnia componebat, et veram virginitatem servare admonebat." Elucet in ipsis sapientia et discretio mirabilis germinum informant paupertatis, castitatis et maxime abnegationis internae et obedientiae sectatorem. Tota ferme eorum vis in hac utraque virtute abnegationis et obedientiae constituitur; suavitas et prudentia in eo quod mensura qua singuli urgendi et promovendi sint, relinquitur prudenti superioris judicio a cujus nutu omnes vult pendere, illa aviditate jussionem senioris quaerentes, qua infantulus fame confectus ubera nutricis ambit. Exinde intelligi, cur omnes posteriores monachorum institutores Legiferum Patrem ut proprium doctorum venerati sint. Abunde B. Basilium laudavit B. Benedictus, cum in fine propriae Regulae S. Basilium nominavit suum "Patrem spiritualem."

Vivente adhuc Basilio, hanc regulam amplexi sunt omnia Ponti et Cappadociae, tum virorum cum mulierum coenobia, imo pedetentim ea universum Orientem monasticum contribulem sibi fecit exclusa omni alia in iis regionibus regularis vitae forma. Ea ipsa hodiedum vivunt quotquot Oriens et Occidens Basilianae familiae numerat membra; adjectis paucis successu temporis, et variato interdum pro locis et conditionibus diversis consuetudinario.

Ruffinus regulam B. Basilii latinis exhibuit in eorum linguam eam vertens, ast hic vir pro sua incondita temeritate qua in multis usus est, utramque regulam tumultuarie in unam conflavit, imo plurima pro arbitrio ex illis abjecit. Sic igitur ex Ruffini manu Occidentales acceperunt regulam unicam 203 quaestionibus totidem responsionibus constantem. Hancque unicam S. Pater Benedictus et reliqui occidentales prae manibus habuerunt. Exstat in

codice S. Benedict. Anian. P. L. t. 103. col. 487 sq. Demum saec. XVIII an. 1722 Joannes Garnier O. B. editione sua Paris. Operum S. Basilii, hujus sancti Patris regulas sinceras restituit mundo.

γ) Ἐπιτιμία, seu codex poenarum quibus mulctandi sunt regulae transgressores a) viri, 60 articulis; b) canonicae, 19 articulis absolvitur: Hoc opus inter dubia Basilii relinquitur in P. Gr. t. 31. col. 1306. 1315.

δ) Constitutiones monasticae seu asceticae ad eos qui simul aut solitarie vivunt: Ἀσκητικαὶ διατάξεις πρὸς τοὺς ἐν κοινοβίῳ καὶ κατὰ μόνας ἀσκοῦντας — constant 34 capitulis, quorum 17 priora per prius anachoretis edicuntur, reliqua autem coenobitis. P. Gr. t. 31. col. 1321-1427.

Hoc opus veteres, cum doctissimo Theodoro Studita, scriptore saec. IX acriter Basilio vindicarunt; moderni e contra magis magisque in consensum abierunt abjudicandi illud S. Patri. Nec spernendae sunt eorum rationes quas optime evolvit Joannes Garnier in Praefat. ad opera Sti. Basil. P. Gr. t. 31. col. 84 sqq. Alius enim spiritus Constitutionum, alius Regularum. Hae enim rejiciunt ut invalidiorem statum anachoreticum cfr. reg. fusior. c. 7; constitutiones, data opera, per 17 capita illum fovent: stricta est et, ut decet virum in perfectionem enitentem, severior Regularum mens; mitior, commodior mens constitutionum, imo si legeris hujus operis c. 7. n. 2. t. cit. col. 1366, jure cum Garnerio censebis "Constitutionum auctorem ita indulgentem fuisse ut etiam rationis fines transgressus sit", et ideo minime a S. Patre prodiisse has Constitutiones.

Quod si curiosior ulterius quaeras, cuinam igitur auctori Constitutiones monasticae adjudicandae sint, argumentis probabilibus tibi Joannes Garnier indicat Eustathium Sebastenum quondam Basilii amicum et in fine inimicum ut se habet mortalium cor versatile — Cum autem non sit hujus loci quaestionem hanc fusius evolvere, adeas cit. auct. in P. Gr. t. 31. col. 119-132.

Appendicis loco juvat hic meminisse regulae dictae:

ε) Regula Orientalis collecta a Vigilio diacono: constat 47 articulis quos ex regula Sti. Pachomii plerumque desumptos fuisse primo in-

tuitu constat, ipsis namque verbis pakhomianis. P.L. t. 103. col. 447

De hoc opere Gennadius, Script. Eccl. c. 51, P.L. t. 58, e "Vigilius diaconus composuit ex traditione Patrum, monachorum regulam, quae in coenobio ad profectum fratrum in conventu legitur, breviato et aperto sermone totius monasticae professionis in se tenentem disciplinam." vixit quidem hic Vigilius saec. V, sed cujusnam ecclesiae diaconus fuerit, ignoratur; ignoramus et patriam ipsius, licet probabili conjectura eum gallum credamus, si utique vera sint quae in Annalib. Trevirens. Christophori Brover, lib. VII leguntur in apologiam monasterii Sti Maximini Treviris. "Facta fuit ibidem religio christiana monastica sub Regula Orientalium monachorum". Quae si ita se habeant Regula nostra Orientalis dicitur, tum ratione fontium, e quibus compilator eam hausit, minime vero ratione personarum quibus ea lex fuit.

4) <u>Syntagma doctrinae</u> συνταγμα διδασκαλιας, P. Gr. t. 28, col. 1642, plura quae omnino huc faciunt tibi exhibet, maxime rationem qua ascetae, anachoretae et coenobitae consilium paupertatis servant.

Quoad monachos qui montem Sinai et vastissimam ipsi adhaerentem eremum incoluerunt, nescimus an et qua Regula vixerint. Admirabilem eorum vivendi formam tibi exhibet eleganti calamo praecipuus eorum, S. Nilus in narration. III. P. Gr. t. 79 col. 617-626.

5) Vide demum si placet <u>τυπικον της κεχαριτωμενης</u>, seu Regula monasterii gratiae plenae, quam primo edidit Montfaucon O.S.B. et receptavit in P. Gr. t. 127 (prostat in nostra biblioth. 1a editio D. Montfaucon). Multa ibi circa graecarum monialium usus et observantias, alias incognita.

Art. III. De ortu et progressu vitae monasticae in Occidente.

§ I. Ante S. P. Benedictum:

Roma suos habuit ascetas inde a saec. III, fuerunt et tunc temporis in partibus occiduis varii anachoretae et inclusi.

Verum S. Athanasius dum Treviris exularet 335-338 dein cum

monachis Isidoro et Ammun Romam veniret 340, maxime demum admirabili quam scripsit vita b. Antonii. Occidentalibus vitam monasticam quadantenus revelavit, nec sine fructu, ut ostendit b. Hier. ep. 47 et 127, cum b. Marcella non erubuit profiteri quod Christo placere didicerat, primumque romanum monialium instituit monasterium c. 350.

Vita communis in Occidente auctorem habuit S. Eusebium Vercellensem. Ex asceta romano ēpus Vercellarum creatus 340. Teste b. Ambrosio, primus in Occid. partibus diversa inter se conjunxit, ut in civitate positus, instituta monachorum teneret et ecclesiam regeret. Communem cum suis clericis egit vitam, iique cum ipso clericatu professionem vitae communis spondebant, nempe "eosdem constituit clericos quos monachos". In exilium actus a. 355, invisit monachos Palaestinae, Cappadociae, et demum Aegypti, et eorum experientia propriam rexit familiam, eum ex exilio redeuntem comitatus est Evagrius monachus, interpres latinus vitae b. Antonii. Eusebius + 372.

Mediolanensi in suburbio, b. Augustinus, confess. l. VIII, 6, viderat "Monasterium plenum bonis fratribus sub Ambrosio nutritore." Ipseque b. Ambrosius, suis exhortationibus, et scriptis "de Virginitate ad Marcellin. sororem, de Institutione virgin. etc. vide P. L. t. 16 plurimos ad hoc vitae genus illexit. Ambrosius + 397.

Nec pauciores attraxit b. Hieronymus. Solidum quinquennium transegit in deserto Chalcidis 372-377. Romam accersitus 382, lectissimis utriusque sexus christianis Patrem spiritualem se exhibuit, e quorum coetu multi vitam amplexi sunt monasticam, et b. Paula apud praesepe Domini monasterium erexit monachorum, ubi e vita excessit b. Hier., et magnum (triplex scilicet) monialium asceterion. Quot vero S. Doctor suis scriptis, epistolis imprimis, Christo in via perfectionis sequaces conquisivit, quis enarrabit? Nullam edidit regulam, tametsi sub ejus nomine circumfertur + 420.

Ut b. Eusebius Vercellis, ita b. Augustinus Tagastae et Hippone cum clericis suis communem et regularem duxit vitam, una domus eos continebat, eidem assidebant mensae, bona privata nullus poterat possidere, claupuramque tali lege observabant ut nulla

omnino foemina intra domum reciperetur. Vota formalia, omnibus perpensis, censeo eas non emisisse, excepto voto vitae communis, id enim sonant celeberrima Sti Dris verba in serm. 375. P.L. t. 39, 1573. "professus est (clericus) communiter vivendi societatem" — De his lege, opponens debitam criticam, D. Besse: Le Monachisme africain — Monialium pariter monasteria erexit, Hipponensi praefecit propriam sororem Perpetuam, viduam. — Regulam vero sensu stricto nullam edidit, licet ordinationes plurimas exhibeat ejus epist. 211 ad virgines hipponenses (423). Ex hac epistola 211. P.L. t. 33, ex libello de opere monachorum (an. 400) P.L. t. 40, 527 et ex binis sermonibus 355, 356. P.L. t. 39 excerpta est, diu postea, quae nomen fert: Regula Sti Augustini.

Mature, ie IV jam saeculo, monachi Sti Basilii diffusi sunt in Italiam inferiorem, occuparunt et insulas adjacentes, et usque Dalmatas progressi sunt. Cfr. Mabillon dissert. praem. ad Tom. I. Act. SS. ord. Benedict.

De diffusione vitae religiosae per galliam usque ad medium saec. VI juvat quaedam peculiariter adnotare.

1) Primum galliarum monasterium erexit beatus vir Martinus Logodjaci (Ligugé) in pago Pictavo (8 kil.) an. 360. Promotus ad sedem Turonum, in suburbio civitatis condidit Majus (vel Martini) monasterium c. 378 et quidem tam feliciter ut ejus exequiis (401, alii 397) 2000 monachorum interfuerint, teste Sulp. Sever. P.L. t. 20, 159.

2) Ad annos 400-410 referenda est erectio celebris monasterii quod in insula Lerina aedificavit S. Honoratus, postmodum episcop. Arelatensis + 429. Ex hac pietatis et scientiarum schola prodierunt viri maximi meriti, ut S. Hilarius Arelatensis episcp. 429-449, St Lupus ep. Tricassinorum + 478, St Eucherus ante ingressum senator postmodum ep. Lugdunensis, St Caesarius ep. Arelat. 502-542, Salvianus dictus "praeceptor episcoporum" + 490. Ibi floruit Vincentius auctor "Commonitorii" nunquam satis laudandi + 450. Non multo serius aedificatum fuit et alterum monasterium monasterium in adjacente Lerone (île Ste Marguerite). In ancipiti manet quanam regulam isti monachi secuti sint, Mabillon quidem asserit eos regulam b. Makarii tenuisse, donec, circa 660, S. Aigulphus regulam benedictinam invexerit.

3) S^{tus} Hilarius Arelat. in sua episcopali civitate monasterium erexit quod utique Ariani vastarunt, verum St. Caesarius Arelat. illud denuo aedificavit, simulque alterum monialibus destinatum, cui praeposuit sororem suam Caesariam, et paulo post ibi inventae sunt ad 200 moniales.

Scripsit hic S. Pater duas regulas, priorem ad monachos, alteram ad virgines P. L. t. 68, 387, quam inclyta Pictavorum patrona S. Radegundis sororibus suis monasterii S^{tae} Crucis Pictavien. indixit, ut testantur ejus amici Fortunatus et Gregor. Turon. quorum verba habes P. L. t. 103, 410.

4) Cassianus thrax (sec. al. gallus) in florenti juventute Bethlehem profectus, ibique monachum professus, arctis amicitiae vinculis monacho Germano conjunctus est. Ambo ad Patres aegyptios iter instituere, et decennio cum iis morati sunt. Anno 401 Constantinopoli a S^{to} Joh. diaconus, 405 Romae sacerdos factus est. Fugiens inde a facie Gothorum Massiliam appulit, ibique 413-416 duo monasteria aedificavit, S^{ti} Victoris monachis, alterum monialibus destinatum. In monasterio S^{ti} Victoris scripsit utrumque opus: 1) De Institutis coenobiorum (417), 2) 24 collationes Patrum (420-428). P. L. t. 49. Ex S^{to} Victore prodierunt viri eximii qui hoc vivendi genus per Gallias et Hispaniam propagarunt. Admodum uberes tulit gratia Christi fructus, ut Cassianus abiturus ad perennem vitam, 5000 regularium reliquerit. Obiit anno incerto post 432.

5) Plura monasteria fundavit, cum fratre suo Lupicino, S^{tus} Romanus, vide Acta SS. ad 28 Febr. p. 741, quorum duo hic indico, Balmense scilicet, (Baume-les-Dames) quod in sororis suae gratiam pro monialibus condidit, et nobilissimum Condatiscence, condat [postea dictum S^{ti} Eugendii, demum S^{ti} Claudii (St. Claude); post ingressum et transitum S^{ti} Claudii ep^{i} Bisuntini] in monte Jura ubi cum fratre Lupicino vixit et defunctus est. Eorum secundus successor S. Eugendus (St. Oyant) huic familiae religiosae regulam indixit, ex orientalibus exceptam „qualitati loci sic attemperatam ut eam facilius natura vel infirmitas consequatur gallicana". Scholam pariter erexit in Sequania postea celeberrimam. Ejus vitam habes Act. SS. Ord. Bened. t. 1, 554, et Act. SS. 1. Jan. p. 49.

6) Primum Burgundiae monasterium condidit S^tu^ Joannes Reomensis, nat. 450 + 570, de ejus patre Hilario senatore divionense, et matre Quicta vide quae refert Gregor. Turon. de gloria confess. c. 42. P. L. t. 71. 860. Monasterium Reomense postea dictum: S^ti^ Joannis ex nomine fundatoris (= Moutier St Jean, Côte d'Or). Cfr. reliqua Acta SS. t. II Janu. p. 854.

Hos igitur viros monasticae vitae per Galliam ante b. Benedictum patres agnoscimus, sin minus solos, tamen praecipuos, eorum mores et rationes vivendi delineavit D. Besse: La vie des premiers moines Gallo-Romains Rev. benedict. 1901, p. 269.

Eo vero tempore quo familia benedictina primo propagari coepit, Gallia, etiam ex Hibernia, et sane sine relatione ad familiam b. Benedicti, monasticum passa esse influxum. Illumque, ne inferius ordo rerum interturbetur, statim qualis fuerit paucis indicabo.

S^tus^ Patritius, ut ferunt, in Majori Monasterio Turonens (Marmoutier) et Lerinensi educatus et monachum professus est. Inde an. 450 a Romano Pontif. in Hiberniam missus munus episcopale exciturus. Hic quotquot clericos ordinavit monachos instituit; sicque hoc vivendi genus in insula late diffusum est. Obiit a. 493 vide Acta SS. ad diem 17 Martii. Quidquid sit de vita b. Patritii, quae multa obscura involvit, anno 550 b. Coemgallus condidit in Hibernia, praeter alia plura, notissimum monasterium Bangorii (ne confundas cum altero Bangor in majori Brittania prope Cestriam positum) eoque vivente 3000 monachorum et monialium vitam regularem professi sunt. E Bangorio profectus est S. Columbanus, natus a. 545. In Galliam venit 585/590 cum 12 sociis et in Burgundio primo consessit, Anagratibus (Anegray = Voivre H^te^ Saone) primum, Luxovii (ante 590) alterum, tertium demum condidit monasterium Fontanis (Fontaine-lez-Luxeuil), e quibus plures enatae sunt domus filiales. Brunechildis insectationibus lacessitus, e Gallia exivit, S. Gallense (ex nomine ejus discipuli Galli) et demum in Italia super Bobbiense coenobium erexit, ubi defunctus est 615. Hi monachi peculiaribus utebantur consuetudinibus, v. g. quoad tonsuram, celebrationem Paschae etc. Cfr. Holstein Brockie P. L. t. 103, c. 400. Ediderat S. Columbanus discipulis suis regulam duriorem, in qua ferme praevalent baculus et virga, vide eam

P. S.

P. L. t. 80, 209. Cfr. etiam Hefele in Kirchenlex. v. Columban, vide Mabillon, Acta SS. Ord. Ben. t. 2. p. 2 sqq.

Ante b. Columbanum ex Hibernia venerat S. Fridolinus. Anno 507 civitatem Pictavorum ingressus est, ibi monasterium b. Hilarii, jam dudum a Visigothis eversum restituit. Inde profectus ad Mosam, ibi monasterium erexit Helerae, postea altas Vosagi tractus, Alsatiam, Burgundiam transivit, varia coenobia in honorem b. Hilarii aedificans, donec pervenit ad insulam qua Arola et Rhenus confluunt, ibi duo aedificavit monasteria et obiit, anno incerto. Cfr. Acta SS. Mart. t. I. p. 431.

§ 2. Aetas et familia benedictina

S. Pater Benedictus Nursiae prope Spoletam in Umbria, an. 480, natus est. Vix pueritiam egressus in aspera sublacensi solitudine primo eremiticam egit vitam, sed ab anno 520, admissis discipulis, 12 monasteria in circumvicinio fundavit, quorum quodlibet 12 numerabat monachos cum praeside. Demum anno 529, ad meridionalem partem progrediens, erexit Cassinense nobilissimum coenobium. Vide Chronicon Cassinense P. L. t. 66, col. 26. Vitam S. Patris Benedicti plures scripserunt, sed omnibus palmam eripuit b. Gregor. Magnus, lib. 2 Dialog. toto P. L. t. 66, 126; exstat et apud Mabill. Acta SS. Ord. Ben. t. 1, p. 1. Obiit die 21 Mart. 543.

Scripsit porro 530 sanctus Pater Regulam quam Greg. M. cit. dial. II, c. 36, col. 200 vocat "discretione praecipuam, sermone luculentam", ex qua factus est parens et legislator totius disciplinae monasticae occidentalis. Haec enim regula pedetentim omnes alias exclusit et a medio saec. VII, usque ad XII, unica ferme praevaluit. Ipsa non amplius, ut pleraeque orientales, theoretica sed praeceptiva est, universumque ordinem diurnum nocturnumque accurate determinat. Ejus jussu probati novitii emittunt tria vota formalia: conversionem morum (= votum castitatis et paupertatis), obedientiam, et quod ex toto novum est, insuper vovent stabilitatem loci, quam ob causam etiam, ut puto, Alfanus monach. Cassin. b. Benedictum "fundatorem placidae quietis" salutat. Monachi omnes unius sunt ordinis, (Conversi enim adhuc ignoti) sive clerici sint, sive laici; subjacent Abbati sicut patrifami-

lias. Monasteria nullo vinculo jurisdictionis, sed amicali tantum foedere, inter se colligata, ideoque singula sub jurisdictione Episcopi dioecesani manent. Vide hanc admirabilem regulam, cum pio et erudito commentario, quo illam illustravit D. Martène, in P. L. t. 66. 215.

Hoc vitae genus in Siciliam invexit S. Placidus 534; in Galliam S. Maurus qui et Glannafolium ad Ligerim dicitur excitasse. Cfr. Acta SS. t. I, Jan. die 15, p. 1032; S. Gregorius Magnus in Angliam 596; S. Pirminus et S. Bonifatius (Angli) in Germaniam 722 propagarunt. Ex hac foecunda radice, decursu saeculorum tanquam novi surculi plures et magni ordines, ut infra dicetur, pullularunt, in gloriam gratiae Christi, et laudem b. Patris Benedicti perennem.

a) Congregationes Reformatae. Ignavia humana et odio inimici, ni continue in eis suscitetur quo natae sunt spiritus, sensim sine sensu collabuntur familiae religiosae, et sic inclinata est, tertio saeculo, in multis locis soboles Benedictina. Verum Deus illi suscitavit virum eximium, quem recte dixeris alterum hujus Ordinis Patrem et fundatorem: S. Benedictum Anianensem (des comtes de Maguelonne), natum 750 + 821, vide ejus vitam et labores pro restituenda disciplina. P. L. t. 103, c. 354. Ipse auctor fuit, ut in Syn. Aquisgran. 817 conderetur statutum (80 artic.) pro monachis, nec illi defuit Imperator Ludovicus Pius ut reformationem efficaciter promoverit. Omnibus tanquam typus perfecti ad mentem S. Fundatoris monasterii praelucebat coenobium Anianense 300 continens monachos. Scripsit demum concordiam Regularum. cit. tom. P. L. 103.

1) Congregatio Cluniacensis. Monasterium Cluniacense a Gulielmo Aquitaniae duce fundatum et ab initio S. Sedi immediate subjectum fuit. Berno 910 primus Abbas fuit, reformationem inchoavit, sed efficacius ejus successores S. Odo abbas 924 + 941, St Majolus + 994, St Odilo + 1049, St Hugo + 1109 sub cujus regimine ultra 200 monasteria posita erant. Et sane ex abbatia cluniacensi reformata fere universa Franciae, Burgundiae, Nordmanniae, Alsatiae Belgiique monasteria, imo et nova erecta in Hispaniis et Polonia. Anno 996 Greg. V confirmavit omnes dictae abbatiae possessiones, jus liberae electionis, exemptionem a jurisdictione ordinariorum, simulque concessit facultatem ut monachi a quocumque Episcopo ad ordines possint promoveri. In

soli Cluniacensi monasterio manebat dignitas abbatialis, caput et centrum reliquorum monasteriorum, quibus Prior tantum praeerat sicque primavice post Pakhomium formata est juridica congregatio. Vide Mabill. Praefat. in saec. V Benedict. n. 52, 53, 55, 56. Fructus laetissimos hujus consociationis descripsit Clun. abbas 1122-1156 Petrus Venerab. (Pierre Maurice de Montboissier) lib. I de mirac. c. 9. P. L. t. 189, ibi prostant statuta et privilegia. Eorum accuratam disciplinam descripsit Udalricus Clun. mon. 1086." Consuetudines Clun. monasterii. P. L. t. 149, col. 635.

2) Congregatio Hirsaugiensis. — Hanc reformationem inchoavit b. Gulielmus abbas Hirsaugiae 1068 + 1091, ille ipse quem Udalricus alloquitur in Prooem. Consuet. cit. hic germaniae pleraque monasteria reformavit, non pauca etiam nova erexit. Hirsaugia, ad instar Cluniaci in caput congregationis erecta, 100 sibi subdita monasteria numeravit. Cfr. Kirchenlex. v. Hirsau.

3) Congregatio Cavensis in Sicilia ab Alfiero 980 inchoata 300 numerabat monasteria.

4) Congregatio Eindsidlensis.

5) Congregatio Casae Dei (Chaise-Dieu) quam erexit Robertus Aviliacensis an. 1046, ipse obiit 1067, numeravit 300 monasteria in Galliis, in Hispania et Italia.

6) Congregatio Clusae (Cluse sur l'Arve) auctore Hugone de Scansat instituta a. 966; ineunte saeculo XIII 145 continebat monasteria.

7) Congregatio Saxi Vivi prope Folginiam a b. Mainardo circ. 1085 inchoata — 140 coenobia.

8) Congregatio Silvae Majoris (Grande Sauve, Guyenne) auctore b. Gerardo + 1078 = 70 coenobia.

9) Congregatio Becci (in Normannia) ab Herluino a. 1034 fundata — 18 Coenobia.

10) Congregatio Fuldensis praepotens in Germania. Coenobium Fuldense a S. Bonifatio, vel rectius a b. Sturm a. 744 erectum, inde ab anno 751 exemptione donatum est. Ibi floruit celebris schola Rhabani Mauri 810. Vide Helyot, Histoire des ordres monastiques, t. 5. p. 135 et Kirchenlex. v. Fulda. P. L. t. 89, 1259.

Si de monialibus benedictinis aliquid desideras, adeas Helyot,

op. cit. t. II, p. 17, VI, 307-397; Kirchenlex. t. 2, 355. Heimbucher die Orden u. Kongreg. t. I, p. 193.

b) Ordines regulares e stirpe benedictina enati.

1°) Camadulenses (monachi albi) fundati a S^to^ Romualdo 1018, in vico Camaldoli, prope aretinam civitatem. Eremitae et coenobitae. Ordinem approbavit Alex. II. 1072. Hodie supersunt 6 monasteria (5 in Ital.) 200 monachi.

2°) Ordo Vallis Umbrosae in Tuscia, a S^to^ Joanne Gualberto 1038 originem ducit. Hic primo apparent "fratres conversi" in familia benedict., quod institutum cum paulo post Cluniacenses adoptaverint, reliquae congregationes eos imitati sunt. — Supersunt 2 monast. Romae, et Vallis Umbr.

3°) Ordo Grandi-Montis, Mureti in pago Lemovicensi, a S^to^ Stephano a Mureto 1076, probante Greg. VII, fundatus. Galli quibus acceptissimi erant, hos monachos dixerunt "les bons hommes". Vide Acta SS. Febr. t. 2. p. 205; et Martène Collect. Ampliss. t. VI. 1045; Mabillon. Annal. O. B. t. V. 655. P. L. t. 204. 998.

4°) Ordo Cartusienses, patrem habet S. Brunonem nat. 1032 + 1101 In asperrimo monte Carthusiae, dioeces. Gratianopol., 1084 sanctissimae familiae initium dedit. Vide Acta SS. t. 3. Octob. Statuta et consuetudines Carthusianorum lege in P. L. t. 153, 631, conscriptos a Guigone, quinto post B. Brun. priore — Supererant ante dispersionem 1901 adhuc 27 coenobia. De lite inter Carthusianos et Cistercienses. Cfr. P. L. t. 216, 469. Cfr. Annales Ord. Cartusienis a. 1084-1429 Monstrolii 1887 sq. 8 vol.

5°) Ordo Fontis Ebraldi, a B. Roberto de Arbrissello (L'arbre sec, dioec. Rennes) nat. 1047 + 1117 alias Vicario Generali Rhedonensi fundatus. Monasteria duplicia, quibus praeerat abbatissa. Ordo approbatus a Paschali a. 1106 et iterum 1113. Cfr. miram vitam Acta SS. Febr. t. 3, p. 593. — reliqua vide apud Helyot. et P. L. t. 162.

6°) Ordo Cisterciensium auctorem habuit S. Robertum abbatem Molismensem (Molêmes) a. 1098, cujus vitam lege Act. SS., die 29 April. approbatus prima vice a Callixt. II, 1119. Nomen duxit a eremo Cistercii, in qua prima domus erecta, cujus praecip... filiales: Firmitas (La Ferté) Pontignacum, Claravallis Morim...

dus. Tertius post B. Robertum abbas, S. Stephanus Harding, electus 1109 + 1134, sub quo gloria perennis Cisterciensium B. Bernardus tyrocinium posuit, scripsit "Exordium coenobii et ord. Cisterc." P. L. t. 166, 1501 in cujus cap. 15 refert primitiva statuta; scripsit et "Chartam Charitatis", communi abbatum et monachorum deliberatione sancitam, quae 30 artic. statuta ordinis exhibet, ea scil. quae ad morum institutionem, et ad ordinis regimen pertinent. Haec ipsa charta caritatis a Callisto II a. 1119 primo approbata et saepius a S. Apost. confirmata. P. L. t. cit. col. 1377. Scripsit demum et 5 libros consuetudinum Cist. quos vide P. L. t. c. col. 1383. Hic ordo egregie meruit de Sede Apostolica, de unitate catholica, martyres gloriosos habuit in Anglia sub Henrico VIII: Tempore cruciatuum in Oriente, et bellorum contra Mauros in Hispania nati sunt ad 10 ordines equitum sub regula cisterciensi militantes quos vide apud Helyot. t. VI, vel Heimbucher op. cit. t. I. p. 226 sq. Olim dicti grisei monachi. cur vide Mabillon. Annal. Benedict. t. VI, p. 487.

Ex ipso Cisterciensium ordine natae sunt, multo post haec, quas claritatis causa, juvat hic statim recensere, duae reformationes:

7) a) Ordo B. M. V. Fuliensis (Les Feuillants) (Fulium in agro Tolosano 5 lieues) quem Johannes de la Barrière anno 1577 instituit, approbatus a Sixto V. Clemens VIII ordini novas dedit Constitutiones 1595. Joannem de la Barrière a fratribus accusatum, imo et ab Episcopo judice O. P. damnatum, ven. vir Bellarminus coram Pontifice a calumniis vindicavit. Sub Urbano VIII, 1630 ordo divisus est in duas Congregationes autonomas sub peculiari Praeposito generali gallicam, italicam. Periit ex toto.

8) b) Ordo Cisterciensium reformatorum B. V. M. de Trappa (La Trappe, Orne, dioec. Séez). Hanc reformationem inchoavit 1664 Armandus Joannes le Bouthillier de Rancé, nat. 1626 + 1700; usque ad ann. 1791 nonnisi 6 coenobia, dein opera Dom. Augustini (Louis Henry de Lestrange) a. 1791-1815 et iniquitate temporum dilatatus est. Greg. XVI 1834 eis dedit Vicarium generalem. An. 1847 Pius IX eos distribuit in tres Congregationes: (Septem Fontium, Westmalae, Trappae) quibus totidem praefecit Vicarios generales. Has Congregationes in unum corpus coadunavit Leo XIII, die 1-13 Oct., sub

nomine Ordinis Cist. reform. B. M. V. de Trappa, cum proprio Praeposito generali, earum constitutiones et consuetudines demum approbavit Leo XIII, 25 Aug. 1884. – Numerat circ. 60 coenobia monachorum et 13 monialium. Quoad initia vide Hermant, Hist. des Ordres Rel. t. 4 p. 230, quoad progress. modernus. Kirchenl. v. Trappistes.

9) Ordo Florensis ab abbate Joachim cisterc. institutus an. 1192. Periit.

10) Sylvestrini, St. Sylvestrum Gozzolino parentem habent, 1231; approbati ab Innoc. IV, 1247; novas constitutiones ab Alex. VIII approbatas, a. 1690, hodie sequuntur: varia retinent coenobia, Kandy in insula Ceylan missionibus insudant (moines bleus).

11) Ordo Montis Virginis in dioec. antiq. Avellinensi (Companie) auctore S. Gulielmo Vercellensi, 1123. Cfr. Helyot. VI, 121. Deficit.

12) Humiliati, instituti a S. Joanne Oldrado + 1159, ab Innoc. III a. 1201 approbati, eos vero extinxit S. Pius V, 1571, ob seclus admissum in S. Carolum Borom. 27 Oct. 1569.

13) Caelestini, quos congregavit Petrus Morone postmodum electus in S. Pontificem sub N. Caelest. V, + 1296. Congregatio laetissime floruit, periit vero in turbis politico religiosis exeuntis saec. XVIII.

14) Olivetani, a St. Bernardo Tolomaeo a. 1319. fundati – Supersunt 6 coenobia.

c) Ad hujusmodi congregationes et ordines reformationis accesserunt, post Concil. Trid., Congregationes natae ob dispositionem cap. 8 sess. XXV de ref. reg.: Non est cur eos recenseam. Cfr. Rev. Bened. 1894, p. 97, 415 et Heimbucher, Op. cit. t. I, p. 149. Memoriae tamen peculiaris dignae sunt duae celebriores: scil. Congregatio Sti Vitoni et Hidulphi (St. Vanne) Vi-tone in agro Virdunensi, circ. a. 1596, a Didier de la Cour fundata, quamque Clem. VIII, 1604 approbavit – (D. Calmet, Petit. Didier, Ceillier etc.). Illustrior fuit, e priori enata (1618) Congregatio Maurinensium in quam confluxerunt multae antiquiores Congreg. ut Casae Dei Silvae Majoris, Sti Dyonisii etc. Divisa in 6 provincias (Paris. Aquitan. Britan. Norman. Casalbenedict. Burgund.) numerabat 191 coenobia et unumquodque coenobium ad minus 9 monachos. Praepositus generalis Parisiis residebat in conventu S. Germani ad pratos. Congregationem approbavit Greg. XVI. 1621.

Hodie ordo S. Patris Benedicti numerat ultra bis mille monachos (moniales etiam multos), in 14 provincias, rectius congregationes distributos (circ. 130 coenob.), quas omnes Leo XIII, a. 1893, consociavit in "Confoederationem Benedictinam" cui praesit Abbas Primas, in conventu sti Anselmi de Urbe residens. De effectibus juridicis hujus confaederationis lege Archiv f. K. KR. 1893, p. 304, 429.

§ 3. De canonicis Regularibus et aliis Regulae Sti Augustini subditis.

Prior omnium S. Eusebius Vercellensis, ut supra dictum est, clericos suos ad vitam coegit communem. Verum clericos suos monachos fecit, ideoque canonici regulares ab eo non pendent. E contra S. Augustinus a suis clericis, sub communi tecto vitam socialem agentibus, tria tantum exegit, ut supra dictum est: professionem vitae communis, abdicationem propriorum, clausuram quoad feminos, sicque quadamtenus adumbravit futuram canonicorum regularium vitam, ipsos tamen, proprie et juridice, minime instituit, quippe qui nullam regulam ad hunc scopum exaravit.

Communis vita a B. Aug. instaurata late per Ecclesiam diffusa est, et pluribus invaluit saeculis, eoque tempore canonicus, canonica dicti sunt quotquot clerici, officiales, viduae in canonem seu matriculam ecclesiae inscripti, ex ejusdem bonis, censum vel canonem annuum percipiebant. Non eodem tenore servata est abdicatio proprietatis personalis, imo VIII et IX saeculo, in nonnullis regionibus, concilia hanc licentiam retinendi propria plus minusve approbarunt. Id manifestum fit ex Regula Chrodegangii Epi Metensis + 766, quam Amalarius ejusdem ecclesiae diaconus retractavit + 857. Quemque demum Conc. Aquisgr. 817 approbavit. Regulam Chrodeg. Vide P. L. t. 89, 1059; regulam Amalarii in Conc. Aquisgr. receptam vide ap. Labbe Col. Concil. t. IX attendas ad c. 115 Verum ut invicte probat Thomasso. Part. I, lib. 3 cap. "de Capitulis sub imp. Caroli magni, hi canonici nondum vocati sunt: Canonici Regulares.

Quae vitia in clerum saec. X et XI irrepserint, durissimis verbis exponit Thomassin lib. 3 cit. et Helyot. Badiche, Migne, Collect. Dic-

tom. t. I, p. 774, iisque afflictus Pontifex Nicol. II, ad preces b. Petri Damiani canonicis prohibuit omnem proprietatem privatam, in Conc. Rom. 1059, quam prohibitionem innovavit Alexander II, 1063. Canonicis praeterea illud vitae genus quod b. Augustinus cum clericis suis coluerat tamquam normam proposuerunt, et ne id in vanum cederet, compilarunt eo tempore sic dictam regulam Sti Aug., ut supra exposui, ex epist. ad virg. 211 et ex utroque serm. de morib. clericorum, simulque canonicos induxerunt ad emissionem trium religionis votorum, sane solemnium. Hoc igitur saeculum XI, ductus a 1059-1063, et nullum aliud est aetas natalis canonicorum Regularium. Namque multi huic reformationi non adhaesere, exinde vocati sunt Canonici saeculares. Ultimam manum apposuit Concil. Lat. II. 1139 sub Innoc. II praecipiens, ut omnes Canonici non saeculares Regulam Sti Augustini amplecterentur. Plura adhuc quoad vestimenta, capitula gen. et provincialia ordinavit Bened. XII const. ad decorem. 15 Maj. 1339. Inde a tempore Conc. Lat. II universim omnes nomen tulerunt: Canonici Regulares Ord. S. Augustini.

Post edictum a. 1059, maxime vero post Conc. Lat. II, multae efformatae sunt canonicorum Reg. Congregationes, quarum accipe paucis praecipuas.

1) Congregatio Portuensis (Porto, Italie) erecta aut reformata a Petro de Honestis. Hic anno 1117 obtulit Paschali II quam conscripserat regulam Can. Reg. illamque eodem anno dom. Papa approbavit. Ecce tibi juxta eruditum Euseb. Amort. disquisit. Veter. discipl. Canon. Reg. et saec. "primum codicem canonicorum Reg." et exinde judicabis de eorum antiquitate. Regula Portuensis inter opera S. Petri Dam. P. L. t. 145. Apud Holstein, t. II. p. 138.

2) Congregatio SS. Salvatoris Lateranensis. Illustris haec et numerosa familia, adhuc florida, ascendit ad illud Conc. Rom. 1059 sub Nicolao II, sed non ultra. Ea enim quae habet A. Battandier, Annuaire Pontif. 1899, p. 269 de eorum origine apostolica, fabulosa sunt; a longo jam tempore Brockie hanc sententiam rectissime "omninó vanam" P. L. t. 103, col. 408, n. 23. Id demum veritas habet: durante 1059 degebant in ecclesia Lateran. canonici vitam communem agentes, verum ipsi nec regulam Sti Augustini sequebantur, neque professionem

trium votorum emittebant; his in loco et officio successerunt a. 1059. Can. Reg. Later. de S. Salvatore, nullo vinculo genetico aut interno, cum prioribus colligati.

3) Congregatio Sti Rufi, Avenione, celebris et numerosa, per Galliam, Hispaniam et Lusitaniam diffusa, prima utut imperfecta initia habuit a. 1039, ea enim aetate cum canonici Avenionenses vitam communem dissolverunt, 4 ex ipsis: Arnoldus, Adilo, Pontius et Durandus, consociatis viribus, eam suscitarunt ad Sti Rufi, Avenione. Ibi coeperunt, quod innumeri imitati sunt, loco rochetti fasciam albam gestare.

4) Fratres Cruciferi dominici sepulchri Hierosolymitani, suscitati Hierosolymis a Patriarcho Arnoldo 1114, approbati a Calixto II, 1122, eos Innoc. VIII univit equitibus Sti Joannis 1481.

5) Congregatio Sti Mauritii Agaunensis, saec. XII. Domus matrix adhuc superest, et in abbatiam nullius erecta fuit, cujus Praepositus, ex dispositione Greg. XVI 1840 semper in Episcop. titular. Bethlehem., eligitur.

6) Congregatio Marbacensis (Marbach in Alsat. sup.) anno 1090 inchoata, ejus regulam conscripsit praepositus Manegold, vel ejus successor Gernardus, quae deinde per universam Germaniam diffusa est. Eam vide apud Euseb. Amort. Vet. discipl. Canon. reg. et saecul. p. 383. Valde affinem eruit ex Archivio Morbacensi (Murbach, 5 leucis a Marbach dista... abbatia benedictina Nobilissima, hodie diruta) eamque tomo III. De Antiq. Eccl. rit. p. 305 edit. Antwerp. 1764 inseruit.

7) Congregatio Aridagamantiae (Arovaise près Bapaume) in dioecesi Atrebatensi an. 1090 a Heldemaro Tornacensi et Cunone, postea Cardinale, erecta, anno 1097, a Lamberto episc. Atrebatensi confirmata, late diffusa est per Galliam et Hiberniam. Extincta ante reformationem, ultimum capitulum generale a. 1470 celebratum est.

8) Congregatio Can. Reg. habitus Sti Antonii (Les Antonins) quae quondam 369 praeceptorias a Coenobia numerabat. Nata est, Motae (Didier de la Mothe) in Delphinatu. Grassante quippe immani lue, vulgo "Ignis infernalis, ignis sacer" dicta, multi pestiferi Motae, ubi S. Antonii reliquiae servabantur, sanati sunt, inter quos et Guerinus, Vedasti, viri amplissimi illius regionis, filius. Hinc pater et filius se et bona sua Dei servitio devoverunt in suscipiendis aegrotis ad reliquias

confluentibus. Accedentibus et aliis, enata est pia fraternitas laica hospitalaria, sub invocatione S. Antonii, quam Urb. II, anno 1095 in Concil. Claramontano approbavit. Sub Honorio III propositum approbante a. 1218, coeperunt primo tria vota religiosa emittere, et demum a Bonif. VIII, 1297 constituti sunt Canonici Regulares Sti Aug. habitus Sti Antonii, servarunt semper antiquum habitum nigrum, T caeruleo distinctum. An. 1777 universa Congregatio ordini Equitum Melitensium unita fuit. Reliqua vide apud Holstein. Brockie t. 5, p. 119, ibique p. 124 Regulam in Hispania observatam. Cfr. et Helyot. t. II, 108.

9) Congregatio Sti Victoris non numero sodalium, sed clarissimis viris (Richard. Hug. Adam etc.) et celebri sua schola theologica illustris, a Gillielmo Campellensi c. 1113 fundata. Ejus statuta vide apud d. Martene De antiq. Eccl. rit. t. III, Appendix, p. 253.

10) Congregatio Stae Genovefae dicta: Congrégation de France eodem ferme tempore nata est. Anno 1634 agente maxime ven. Card. de la Rochefoucauld reformata a S. Carolo Faure. Celebris eorum biblioth. ultra 7,000 mscrpt. continebat.

11) Congregatio Stae Crucis Conimbricensis, erecta a Tellone archidiac. eccl. cathedr. Conimbr. a. 1132, ad instar Congr. Aven. Sti Rufi, inter has meruit, priusquam ord. S. Fr. nomen dedisset, S. Antonius dictus Patavinus.

12) Gilbertini, in Anglia, a Gilberto de Sempringham a 1141 instituti. Notabilissima est haec Congreg. eo quod universa ejus monasteria (22) duplicia erant. Mulieres observabant regulam B. S. Benedicti, viri e contra, regulam Canonic. Sti Aug. Vide eorum regulam apud Holst. Brockie, t. 2. 467 et attende minutissimas cautelas ne viri foeminas unquam vel alloqui, vel etiam videre possent. Approbata ab. Eug. III. 1146 funditus diruta violenta manu Henrici VIII.

13) Canonici Reg. a Spiritu Sto, Montepessulis, hospitalarii, a Guidone e comitibus Montepessul. sub fine saec. XII instituti, emittebant et quartum votum circa curam pauperum. Approbati ab Innoc. III, 198, qui et Romae, celeberrimum hospitale Sti Spiritus, cum Ecclesia S. Mariae de Saxia eis concredidit, unde nata est Congreg. Sti Spiritus de Saxia, cujus historiam et regulam habes apud Holst. Brockie t. 5 p. 495 — Cardinalis de Polignac † 1742 ultimus fuit sup. Gen. congregationis Gallicae hospitalarium.

14) Fratres ordinis canonici Stae Crucis — Cruciferi — Les Croisiers. Universa haec familia, olim latissime diffusa, observabat Regulam Sti Aug., cum variis additamentis; inserviebat hospitalibus, et conversioni haereticorum vel infidelium. Praecipuae congregationes fuere:

a) Congregatio Italica, numerabat ultra 200 coenobia, ab Alex. III, 1193 fundata, ab Alexandro VII, 1656 suppressa.

b) Congregatio belga, adhuc superstes in 5 domibus, quarum duae in Hollandia (Cuyc, Uden) duae in Belgio (Diest, Maaseyk) una in Austria (Salzbourg) at as toto Belgio, in Gallia, Germania, Anglia numerosa existebat. a. 1211 a Theodoro de Celles in Claroloco (Clair-Lieu) prope Hoiam (Huy) in dioeces. Leodiensi fundata, 1216 a S. Apostolica approbata. — Hic Leo X, 1516, fecit potestatem, quam Leo XIII, 15 Mart. 1884 confirmavit, benedicendi coronas quibus qui utuntur singulis Ave Maria et Pater noster 500 d. indulg. fruuntur.

c) Ordo militaris crucigerorum cum rubea stella, Pragae in Bohemia, inde a. 1238 concedente Greg. IX in familiam autonomam erecti. adhuc supersunt in Bohemia.

d) Ordo paenitentiae SS. Martyrum, in Polonia saec. XIII, defecerunt. De his omnibus consule P. Jansen, S.J. in Kirchenlexic. V. Kreuzherren.

15) Congregatio Windesemensis ex fratribus vitae communis Gerardi Groot, et juxta hujus ultimam voluntatem enata, ab ejus successore Florentio Radwin instituta, Windesemii, 1387, prope Daventriam et Gallopiam (Zwolle). Mox late diffusa est, varioeque congregationes ei se adjunxerunt (Viridis Vallis, Neuss etc). Fulgebant in ea viri eximiae pietatis, (inter quos Thomas a Kempis), ejusque cura, opera praecipue Joan. Busch fere universa coenobia Canonicorum Regul. in Germania, saec. XV, reformata sunt. Nobilissimam congregationem protestantes dissiparunt ejusque reliquias saecularizatio consumpsit. De his Cfr. Auger, les Mystiques des Pays-Bas, livre IV. chap. 1, 2 et Heimbucher, op. cit. t. 1, p. 409.

16) Congregatio nostri Salvatoris a S. Petro Forerio 1623 fundata et ab Urbano VIII, 1628 confirmata.

Plures alias minoris momenti Congreg. vide apud Hely. t. — Badiche V. Chanoines réguliers, apud quem videas pariter V. Chanoinesses Reg.

eaque . . . . moniales hujus familiae canonicae respiciunt, de quibus, brevitatis causa, hic nihil affertur.

Cum semel de familia Augustiniana sermonem institui, juvat reliquos ordines recensere qui eadem regula vivunt.

17) Ordo Praemonstratensis, ab omnibus aliis Congreg. . . n. Reg. distinctus, sub communi Regula Sti Aug. (additis nonnullis statutis Can. Sti Victoris), et uno Praeside generali, Deo militare coepit an. 1119/1120, auctore S. Norberto, nato Sanctis (Xanten) in Cliviae ducatu. Dicitur Ordo Canonicus, ob regulam; Candidus a vestibus; Praemonstratensis ob visionem qua Sto Fundatori locus primi coenobii, ante ordinis fundationem, monstratus est, in asperrima Sylva Cosiciaci (Coucy) quae non multum abest a vetustissimo templo B. N. de Lactitia olim in dioec. Laudunensi, nunc Suession. Die natali Dni a. 1122 primi canonici (13) sua vota nuncuparunt; a. 1126, Honorius II ordinem confirmavit; saeculo primo exeunte jam numerabat 1000 coenobia, posthac ad 3000 in 30 circarias (circator apud Praemonstr. = Provincialis) distributa. Soli inter regulares, Praemonstratenses gaudent facultate regendi passim parochias saeculares, quod singulare privilegium iis confirmavit Bened. XIV. const. Oneroso 1 sept. 1750. Multa et egregia merita, decursu saeculorum, inclytus ordo sibi conquisivit, missionibus inter infideles et haereticos, maxime vero cura erga clerum saecularem – Ordinis Sanctos consignavit J. Chrys. Van der Sterre: Natales et vitae SS. Ord. Praem. Antwerp. 1625; Scriptores: Lienhart: Spiritus litterarius Norbertinus August. Vindelic. 1771; et recentius Ludov. de Gonzaga Prior in Storrington, Les écrivains de l'Ordre de Prémontré de 1120 à 1884. An. 1899, Fr. Goovaerts inchoavit opus: Ecrivains, artistes et savants de l'Ordre de Prémontré. Regulam ordinis cum copioso et erudito apparatu notarum vide apud Holstein-Brockie, t. 5, p. 191-330.

18) Ordo SS. Trinitatis de redemptione captivorum, a. 1198 a Sto Joanne de Matha + 1213 et S. Felice de Valois + 1212 suscitatus et ab Innoc. III approbatus, domum matricem Cervi frigidi in dioec. Meldensi habuit (hodieque subsistit). Parisiis hi religiosi vocabantur Mathurini, eo quod prope sacellum hujus sancti illorum coenobium fuit. Observabant regulam Sti Aug. auctam statutis rigorosis, prae.

praecipue quoad abstinentiam a carne et a piscibus, addito etiam 4º voto, de redimendis Christifidelibus apud infideles captivis. Numerabat olim 250 coenobia, in 14 Provincias distributa; Anglis et Hibernis praedilectus ordo. Supersunt, et hodie nigritarum infantibus et servis curam, pro facultatibus suis, admovent.

Celebris est hujus ordinis reformatio in Hispania apud Val de Peñas, a. 1594 a Joan. Bapt. a Conceptione inchoata, late diffusa, cum peculiari Vic. generali: <u>Ordo SS. Trinitatis excalceatus</u>: in Poloniam ingressi sub Joanne III 1686, in Austriam, patrocinante Leopoldo I. Ultimus hujus reformationis alumnus, a. 1894, Romae, in monasterio ad quatuor-fontes, defunctus est. Cfr. Helyot. II, p. 310-339.

<u>Ordo Eremitarum Sti Augustini.</u> Concil. Lat. IV, 1215, can. 13 = C. 9. De relig. dom. III, 36 sapientissime edixerat: "Ne nimia religionum diversitas gravem in ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de caetero novam religionem inveniat, sed quicunque ad religionem converti voluerit unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam et institutionem accipiat de religionibus approbatis". Ex zelo Innoc. IV (1243-1254) et praecipue Alex. IV (1254-1261) urgendi executionem hujus canonis natus est Ordo Eremit. Sti Aug. – Sciendum quippe quod saec. XII et XIII in Italia praecipue ortae sunt variae associationes Eremitarum, ut Boniti alias Jamboniti, Brittini, Eremitae Tusciae, Fratres saccati etc. etc. ab invicem independentes, aliquando mutue oppositae, quarum unaquaeque suis vivebat constitutionibus, unde simultates non leves et alia incommoda Ecclesiae Dei nata sunt. Ideo inde ab anno 1244 Innoc. IV Bonitis Regulam Sti Aug. imposuerat, Alexander IV vero ad sedem Apost. evectus, ut tantae confusioni efficax remedium apponeret, omnes Eremitarum superiores ad se vocavit, et post multos exantlatos labores, sopitas contradictiones denuum anno 1256 perfecit Unionem Eremitarum per Italiam dispersorum, novaeque familiae, regulam imposuit Sti Aug. nomenque dedit: Ordo Eremitarum Sti Aug. card. Richardum de Sto Angelo ei Protectorem dedit, et in Magistrum Generalem eremitae congregati elegerunt Lanfrancum de Septala hucusque Bonitarum Praepositum generalem. Quam unionem, novi ordinis constitutionem, et in 4 pro-

vincias (Ital. Hisp. Gallic. Germ.) divisionem, Alex. IV solemniter sancivit et promulgavit const. "Licet Ecclesiae" 13 April 1256. Biennio post ordinem novellum idem Pontifex a jurisdictione ordinar. locorum exemit. Ad regulam eum Sti Augustini accesserunt statuta - caeteroquin non valde onerosa quae Augustin Novellus et Clemens Auximanus conscripsere et capitula generalia Florentinum 1287. Ratisponense 1290 solemniter approbarunt. Vide Regulam apud Holst.-Brockie, t. IV, p. 227.

Pius V ordinem inter mendicantes recensuit, incedunt immediate post Carmelitas. Ejus diffusio amplissima fuit, siquidem aliquando habuit 42 Provincias, 2000 monasteria et 20,000 alumnos — Cum saec. XIV disciplina ordinis non nihil defecisset, natae sunt variae congregationes (15, quas vide apud Heimbucher t. I p. 451 sq.), inter quas nomino saxonicam 1493 e quo egressus est Luther, et Congreg. gallic. "Les petits Augustins" erecta 1593 a Stephano Rabache, et Rog. Girard.

Gravior reformatio et quasi ordinem in ordine constituens, cum proprio Vicario Gen. illa fuit quae saec. XVI orta est, in Hispania, 1588; in Italia 1592; in Galliis 1596, cujus alumni dicti sunt: Fratres excalceati ordinis Eremit. S. Aug.

Ordo B. M. Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum a S. Petro Nolasco 1223 institutus a Greg. IX approbatus 1235. Sequuntur Reg. Sti Aug., una cum constitutionibus a S. Raymundo de Peñaforte conscriptis — Eorum finis idem qui ordinis SS. Trinitatis. Olim ordo quasi duplex, ex sacerdotibus et equitibus, constabat, verum anno 1320 equites secesserunt, et sic ordo, prius militaris et religiosus, mansit mere religiosus. Supersunt, circiter 500 religiosi.

Anno 1603 nati sunt Fratres discalceati Ord. B. M. de Mercede, auctore S. Joan. Gonzalez, seu a B. Sacramento † 1618; reformationem in Hispania et Sicilia vigentem Clem. VIII approbavit.

Ordo Servorum B. M. Virginis in monte Senario, a 7 SS. Patribus fundatus, inter quos eminebat Bonfilius Monaldi, a. 1233, ab Alexandro IV 1255 approbatus. Sequuntur ejus alumni regul. S. Aug. eosque ordinem declaravit mendicantem Pius V. Supersunt hodie circiter 30 monasteria.

Eidem Regulae S. Aug. serviebant Eremitae Sti Pauli de quibus videsis Helyot III, 341. Kirchenlex. v. Pauliner, Alexiani vide a con-

cessione Pii II eis facta sub die 3 Jan. 1459; Hieronymitarum quinque Congregationes. Cfr Heimbücher, l. 1, p. 481-486.

[6] Ordo Fratrum hospital. S. Joannis a Deo. a S. Joanne a Deo + 1550 institutus, inservit aegrotis, fere universus e laicis consistit, tot enim nec plures habent sacerdotes quot cura animarum in hospitalibus exigit. S. Pius V ordinem approbavit 1 Jan. 1572. "Ex debito", sub regula S. Aug. et cum votis solemnibus consuetis, quibus quartum addunt, circa curam perpetuam et gratuitam infirmorum. Regulae S. Aug. addiderunt ulteriores constitutiones a Paulo V 1617 approbatas. Urb. VIII eis concessit privilegia ordinum mendicantium 1624. Hodie exstant 11 Provinciae, 120 Domus.

§ 4. Mendicantes.

Cum mendicantium perinde ac subsequentium Clericorum Regularium historia et constitutio notior sit, quippe qui sub oculis nostris vivunt et laborant, hos ordines brevissime delineasse satis erit. Incedat primo loco inclytus.

A. Ordo Fratrum Praedicatorum a b. Patre Dominico suscitatus.

1. Ordo B. Pater (n. 1170 + 1221) adhuc ecclesiae Oxomensis Canonicus Regularis, ab an. 1203-1207 conversioni Albigensium in Gallia merid. insudavit, cum vero tantus labor unius hominis vires superaret mente concepit novum ordinem qui veritatem catholicam ibi et in orbe terrarum spargeret atque defenderet, Tolosaeque prima tanti operis fundamenta jecit, probante Fulcone loci archiepiscopo. Praesul Romam pergens ad Concil. Lat. IV, 1215 b. Patrem sibi comitem adjunxit, ut communibus precibus Innoc. III ad novi ordinis approbationem flecterent. Obstabat porro, ut supra retuli (cfr. cap. 9 de Relig. domib. III, 36), concilium novis ordinibus, id eoque Innoc. III virum apostolicum benigne quidem suscepit, ejus votis tamen non acquievit. Id praestitit ejus successor Honorius III, perpetuus b. Patris protector, anno sequenti die 22 dec. 1216; alia constitutione 26 Jan. 1217 idem Pontifex novellum ordinem intitulavit: ordinem fratrum Praedicatorum, b. Dominicum 1um Magistrum generalem constituit, facta ei potestate sibi aggregandi socios, addendi regulae

iti Aug. opportunas constitutiones et data potestate universo ordini ut ubique locorum libere verbum Dei praedicare, sacramentaque ministrare valerent. Nec mora, post festa paschalia b. Pater Tolosam reversus, ibi eodem anno 16 sociorum (8 gall. 7 hispan. 1 Anglus) professionem suscepit. Eodem anno 1217, Romam reversus, condidit monasterium Stae Sabinae in quod, 1218, Dominus tres viros eximios induxit: Hyacinthum futurum thaumaturgum (cfr Acta SS. ad diem 16 Aug.) Ceslaum et Reginaldum Pole, qui missionibus vitam consumpserunt in Germania Septent. a. 1220 b. Pater primum capitulum generale vocavit Bononiam, in quo constitutiones sancitae, quibus postea 1238 B. Raymundus de Peñaforte, 3us Ma. g. gen., ultimam manum apposuit. Anno 1221, 30 Maji, celebratum est alterum, Bononiae, capitulum generale, ordinem in 8 Provincias dividens (Hispan. Provinciae, Longobard. Roman. German. Hungar. et Anglic.), die vero 6 Augusti, B. Pater ad meliorem vitam, laborum praemium recepturus, transivit.

Hic est, ut aiunt, Primus Ordo; ab initiis sacerdotes et laicos comprehendebat. Ejus scopus, ad mentem S. fundatoris, apostolicus est, ideo cessavit hic stabilitas loci, opus manuale, indicta strictissima paupertas, ita ut nec domus stabilia possidere valerent. Hoc tamen ultimum ex parte emollitum est a Martin. V 1425, et demum ex toto sublatum a Sixto IV, variis const. 1 Julii 1475, 13 April. 1477. Novum et hoc apparuit in constitutione ordinis: magna et efficax auctoritas qua Magister Gen. in manu haberet singulas Provincias, domos et unumquemque Fratrem.

Varias reformationes, successu temporis inchoatas, non juvat referre. Videsis Helyot t. III p. 225 vel Heimbücher, t. I, p. 557. De restaurando ordine, post turbas civiles saec. XVIII exeuntis, egregie meruerunt P. Lacordaire et P. Jandel. Cfr. eorum vitas: Vie du P. Alex. Jandel par H. Cormier O.P. Paris 1890. Hodie primus ordo numerat circ. 3000 alumnos.

2us Ordo, scilicet Sororum, b. Patrem Dominicum auctorem habuit. Inde ab anno 1206 aliquot pias virgines congregaverat in Prouille (dép. de l'Aude) quae puellarum educationi se devoverent. Sodalitas haec, primo laica, religiosa facta est paulo post, cum b. Pater illis regulam et habitum concessisset. Non tamen ex hoc instituto, ut

nonnullis visum est, descendit 2us ordo, hic quippe Romae fundatus est, et Virgines Prullenses postea, pro sua erga B. Patrem pietatem, amplexae sunt modum vivendi regularem Romae inchoatum: Et sane Honorius III videns Romae plura virginum asceteria cum paucis inquilinis et minori disciplina, aliunde plurimum confisus de zelo et prudentia B. Patris, anno 1217 ei injunxit, ut has virgines varii coloris in monasterium Sti Xysti sub communi regula et communi veste congregaret. Quod B. Pater multis exantlatis laboribus denique hoc modo perficere valuit ut 44 ei consentirent, quae sub die 4 Martii 1218, ad Stm Xystum sub strictissima clausura et in perfecta paupertate vitam regularem perfectam inchoarent, in eo habitu quem, paulo post, Fratres Praedicatores et ipsi, a B. Patre acceperunt. Haec est igitur origo 2i ordinis quem Honorius III hoc ipso anno 1218 confirmavit.

3. Ordo et ipse quadantenus a S. Dominico originem traxit, hac scilicet modo: constituerat B. Pater in Occitania et in Longobardia sodalitatem saecularem pro utroque sexu, dictam: "Militia Christi." Ex hac militia primitiva nati sunt:

a) Fratres militiae Jhesu Xti, qui Ecclesiam contra Albigenses tuerentur, hi ipsi inde a 1261 vocati sunt: Ordo Militiae B. M. V. vel etiam, La Milizia gaudente.

b) Non multo post, sorores tertii Ordinis Paenitentiae: agentes vitam cnem sub clausura cum vot. simplici castitatis (Sta Catharina Senens. S. Cath. de Ricci, S. Rosa Liman. S. Columb. Reatin etc); ad instar hujus tertii ordinis regularis feminei, efformatus est serius et tertius ordo regularis fratrum. P. Munio de Zamora 7us Mag. Gen. eis constitutiones dedit quas probarunt Innoc. VII 1405 et Eug. IV 1439. Tertius ordo saecularis nunquam extinctus est — Modernis temporibus P. Lacordaire 3 ordinem regularem virorum erexit; variaeque feminarum congregationes natae sunt idipsum aemulantes, de quibus nihil hic dicendum. Cfr. Bullarium Ord. Praedicat. 8 vol. fol. — Mamachi, Annales Ord. Praedic. 5 vol. Rom. 1754 — Quetif et Echard, Scriptores ord. Praed. 2 vol. fol. Paris 1719. Vitae SS. Ordin. Praed. Lovanii 1575. Ae. Danzas, Etudes sur les temps primitifs de l'Ordre de St Dom. I serie 1873-77. II série 1888. Lacordaire: Mémoire pour le rétablissement de l'Ordre de St Domin. Paris 1844. Chapotin,

Etudes historiques sur la province Dominicaine de France, Paris 1892. Constitutiones Fratrum O.P. apud Holst. Brockii t. IV, p. 10-127; Sororum ib. p. 128-140.

B) <u>Ordo seraphicus S. Francisci.</u>

1us Ordo. Nobilissimum Ecclesiae decus, b. vir Franciscus, Assisii natus a. 1182, † 1226, et die 16 Jul. 1228 in album SS. relatus est. In ecclesia B. M. de Angelis quam, post excussam paternam hereditatem, suam portiunculam vocare solebat, die Sto Mathiae sacra, 24 Febr. 1209, interfuit concioni habita super verba: Nolite possidere, neque argentum etc. Matth. X, 9. quibus vehementer commotus, perinde ac si pensum totius vitae sibi impositum declararent, ea hora cogitare coepit de instituendo ordine cujus asseclae vita pauperrima ad exemplum apostolorum, et praedicatione paenitentiae seipsos totumque sanctificarent mundum. Undecim socios nactus brevem eis indixit regulam eosque omnes ad Innoc. III deduxit, approbationem sui instituti petiturus. Verum, ut superius dixi, hic Pontifex novis ordinibus minime favebat, sicque primo petitam gratiam abnuit, ast coelitus edoctus, ut ferunt, quale et quantum praesidium Deus Ecclesiae suae in S. Francisco paraverat, oretenus approbationem concessit 1209. Adolevit ordo celerrime, 1um capit. gen. habitum est a. 1212, alterum anno 1217 quod ordinem in 12 Provincias divisit totidemque ministros provinciales cum manipulo fratrum emisit, qui in assignatis regionibus monasteria conderent et populos evangelizarent exemplo et doctrina. Hoc inceptum fratribus insuperabiles genuit difficultates eo vel maxime quod ordinarii locorum priusquam eos admitterent, ad tenorem can. 13 Conc. Later. IV, 1215, exigebant praesentationem instrumenti authenticae approbationis, qua ut dixi, destituebantur. Instante igitur Cardinali Hugolino (postmod. Greg. IX, perpetuo S. Francisci amico et fratrum protectore, Honorius III ordinem solemniter approbavit die 11 Junii 1219 const. "Cum dilecti fili, frater Franciscus", religiososque tenore ejusdem bullae vocavit <u>Fratres Minores</u>, aderant tunc temporis in ipso capit. gen. 1219 5000 fratrum. Scripsit S. Pater, anno 1223, tertiam recensionem suae regulae, 12 capitibus, (duae priores recensiones periere) quam eodem anno probavit Honorius III. Anno 1224 sanctus vir sacris

stigmatibus consignatus fuit, et biennio post, amore caelesti potius quam infirmitatibus consumptus, obiit 3 Oct. 1226, annos natus 45.

S. Pater, ut vides, ordini procul dubio finem apostolicum assignavit, et tamquam praecipuum fundamentum ei substruxit absolutissimam paupertatem, ita ut non modo fratres, sed neque ordo, monasteria vel stabilia bona, aut certos reddit[illegible] possidere valerent, activitatem porro apostolicam praecipue exercerent, dum sublato voto stabilitatis, excurrentes per mundum, simplici et aperta praedicatione evangelica populos ad mores christianos reducerent. Ideo et hanc novitatem induxit S. Pater ut fratres non jam in manus ministri localis, verum in manus Ministri Generalis vota emitterent, qui ideo tq. centrum ordinis immediatam jurisdictionem explicaret non tantum in provinciales, sed in unumquemque fratrem ordinis. Cfr. Beissel S.J. die kulturgeschichtliche Bedeutung des H. Franz. v. As. Stimmen Maria Laach, 1887, p. 1, 149, 276, 374. Seiler O.S.Fr. in Kirchenlex. v. Franz v. Assisi.

α) Fratres Minores de Observantia. – Mortuo S. Fundatore, pulcherrimus ordo, pro humana fragilitate, dissensiones domesticas, defectiones et alia id generis passus est, quibus vigor disciplinae enervatur, unde viri avitam puritatem zelantes ad opus reformationis se succinxerunt.

Prima dissensio nata est ex acri disputatione circa cap. 6 Regulae, de paupertate, cujus dissensionis vestigia reperiuntur inde a generalatu P. Eliae (1232-39) ex demum aperte erupit, sub 7 Min. gen. Joanne Parmensi (1247-1257) et "Spirituales extremi, ecclesiam carnalem despicientes novamque spiritualem praestolantes, in manifestam haeresim prolapsi sunt, quos damnavit Clem. V cap. Exivi de Verb. Sign. V, 11 Clem., et Joan. XXII, vide: Extravag. Jo. XXII "Quorumdam exigit de Verb. Sign. tit. 14, cap. 1. Cfr. Rev. Ecole des Chartes, t. 45 (1884) p. 523; librum valde singularem P. Palomes: Des Frères Mineurs et de leurs dominations, trad. franç. livre I, p. 11 et passim. Neapoli 1899. Heimbücher, t. I, p. 296. Succrevit deinde immanis disputatio de paupertate Xti in capit. gen. Perugino 1322 nata; damnavit sane Jo. XXII, cap. Cum inter nonnullos Extr. l. c. c. 4, sent. negantem in Xto jus possidendi tq. haereticam, verum Minister Generalis Michael de Cesena defecit et ad partes Ludovici Bavari transivit. Nota sunt reliqua de Marsilio Patavino, de Nicolao V etc. Ad relaxatio-

nem contulerunt et duae aliae causae saec. XIV, pestis nigra scilicet, quae, ut ferunt, ultra 100,000 fratres sustulit, et schisma quod sicut Ecclesiam ipsam, sic omnes ordines tunc existentes, in duas factiones divisit, cum summo utique disciplinae detrimento.

Ut tot malis remedium afferret, jam ante schisma, B. Joan. de Vallibus, a. 1334, tentaverat reformationem cui nomen dedit de <u>Observantia</u>. Quae-que varia fortuna languebat, donec laboribus Sti Bernardini Senensis, Sti Joannis Capistrani, Sti Joannis de Marchia (de la Marche), et B. Alberti Sarthianensis — qui ideo 4 columnae observantiae dicuntur — ad miram vitam et diffusionem pervenerit in Gallia, in Hispania et in Italia; singulis regionibus praeerat proprius Vic. generalis, universaque haec familia dividebatur in observantiam cismontanam et transmontanam. Ii vero fratres qui observantiae minime adhaeserunt (1/6 pars ordinis) sibi assumpserunt, vel rectius retinuerunt nomen: <u>Fratres Conventuales</u>: Cfr. Palomes op. cit. passim. Hactenus scissio nondum consummata fuerat, eamque pro posse suo Martin V, Eug. IV, Sixtus IV (olim Minister Gen.), Julius II retardarunt; demum perfecta est authentice a Leone X const.e Ite et vos 28 Maj. 1517, vi cujus Fratres Minores Regularis observantiae ex nunc seorsim convocabunt proprium capit. gen., eligerentque alternatim ex cis et transmontana familia Sup. gen. qui erit Minister generalis totius Ordinis Sti Francisc. — Insimul alia constitutione confirmavit Conventualibus privilegia possidendi, a Mart. V impetrata, insuper eis fecit potestatem eligendi proprium Sup. gen. cui titulus: Magister (fluctuat tamen appellatio cum in bullis nonnumquam dicatur etiam Minister) generalis Fratrum Minorum conventualium.

Demum Leo X, quod Jul. II jam in votis habuerat, jussit omnes alumnos variarum reformationum extra proprie dictam Observantiam enatarum (15 aderant), aut ad Conventuales, aut ad Observantiam transire. Quod prudentia suggesserat in detrimentum Observantiae cessit, cum tot elementa heterogenea in proprium sinum reciperet.

Hac de causa, non multo post, aliae natae sunt Reformationes in ipsa familia Observantiae et quidem in Italia, β) <u>Ordo Reformatorum</u> a. 1525 inchoatus. Clemens VIII eis proprium concessit Custodem sub immediata auctoritate solius Ministri generalis. Urbanus vero VIII a. 1639 eorum provincias autonomia donavit.

in Hispania, γ) Ordo observantium discalciatorum quos S^tus^ Petrus ab Alcantara, Valenciae, suscitavit a. 1540. Prudentiae causa Jul. III eos a principio sub tutela Magistri Gen. Conventualium constituerat, sed invalescente reformatione, sub fine vitae B. Petri, in obedientiam Ministri generalis observantium transierunt.

in Gallia, δ) Ordo obstrictioris observantiae Recollectorum cujus prima domus erecta est in civitate Nivernensi 1592, inde ab anno 1602 proprium obtinuerunt praepositum Provincialem.

Has quatuor familias (Observantes, Reformatos, Discalceatos, Recollectos) primi ordinis franciscani, Leo XIII, const. Felicitate 4 Oct. 1897, in unam sub novo cōi Ministro generali, cōi veste, cuibus in capitulo gen. approbatis constitutionibus, coadunavit; sicque uniti universim omnes nominantur Ordo Fratrum Minorum, vide Constit: Felicitate Analect. eccl. 1897, p. 856. Hac eadem cōnstitutione S. Pontifex voluit ut Fr. Conventuales, et Fr. Capulati in propria sua disciplina perseverarent.

Hodie igitur, S^us^ Ordo B. Patris Francisci comprehendit. 1) Ordinem Fratrum Minorum, 2) ordinem Fr. Conventualium, 3) ordinem Minorum Tertiariorum, quem cum votis solemnibus Leo X "Inter caetera" 15 Jan. 1521 primo ordini incorporavit, alius sat numerosi haudie pauci supersunt. Cfr. Bullar. Rom. t. 3, parte 3, 497. 4) Ordinem Fratrum Capulatorum, de quibus superest ut pauca innuam.

Ordo Fr. Minorum S^ti^ Francisci Capucinorum (Capulatorum). Feracissimus hic arboris franciscanae ramus ex observantia enatus est, circ. 1525, cura Fr. Matthaei Bassi, (Cfr. Acta SS. t. 6 Maji, p. 859, n. 41 et dissert. ad diem 18 Maji, post vitam S. Felicis de Cant.), Montefalcone in Umbria. Clem. VII, 18 Maj. 1528 reformationem quidem probavit, ejus tamen monasteria sub auctoritate Magistri gen. Fr. Conventualium voluit. Exordia hujus sanctissimi ordinis supra modum operosa, imo et luctuosa fuere. Et sane Matth. Bassi versatilis filios suos dereliquit, secundus superior Lud. a Fossombrone ob causam e familia expulsus est, ad interitum vero ut ita dicam, familiam pene deduxit tertius sup. Bernardinus Ochinus, qui publice ad castra Calvinianorum defecit. Paulus III jam in eo erat ut novellam familiam funditus extingueret, eum tamen placavit Card. Sanseverinus

monens Pontificem: neminem hactenus collegium Apostolicum condemnasse, tametsi in eo Judas versatus est. Manserunt ergo, sed sine spe egrediendi Italiam et cum facultatibus admodum restrictis. Interventu demum Regis Galliarum a. 1573 prohibitiones sublatae sunt, et ex eo tempore miro modo diffusi sunt Fr. Capucini. Tempore eversionis galliarum numerabantur 31,000. Hodie egregie merentur in 53 provinciis 534 monasteriis et 294 hospitiis. — Anno 1619 Paulus V eos a jurisdictione Conventualium exemit, in ordinem autonomum constituit sub proprio superiore Gen. cui titulus: Minister Generalis Fr. Min. Sti Francisci Capucinorum vel Capulatorum. Cfr. Bullarium Ord. Fr. Min. S. Fr. Capuc. 7 vol. in-fol., continuatio usque ad Leon. XIII, 3 vol. Oeniponte 1883 Carolus (Princeps) de Aremberg: Flores seraphici Col. 1640 et 1642. Kirchenlex. v. Kapuzinerorden.

IIus Ordo-Sororum-Clarissarum. hunc ordinem B. Pater instituit Assisii a. 1212, ejus prima professa fuit Sta Clara (+ 1253; in album SS. relata 1255), unde ordo Clarissarum dictus est. Has sorores S. Franciscus ad vitam regularem viva voce instituit imo et scriptis, regulam tamen non scripsit sed potius brevem "formulam vitae" abdicationem et incapacitatem possessionis jubentem. 1am regulam eis indixit Card. Hugolinus (de quo supra), regulam plane benedictinam, auctam punctis substantialibus formulae vitae, sicque apparuerunt sorores ut Benedictinae strictissimae observantiae. Id earum pietas in B. Franciscum non diu tulit, de ejus enim familia esse et manere avebant, mutatis ergo ad scopum statutis, ea probavit Innoc. IV 6 Aug. 1247. Pauperes Dominae (le povere donne) ordini Minorum inserebantur, participes omnium ordinis privilegiorum subque ejus jurisdictione viverent haec fuit 2a regula. 3a demum agente ipsa Sta Clara ita composita fuit, ut in 12 capitibus responderet omnino ad exemplar Regulae Fratrum. Quarto die antequam ad coelestem sponsum migraret, B. Clara obtinuit approbationem hujus tertiae et perpetuae Regulae ab Innoc. IV, 9 Aug. 1253. Cfr. Seraphicae legislationis textus originales, p. 49 Regula Stae Clarae. Clar. Aquas 1897.

Huc spectant variae Reformationes.

1) Urbanistae mitigatae — Precibus B. Bonaventurae nonnullae Clarissae ab Urbano IV (1261-1264) obtinuerunt duplicem mitiga-

tionem: ne jejuniis perpetuis adstringerentur, et redditus stabiles admittere possent. Verum sorores Italiae et Hispaniae mitigationem non admisere, et consorores suas mitigatas ex contemptu "Urbanistas" vocarunt.

2) Urbanistae strictae observantiae a B. Isabella, sorore Regis S^ti Ludovici, Longicampi (Longchamps) suscitatae, 1255: Ibi primo servarunt disciplinam multo strictiorem ac ipsa S. Clara; sed prompte excessus suos moderarunt, sub approbatione Alex. IV.

3) Clarissae-Coletinae – B. Coleta nata Corbie 1380 + Gandavi 6 Mart. 1447 (vide Act. SS. h. die) zelo paenitentiae animata, sorores suas ad pristinam B. Clarae disciplinam evocavit, probante Benedicto XIII (Petro de Luna). Cum vero galliarum sorores ejus votis minime tunc obsecundarent, transivit in Sabaudiam, demum Gandavum, feliciori successu, ita ut moriens 1447 reformationem florentem videret in 18 monasteriis. Vide ejus regulam in op. cit. Seraph. legis p. 99. Hoc eodem anno 1447. S. Joannis Capistranus rogabat Eug. IV ut eas sublevaret a jejunio perenni, verum multae respuerunt talem mitigationem, imo sorores gallicae ab "Ave Maria" nuncupatae, id superimposuere, ut et toto anno nudis omnino pedibus incederent. Huc demum pertinent Sorores Capucinae quas Neapoli instituit, a. 1538, ven. Maria Laur. Longa et Clemens VIII a. 1600 approbavit; Sorores Alcantarinae, Sorores a Conceptione etc., de quibus cfr. sub his verbis, Helyot. Badiche.

III. Ordo a B. Patre institutus est Cannarae, in Agro Assisiensi, a. 1221, eo fine, ut laici perfectioni et gratiis spiritualibus utriusque ordinis participes efficerentur. Primi hujus ordinis asseclae fuerunt: Luchesius Poggibonzi ejusque uxor Bona, alias Bonadonna, ambo inter SS. relati. Regulam hujus ordinis a B. Francisco conscriptam incunctanter laudarunt Romani Pontifices, eamque solemniter approbavit Nicolaus IV const. "Supra Montem" 18 Aug. 1289, Leo vero XIII postquam christifidelibus summopere commendasset tertium ordinem, litt. encycl. "Auspicato", 17 sept. 1882, antiquam Regulam retractavit, necessitatibusque hodiernis accomodavit, constit. "Misericors" 30 Maj. 1883.

Ex hoc tertio ordine, laicis proposito, mature et viri et foeminae

ad communem et claustralem vitam se contulerunt ibique vota emiserunt (1 domus Romae, 1288), sicque tertius ordo factus est partim regularis. Vivebant hi fere omnes juxta Regulam a Nicolao IV propositam.

Leo X, ut supradixi, novam Regulam paulo mitiorem edixit, cum votis solemnibus, ejusque professores 1° ordini inseruit, unde natus est ordo Minorum Tertiariorum, cum proprio Superiore Generali. Comprehendebat olim 9 Congregationes, hodie supersunt 15 vel 16 coenobia, cum paucissimis incolis.

Inde a Leone X, pressius inde a V Conc. Later., tertius ordo comprehendit 3 classes.

1ª) Tertiarii qui emissis votis simplicibus, communem vitam agunt in monasterio – viri et foeminae – quique regulam antiquam Nicolai IV sequuntur – Huc recte referes ultra 40 Congregationes modernas quae sub illa regula, junctis propriis modernis constitutionibus, militant generatimque operibus caritatis, et pueris erudiendis vacant.

2ª Classis, Italiae propria, cujus membra, virgines vel vidue 40 annum supergressae, habentesque ex propriis unde decenter sustineantur, ex licentia ordinarii, votum castitatis simplex emittunt, habitumque ordinis in saeculo ubi vivunt publicè deferunt. Dicuntur Bizzoche, Zoccolate, latine Pinzoccherae cfr. Bened. XIV. de Syn. lib. IX, c. 15.

3ª classis comprehendit laicos in saeculo degentes.

Cfr. Annales Minorum, quorum 7 priora vol. auctorem habent Luc. Wadding quem varii continuarunt: 25 vol., Clar. Aquic. reliquam literariam suppelectilem vide apud Helyot t. I, p. LXXI, et Heimbucher, t. I, p. 265-271.

C) Ordo Fratrum B. M. V. de Monte Carmelo.

Non semel hi Fratres sibi assumpserunt progeniem immediatam et nunquam interruptam a Propheta Elias. Notissima est immanis disputatio quae circa hanc opinionem coepit, anno 1668, quo P. Papebroek, S. J. edidit in Actis SS. vitam B. Cyrilli (6 mart.) et B. Bertholdi (29 Mart.), quaeque maxime efferbuit, anno 1675,

cum idem Papebrock edidit Acta SS. mensis Aprilis inter quos, die 8, vitam B. Alberti Patriarchae Hierosolymitani, et per 30 annos universam Flandriam commovit, donec 20 Nov. 1698 Innoc. XII utrique parti silentium oeconomicum imposuit: vide litt. apost. in extenso apud Helyot. Bodiche, v. Carmes.

Hodie certe neminem latet, Essenos, per quos sibi viam ad Patrem Eliam struebant, non fuisse christianos, imo nec orthodoxos Judaeos, nec vota emisisse religionis, imo multos ex eis in statu matrimoniali vixisse. Cfr. supra quae de Essenis posui. Aliunde tamen verosimile est, tempore persecutionum, christianos in speluncis Carmeli sibi refugium quaesivisse ibique, aut necessitate, aut religione, vitam duxisse eremiticam. — Demum, veritas historica circa originem ordinis haec habet: In actu obsessionis civitatis Antiochenae, cruciger quidam eques, nomine Bertholdus, filius comitis Lemovicensis spopondit vitam regularem se amplexurum, si cruciferi demum urbe potirentur. Urbe capta, cum decem sociis Carmelum subiit 1170/80, ibique, aedificato aediculo in honorem B. M. V., vitam eremiticam instituerunt. Crescente sociorum numero, secundus superior, Brocardus, a. 1208/1209 a B. Alberto Hierosolim. Patriarcha regulam obtinuit 16 capitulis comprehensam quam Honorius III a. 1226 approbavit, diris quippe saracenorum injuriis lacessiti hi fratres c. 1220 in Occidentem transmigrarunt. Aylesfordii in pago Cantuariensi celebrarunt primum capitulum generale occiduum, a. 1245, ibique Simeonem Stock † 1265 in superiorem generalem elegerunt. Ad ipsius preces, Innoc. IV, in Conc. Lugd. I, 1245, ordinem inter mendicantes numeravit, facta potestate ut ex nunc fratres vitam eremiticam cum coenobitica commutarent, eorumque regulam ex parte emollivit, ut regionis conditio exigebat. Grassante schismate ordo in duas partes abivit cum maximo disciplinae detrimento. Hinc Eug. IV, ut unionem quomodocumque resarciret, regulam mitigatam eis proposuit 1431, eamque nonnulli, caeteris recusantibus, amplexi sunt, sicque ordo divisus est in <u>Conventuales</u> seu mitigatos, et in <u>observantes</u>. — Plures, inter quos praecipue Thomas Connect (Th. Rhedonensis) eloquentia, fortuna, pertinacia, imo et genere mortis † 1433 alter Savonarola, et B. Joannes Soreth 26 Prior generalis veneno sublatus † 1471

Reformationi nanum opposuere (Cfr. Helyot Bad. art. Carme) eam demum perfecit, juvante S^to^ Joanne a Cruce, inclyta virgo b. Theresia 1563, Carmelitarum discalceatorum Mater. Hanc reformationem, quae postea in Congregationes, hispanam et italam, divisa est, probavit Pius IV, 17 Jul. 1565. — Cfr. Acta SS. ad 15 Oct.

Hodie Fratres (mitigati) B. M. V. de Monte Carmelo quinque continentur provinciis non admodum numerosis, earum vicarius generalis residet Romae in coenobio ad St. Mariae Transpontinae.

Fratres excalceati, quibus Clem. VIII, 1593 proprium concessit Priorem generalem, in sex provincias, plurimi eorum missionibus orientalibus insudant, in Palaestina et in Perside.

Sorores B. M. V. de Monte Carmelo quadantenus secundum ordinem constituunt. Quidquid de earum genealogia Eliana, post alios, dixerit Lezana in suis "Annalibus sacris, propheticis, elianis", earum origo valde recens est. Eas quippe ad instar 2^di^ ordinis S^ti^ Francisci et Fratrum Praed. instituit b. Joannes Soreth, institutaque probavit Nicolaus V, 1452. Quatuor priora monasteria hoc ordine, et quidem a b. J. Soreth, erecta sunt: 1° Leodiense, 2° Hoianum (Huy), 3° Rhedonense, et quartum in pago Coets prope Nannetum. Generatim regulam mitigatam Eug. IV (Cfr. supra) professae sunt. Primam reformati ordinis domum erexit b. Theresia, Abulae, sub patrocinio S^ti^ Joseph, mense martio 1563, quam reformationem in Galliam et Belgium invexit sodalis b. Theresiae, Anna a Jesu, circa 1603. Post eversionem Galliarum primam domum restauravit D^na^ de Soyecourt, Parisiis 1815. Harum sororum existebant in Gallia, a. 1901, 109 monasteria, 19 in Belgio, 6 in Hispania, 9 in Lusitania.

Exstitit demum et tertius ordo saecularis, ex Constit. Nicolai V "Cum nulla fidelium" 1452 et Sixti IV "Cum attenta" 1476, ex quo duae Congregationes modernae prodierunt.

D. <u>Ordo Minimorum</u>, qui et ipse tripartitus est et a R. Pontificibus inter mendicantes recensetur, auctorem habuit c. 1460, S. Franciscum a Paula (n. 1438 + 1504) in Calabria. Cfr. Acta SS. ad diem 2 April. ordo apostolica auctoritate sancitus a. 1474, regula vero a 1506 a Julio II iterumque 1560 a Pio IV. Fratres Minimi arctissi-

ma disciplina et duro jejunio Deo militant, cum quarto voto abstinendi semper, non modo a carnibus, verum et a lacticiniis et piscibus. Eorum superiores vocantur Correctores: Corrector generalis. Olim in Galliis frequentissimi; XVI saec. ordo 450 coenobiis fratrum et 14 sororum florebat. Domus matrix hodie est ad S. Andreae della Fratte, supersunt circiter 20 monasteria.

E) Ordo religiosus de Poenitentia, a. 1752 Salamanticae suscitatus a Jo. Varella y Losada. Pius VI constitutiones approbavit a. 1784 et universa privilegia Fratrum Minorum Ordini, aliunde vere mendicanti, contulit. Supersunt 2 coenobia.

§. 5. Clerici Regulares.

Cum saec. XVI Novatores Protestantes fidem avitam moresque christianos (Cfr. Döllinger, die Reformation, passim) depopularent, suscitavit Deus o. m. in praesidium Ecclesiae catholicae varios ordines Clericorum Regularium qui, emissis sane tribus votis solemnibus, attamen parumper a disciplina monachali deflectentes, operibus charitatis, catechizandis rudibus et instituendae juventuti liberiori ratione se devoverent.

1) Cleri Regulares Theatini, Romae, a. 1524, a S. Cajetano (Gaetano da Thiena n. 1480 + 1547) et a Petro Caraffa tunc Theatin. (Chieti, unde nomen Theatini) episcopo, postmodum summo Pontifice (Paul. IV, 1555-1559) instituti, ut reformationi cleri saecularis et populi christiani adlaborarent, quod quidem praeclarus ordo eximie praestitit. Approbati a Clem. VII, 24 Jun. 1524. Cfr. Acta SS. ad diem 7 Aug. Eorum constitutiones vide apud Holst.-Brockie, t. V, p. 342 eas probavit Clem. VIII, a. 1604. (Ex hoc ordine inter alios indicabo S. Andream Avellin, Scupoli, Diana + 1663, Zach. Pasqualigo + 1664, Merati, Ventura di Raulica + 1861. Hodie supersunt 10 monasteria et circa 100 alumni.

2) Clerici Regulares Boni Jesu, quos Hieronymus Maluselli instituit a. 1526, eodem fine quo B. Cajetanus Theatinos. Ordinem approbavit, a. 1551, Julius III; cum autem saeculo sequenti decem tantum religiosi, et quidem sine spe ulterioris incrementi manerent,

Innoc. X, a. 1651, ordinem suppressit.

3) Clerici Regulares S. Pauli decollati — (Barnabitae). Hunc ordinem Mediolani suscitarant tres amici: S. Ant. Maria Zaccaria (n. 1500 + 1539), Bartholomaeus Ferrari, et Jac. Ant. Morigia, anno 1530, ut institutione puerorum, popularibusque missionibus mores civitatis tot bellis depravatos emendarent. Clem. VII, die 18 Febr. 1533 primus ordinem approbavit; dein Paulus III, 1535; constitutiones recognovit S. Carol. Borromaeus et Greg. XIII eas firmavit = Eorum domus dicuntur collegia, eorum superiores, praepositi, scl. locales, provinciales etc. Olim sat diffusi per Europam, hodie occupant circiter 30 collegia, domus novitiatus in Belgio (à Mouscron) sita est. Inter alios praestantes viros in ordine floruere B. Alexander Sauli + 1592, Gavanti + 1638, Niceron + 1735. Quadrupani, Card. Gerdil + 1802 Vercellone + 1869 etc. — Dicti sunt Barnabitae ex antiquo conventu Sti Barnabae quem Mediolani incoluerunt. Constitutiones edidit Holst. Brochie, t. V, p. 449.

4) Clerici Regulares Congregationis Somaschorum. Patrem habent S. Hieron. Aemilianum (n. Venetiis 1481 + 8 febr. 1537) qui eos suscitavit a. 1532, ut curae orphanorum, pauperum et infirmorum vacarent; postea etiam nobilem juventutem in gymnasiis instituerunt. Piam associationem Paulus III a. 1540 ratam habuit, Pius V vero ad dignitatem ordinis cum votis solemnibus et privilegiis mendicantium evexit a. 1568. Eorum constitutiones firmavit Urbanus VIII quas vide Holst-Brochie, t. III, p. 199.

5) Clerici Regulares Societatis Jesu. Beatus Pater Ignatius die 15 Aug. 1534, Parisiis, in monte Martyrum ad Sti Dyonisii cum 6 sociis prima vota emisit. 1540 Paulus III ratam habuit ordinis institutionem. Electo B. Ignatio in Praepositum generalem 18 Aprilis, die 22 a. 1541 socii Romae ad Sti Petri vota solemnia nuncuparunt. Suppelectilem litterariam ad historiam ordinis diligentissime collegit Heimbucher t. II, p. 34-43.

6) Clerici Regulares Matris Dei, quos S. Joan. Leonardi a. 1583 Lucae ad instituendam juventutem et ad alia charitatis opera suscitavit. Piam associationem sub simplici votorum professione admisit 1593. Clem. VIII; Gregorius vero XV, a. 1621 in formalem

ordinem cum votis solemnibus erexit. Ex iis prodiit celebris conciliorum editor Mansi archiep. Lucensis + 1769. Hodie unam alteramve domum retinent in Italia, tres in Belgio: Termondensem, Aldenardensem Eecloven.

7) Clerici Regulares Ministrantes infirmis (Les PP. Camilliens). Anno 1584 B. Camillus de Lellis (n. 1550 + 1614) Romae piam associationem congregavit cujus membra corporali et spirituali curae infirmorum se devoverent. Quam Sixtus V, 18 Mart. 1586, summis laudibus cumulavit atque ratam habuit. Cum porro instituti alumni egregie, maxime de pestiferis, meruissent, Gregorius XIV, 21 sept. 1591, eorum associationem in ordinem formalem, cum mendicantium privilegiis commutavit. Leo XIII S. Camillum una cum Sto Joanne a Deo patronum omnium hospitalium, omniumque infirmorum declaravit jubens simul ut eorum nomina litaniis agonizantium insererentur.

8) Clerici Regulares Minores descendunt a Joan. Adorno, Sto Franc. Caracciolo, et Fabricio Caracciolo Neapoli instituti, a. 1588, Sixtus V eos approbavit, 1 Junii 1588. Eorum domus generalitia est ad aedes Sti Laurentii in Lucina, Romae. Supersunt 9 coenobia.

9) Clerici Regulares scholarum piarum Matris Dei (vulgo Scolopii) a Sto Joseph Calasanctio a. 1597, ad erudiendam pauperem juventutem, Romae instituti. A principio constituebant meram piam associationem; Paulus V a. 1617 eos constituit in Congregationem cum votis simplicibus; Greg. XV, 1622 eos in formalem ordinem erexit a. 1622 cum votis solemnibus, addito quarto voto de cura circa puerorum eruditionem, eorum constitutiones approbavit eosque privilegiis mendicantium auxit. Ex tunc ordo lactissima incrementa habuit, in Germaniam Hungariam et Hispaniam transmigravit. Verum malis artibus cujusdam socii nomine Marius Sozzi ordo ferme ad interitum deductus est, venerabilis fundator nonagenarius inique accusatus, jussu Ri. Pontificis totus ordo inquisitus, Joseph Calasanctius depositus et ordo ad conditionem associationis saecularis redactus est, litt. apost. Innoc. X, 16 Mart. 1646. Cfr. P. Boero, S.J. Sentimenti e fatti del P. Pietrasanta (huic enim inquisitio commissa fuerat). Alex. VII eam restituit in gradum congregationis,

Clem. IX, 22 oct. 1669, in dignitatem ordinis cum omnibus privilegiis olim habitis — Supersunt variae provinciae in Italia, Austria, Hungaria et in America centrali.

§ 6. Aetas Congregationum modernarum.

Nec juvat, nec vacat, in hoc mare magnum intrare, qui plura voluerit adeat: Heimbucher, Op. cit. t. 2, p. 278-466, et P. Braunsberger, S. J. Rückblick auf das kath. Ordenswesen im 19 Jahrh. Herder 1901; satius erit earumdem classes indicasse. Distinguere igitur:

1) Congregationes saeculares. Quarum alumni communem vitam agentes, aut nulla emittunt vota, ut sacerdotes Oratorii, socii S^ti^ Sulpicii, sacerdotes missionarii Jesu et Mariae, vulgo Eudistes; aut unum alterumve tantum, puta paupertatis vel obedientiae quamdiu degunt in societate; vel etiam tria, sed privatim, ie non in manus superioris nomine et auctoritate Ecclesiae acceptantis, ut sacerdotes Missionis (Lazaristes) et bene meritae de orbe terrarum Sorores S^ti^ Vincent. a Paulo. Huc etiam referenda est omnis associatio in qua nemo vota perpetua emittit, adde demum pias sodalitates recentissimas quarum membra in propriis domibus, vel etiam in Civitate vivunt, votis simplicibus obstricta, ita tamen ut nullum sui Instituti signum externum prae se ferant. decr. S. Cgr. Ep. Reg. 11 Aug. 1889. Vermeersch Doc. p. 34. Et ne in errorem inducaris, sedulo nota, parum referre quoad hanc speciem congregationum, utrum a Sede apostolica approbatae fuerint (ut multae de facto hoc sibi meruerunt), necne; approbatio enim sedis Apostolicae non mutat naturam sodalitatis, sed confirmat eam in suo esse nativo nempe ut congregationem saecularem.

2° Congregationes religiosas quae juxta verba clarissima Pii VI et Pii IX constituunt "statum publicae professionis consiliorum evangelicorum, absque votorum solemnitate." Huc igitur pertinent omnia Instituta quorum alumni emittunt: a) tria vota substantialia et quidem perpetua (licet forte, juxta hodiernam disciplinam, non statim ab initio, sed tantum post vota temporaria e. gr. biennalia). b) quae vota emittantur oportet publice, ie in manus

superioris nomine Dei et auctoritate Ecclesiae acceptantis (hoc duplici elemento differunt a Congregat. saecul.). c) quae vota demum sunt tantum simplicia (hoc elemento primo et per se differunt ab Ordinibus).

Innumerae hac congregationes ad tenorem Const. Leon. XIII Conditae a Xto, 8 Dec. 1900, juridice dividuntur in duas classes:

α) Eae quae sunt juris Pontificii, quarum scilicet Apostolica sedes vel leges recognovit, vel institutum commendavit aut approbavit. Horum non nullae, si membra respicias, constituuntur tantum laicis, ut foemineae omnes, ut Congreg. fratrum Sti Joan. Bapt. de la Salle; aliae laicis praecipuae et nonnullis sacerdotibus; aliae praecipuae sacerdotibus et inter ipsas nonnullae v. gr. Clerici excalceati Ss. Crucis et Passionis D. N. J. Chr. (Passionistes) item Clerici SS. Redemptoris tot privilegiis et tanta exemptione donatae sunt, ut dempta solemnitate votorum, fere eodem jure vivant quo Clerici Regulares.

β) Eae quae sunt diocesanae, quae Episcoporum solummodo nactae sunt approbationem.

Caput IV. De essentia vitae religiosae ex positiva legislatione Ecclesiae.

Superius, cap. I, art. 4, declaravimus quid per se necessarium sit et sufficiat ad constituendum statum religiosum in abstracto. Cum autem iste modus vivendi, ubicumque in praxim deduci velit, Ecclesiae moderationi et potestati subjaceat, ulterius nunc investigandum est, quid ex positivis Ecclesiae legibus requiratur ad hujus status naturam juridicam.

Verum haec ipsa quaestio bifariam patet. Quaeri enim potest et debet quid ex legibus Ecclesiae requiratur ad statum religiosum in ordinibus stricte dictis, quid vero in Institutis vota simplicia profitentibus.

Art. I. In Religione stricte dicta.

Vita religiosa hac ratione circumscripta a DD. definitur: Stabilis in communi vivendi modus fidelium sub certa regula ad christianae charitatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus atque solemnibus votis: perpetuae paupertatis, castitatis et obedientiae, ab Ecclesia approbatus. – Explico singula membra. Dicitur:

1. Stabilis vivendi modus – status enim immutabilitatem importat. Cfr. cap. I. art. I.

2. In communi – i.e. cum fratribus et sub communi superiore, seu qd. idem est in familia religiosa cui se tq. membrum tradat, ab ipsaque admittatur. Haec conditio, licet non sit de essentia status religiosi in abstracto considerati, inde a Conc. Lat. IV (1215) positive ab Ecclesia requiritur: cap. Ne nimia 9 De Relig. Dom. III, 36. Hinc eremita, etiamsi tria vota coram Deo emittat et sanctissime servet, quamdiu non vivit sub superiore, minime, in foro externo, inter religiosos connumeratur.

3. Sub certa Regula i.e. lege enunciante et praescribente finem generalem, finem peculiarem et media quibus uterque finis procuretur; cui passim subnexae sunt Constitutiones, tq. articuli ejus organici. – Ubi sedulo observanda est inversa significatio utriusque termini technici: Regula, constitutiones prout agitur de ordinibus Concilio Trid. superioribus vel posterioribus. Antiquis ordinibus: Regula item est ac deter-

minatis modi et mensurae perfectionis quam ordo prosequitur, simul ac mediorum quibus eam attingat — 4 sunt hujusmodi Regulae ab Ecclesia approbatae: S^ti^ Basilii, S^ti^ Benedicti, S^ti^ Francisci et S^ti^ Augustini (improprie, seu ratione fontium). Constitutiones vero determinant singula officia, modum gubernandi, observantias varias. Novi Ordines e contra e voluntate Sedis Ap. compulsi sunt dicere Constitutiones quod antiqui Regulam vocarunt, unde organicos suos articulos dixerunt regulas: Id palam fit ex jure nostro domestico: Summar. Constitutionum, et aliunde Regulae communes, Regulae scholast. sacerdotum, concionator. etc.

4) Ad christianae charitatis perfectionem tendentium — Hic est finis princeps et communis cujuscumque Ordinis. In quo consistat dictum est sup. Cap. I. art. 2.

5) editis votis. — haec verba enunciant causam efficientem immutabilitatis quam status requirit; neque enim necessitate salutis, neque lege externa sed sola voluntate Deo obligata assumitur et modo sufficienti stabilitur hic vivendi modus. Cfr. Epist. Leon XIII "Testem" ad Card. Gibbons 22 Jan. 1899 in qua contra fautores Americanismi vindicat "vota quae ordines religiosi nuncupant" doc. ap. Vermeersch de Religiosis t. 2, p. 209; et ejusdem epist. "Au milieu des consolations" ad Card. Richard, 23 dec. 1900, op. cit. 213.

6) tribus substantialibus: paupertatis, castitatis et obedientiae: Dicuntur substantialia quia inter omnia consilia a X^to^ D. proposita haec tria directe et universalissime concupiscentiam, "charitatis venenum", impetunt — Insuper substantialia dicuntur sensu juridico, quia licet speculative aliqualis vita religiosa forte cum duobus aut cum unico concipi posset, de qua re cfr. Suarez, op. cit. lib. III, c. 7, lib. IX, c. 26, Ecclesia tamen vitam religiosam non admittit nisi haec tria vota emittantur. Non vero prohibet quominus alia addantur: puta votum stabilitatis, inserviendi aegrotis tempore pestis, excurriendi in quamcumque missionem a Sede Ap. assignatam etc. nisi alumnis Institutorum, Normae, n. 102.

7. Solemnibus. — Quo tempore solemnitas votorum primo introducta fuerit, disputant Auctores. Juxta quosdam saec. IV moribus, saec. vero VI lege Justinianea a Greg. I recognita, invecta est (Cfr. supra cap. III, art. 2, § 1 de Virgin.): juxta alios, Conc. Lat. II (1139) sub In-

noc. II = can. 40, Caus. XXVII, q. 1. expresse statuit et confirmavit quod antiquitus, partim consuetudine et acquiescendo, partim imperialibus legibus, inductum est.

Antiqua et celebris est DD. altercatio in assignando discrimine inter vota solemnia et simplicia. Ut autem de argumentis quae afferunt recte judicare valeas, diligenter considera diversam quaestionis positionem apud veteres et apud hodiernos. Tempore scholasticorum et Vet. Canonist. nulla in Religione emittebantur vota simplicia, sed tantum solemnia. Cum igitur viderint votum castitatis emitti solemniter in Religione, et simpliciter privatim extra Rel., ipsi quaerebant qua ratione hoc votum in Religione emissum distinguatur a voto castitatis, privatim extra Religionem emisso; et respondebant: ex eo quod solemne involvit traditionem totius hominis, benedictionem, professionem, susceptionem status immutabilis etc., quae rationes se mutuo complent et adjuvant. Moderni e contra DD., postquam Ecclesia approbavit statum relig. in quo emittuntur tantum simplicia vota, quaerunt discrimen voti solemnis et simplicis quod utrumque in Religione emittitur. Hinc patet quantam confusionem pariant hodierni qui ad hanc novam litem finiendam rationes et argumenta Vi. sine delectu ascribunt.

Positio quaestionis. Cum ex legibus hodiernis Eae constet Religionis vota quaedam esse solemnia, alia simplicia: 1° Explicetur quaenam causa efficiat hoc discrimen (existentia). 2° Quid essentialiter constituat votum Religionis solemne: afferendum erit principium formale quo votum reddatur solemne (essentia). 3° Quo signo solemne votum a non solemni dignoscatur (cognoscibilitas).

Ad 1um: Quodnam sit principium efficiens solemnitatis: Responsio clara et certissima est, nempe: Ecclesiae auctoritas. Ita enim legimus in c. unic. De Vot. et Vot. Redempt. in VI, III, 15 "Nos igitur attendentes quod voti solemnitas ex sola constitutione Eae est inventa", eadem verba repetit Greg. XIII in const. "Ascendente Dno." Tandem Pius IX, const. "Ad universales Eae" 7 Febr. 1862, apud Bizzarri Collectanea S. Cgr. Ep. Reg. p. 862, declarat "Nullam omnino, irritam et nullius roboris fore professionem votorum solemnium, contra constitutionem de servando triennio votorum simplicium quovis modo... factam; quamvis vel a Superioribus, vel a novitiis, vel ab utrisque intentio habeatur, respective reci-

piendi ad vota solemnia et ea emittendi, ac omnes ritus adhibeantur ad professionem votorum solemnium praescripti." Sola scilicet voluntas Ecclesiae, quae nulla ratione suppleri potest, est adaequatum principium efficiens solemnitatis. Unde habes statim responsionem empiricam.

ad 1um: Quo signo solemne v. a non solemni distinguatur, nempe Constitutione Ecclesiae. Hoc modo S. Paenit. a. 1820 respondit Epo Lemovicensi petenti regulam authenticam qua valeret solemnia vota a non solemnibus discernere: nimirum "ea omnia et sola esse solemnia quae ut talia ab Ea acceptantur."

ad 2um seu quaenam sit forma vel perfectio qua praesente votum constituitur solemne, qua deficiente manet simplex. —

Resp. et dico 1o Hanc perfectionem quaeri non posse in ipsa intranea natura voti ut votum est, sed tantum in aliquo extrinsece accedente: ratio est, quia essentia vel species moralis utriusque voti univoce eadem est, eo quod utrumque inducit obligationem religionis vi promissionis Deo factae: unde et transgressio alterutri in genere malitiae, eadem est. Ita c. Rursus 6, qui Clerici vel V. v. IV, 6, " simplex votum apud Deum non minus obligat quam solemne." Cfr. et Suarez op. cit. lib. II. c. 5 n. 2.

Dico 2o. Ex responsione ad 1am quaest. certum est quod perfectio accedens ad speciem moralem utrique voto univocam sicque eam ad rationem voti solemnis coarctans, a constitutione i.e. a lege Eae tq. a sua causa efficienti pendeat. Porro legislativa potestas actum moralem diversificare potest duplici tantum ratione: aut speciales effectus sociales ei tribuendo; aut circa ejus ortum aliquid peculiare exigendo.

Dico 3. Perfectio quam quaerimus non consistit in effectibus juridicis a legislatore voto adnexis, cum sint voto natura posteriores et actui jam in se consummato superadditi, praecipue vero quia hi effectus variabiles sunt manente eadem solemnitate, quod autem adesse vel abesse potest salva essentia alicujus rei profecto ad ipsius constitutiva essentialia non pertinet.

dicunt cum Suarez l. c. c. 10. n. 3. Constitutivum formale voti solemnis haberi in effectibus juridicis non quidem in actu 2o sed in

actu primo consideratis i.e. in efficacia producendi dictos effectus — resp.: hoc effugium videtur mere verbale: nam haec efficacia non est entitas quaedam physica voto insita, sed juridica voto jam consummato superaddita; praeterea haec ipsa efficacia variabilis est, manente eadem solemnitate, (exemplum habes in voto solemn. paupertatis apud Belgas), unde stat integrum arg. modo allatum. Tandem cum nec solemne, nec simplex votum, ut votum est, hanc potius quam aliam habeat vel postulet efficaciam, restat semper explicandum qua mutatione formali facta in voto, hoc obtineat determinatam hanc efficaciam.

Dico 4). Restat igitur ut in ipso ortu voti quaeramus et inveniamus aliquem Ecclesiae interventum quo producatur illa perfectio ratione cujus votum est et dicitur solemne. Hac via manifestum fit, quod jam monuerat Sanchez, In Decal. lib. V. c. I. n. 11, "de solemnitate voti eodem modo philosophandum esse ac de aliis contractibus ac testamentis quae in jure solemnia dicuntur", i.e. quae juxta formas specificas ab ipsa lege praescriptas celebrantur, et in quorum ortu publica auctoritas efficaciter intervenit, unde ipsa actum sic initum in publicam tutelam assumit.

Dico 5) Efficacia interventus publicae auctoritatis, — in casu, Ecclesiae —, ut recte exponit, cujus mentem hactenus secutus sum, B. Nilles de juridica votorum solemnitate, p. 18, non est in mera tolerantia, permissione, testificatione hujusmodi actus, nec in illa publica cura qua libertatem subditorum ineundi actus a lege non vetitos, tuetur, reponenda. Stat e contra hic efficax interventus in actu positivo duplici, et quidem prorsus diverso, scilicet: a) per legem antecedenter determinat formas sec. quas actus ineatur; b) dum initur ipsa per delegatum authorizatum adest et intervenit. Ideo etiam talem actum inviolabilem reddit, eum in peculiarem custodiam assumit et nonnunquam effectibus juridicis donat qui ex natura actus non haberentur — Vide quae habent Vermeersch, op. cit. t. 2. p. 11, et Palmieri opus theol. t. 2. p. 445.

Dico 6) applicando hujusmodi doctrinam ad vota religiosa. Ubicumque Ecclesia actu supremi Magisterii per publicas Constitutiones Apostolicas cujusdam coetus religiosi: Regulam, con-

stitutiones, formam professionis omnibus fidelibus tamquam viam ad Deum et ad perfectionem proponit sicque approbat: et insimul, actu supremae suae auctoritatis, per easdem publicas constitutiones Ap., speciali delegatione assignat superiorem qui ejus nomine et auctoritate professioni intersit et vota emissa recipiat, quae eo ipso in dominium et peculiarem custodiam Ecclesiae transeat, ibi habetur illa formalitas vel perfectio quae ad speciem moralem voti accedens illud solemne constituit. Igitur ubi duae assignatae conditiones verificantur ibi vota emissa sunt solemnia, ubi utraque vel etiam alterutra deest, ibi vota religiosa sunt simplicia. Priori speciei consuevit Ecclesia effectus juridicas adnectere peculiares, neque ex natura voti, neque ex traditione, quae in omni professione adest, profluentes, posteriori speciei minime.

Haec doctrina aperte confirmatur ex Const. Pii IX "Ad univ. E^ae^", cujus verba habes sup. hoc ipso art. Positio quaest. ad 1um. Ecce, in hac emissione votorum adsunt omnia quae ad professionem solemnem ante legem triennii requirebantur: intentio voventis et admittentis simul et rituum observantia, attamen non oritur votum solemne nunc. Cur, nisi quia Auctoritas publica jam non agnoscit hos ritus ut ritus voti quod ipsa in suam tutelam assumat, nisi praecesserit triennium: et quia superiori delegationem ad effectum denegat. Ergo hoc duplici interventu supremae auctoritatis, eoque solo, oritur votum solemne. Ergo hic interventus recte constitutivum formale voti solemnis dicitur.

Obj. In emissione votorum triennii reapse adsunt binae conditiones requisitae: 1° rituum determinatio per Const. Ap. "Ad Univ. E^ae^" et "Neminem latet" 19 Mart. 1857. 2° delegatio apostolica ad vota accipienda, nihilominus vota triennii manent simplicia. Ergo duplex haec conditio non diversificat votum solemne a simplici.

Resp. ad 1um trans. una enim non sufficit, sed requiritur utraque conditio. Ad 2um dist. Superior in casu delegatur ad vota accipienda nomine Ecclesiae nego, id manifestum est ex Const. Piana, nam etiamsi velit, id non potest; delegatur ad vota accipienda nomine Ordinis, Conc. Signum porro evidens, quod Ecclesia vi Const. cit. vota triennii non assumat in suam publicam tutelam, sed tantum ordini potestatem facit ea in suam tutelam privatam assumendi, ex

eo habes quod ordini relinquit facultatem ea dissolvendi cum id opportunum judicaverit. Ex hoc patet cur ad 1um dixerim trans. — Eamdem solutionem adhibeas ad causam votorum Scholast. et. Coadjut. formatorum in S.J. — Ex data resp. affulget utra conditionum potior sit.

Instabis: Saltem vota quae in Institutis juris Pontificii emittuntur non diversificantur a solemnibus duplici conditione assignata. Siquidem: 1) Constitutiones et formulae votorum in his Institutis formali Sedis Ap. judicio approbantur; 2) superiores generales designantur ad vota admittenda; imo 3o ipsa vota in praesidio manent Sedis Ap. quippe quae sola ab iis dispensat. Ergo.

Resp. Hic manifestius adhuc corroboratur allegata doctrina. Etenim coetus religiosi, quorum vota solemnia sunt, approbantur, juxta dicta, via Magisterii positive et publice, coram tota Ecclesia, per Constitutionem seu legem. Cfr. rubric. 2 tit. lib. I. Pariter via supremae Auctoritatis per Constitutionem fit delegatio personae habilis ad accipienda vota nomine Ecclesiae. E contra in approbatione Constitutionum, formulae professionis etc. Institutorum, Magisterium omnino non intervenit, sed pro sua pastorali potestate et via administrativa, recognitas a S. Cgr. Ep. et Reg. Constitutiones, Rom. Pontifex confirmat et approbat; item, eadem ratione, confirmat personam in Constitutionibus designatam pro admissione votorum non quidem nomine Ecclesiae, sed instituti tantum, ut expresse cavetur in Normis n. 101. Porro hac ipsa restrictione — nomine Instituti — Sedes Ap. clarissime innuit quod Ecclesia hujusmodi vota minime in suam peculiarem tutelam et publicam custodiam assumit, ita ut ea quantum per se est tq. inviolabilia defendat. Cujus voluntatis signum etiam exinde habes quod ejecti ex Institutis, lege publica non cogantur redire; nec ejectorum superiores, in eos inquirere, emendationem eorum procurare etc.; nec ejecti, lege publica incapaces fiunt officiorum ecclesiasticorum, quae tamen omnia verificantur de ejectis ex coetu religioso ut supra approbato. Signum insuper ex eo habes quod Institutorum vota Sedes Apostolica ad petitionem alumnorum vel supremi Moderatoris consuevit condonare; tum e contra vota, quae ob interventum Supremae Auctoritatis diximus solemnia, Sedes Apostolica regulariter nunquam condonat. — Quod si tamen, quod

olim stylo S. Cgn. Ep. et Reg. inductum, nunc autem Const. Conditae a Christo" 8 Dec. 1900 juridice sancitum est, Condonatio votorum in his Institutis emissorum, sive ea temporaria sint sive perpetua, uni Romano Pontifici reservatur, inde non legitime infertur Ecclesiam haec vota in suam publicam et positivam custodiam assumpsisse, siquidem ad instantiam partium regulariter superius dispensat; sed infertur recte: Ecclesiam iis praebere tutelam negativam, prohibendo quominus inferior judex vel pastor manus apponat. Unde non stamus in casu *protectionis* sed *reservationis* pontificiae. Cum praeterea, inde ab 8 Dec. 1900, haec reservatio *per publicam legem* votis quae in Institutis juris Pontificii emittuntur connexa manet, recte dices, haec vota aucta sunt effectu juridico peculiari. scl. reservationis. Nec defuerunt in casu Sedi Apost. sapientissimae rationes quarum prima est reverentia ipsi huic Sedi Institutum approbanti debita, dein unitas et firmitas Instituti dum dispensatio ordinariis locorum eripitur, stabilitas alumnorum in sua vocatione, demum exstimulatio zeli et curae superiorum in delectu et formatione novitiorum in eorumque ad professionem admissione.

Unde ad Instant. resp. nego assertum. Ad 1um: approbantur formali judicio, dist. via Magisterii, et per legem publicam nego via administrativa et per decretum privatum conc. Ad 2um superiores delegantur... dist. a suprema auctoritate cum summa potestatis intensitate agente. neg. via administrativa agente subd. delegantur ut agant nomine Eccl. nego, nomine Instituti. conc. ad 3um vota manent in praesidio Sedis Apostolicae: dist. publico et positivo, neg. negativo in quantum Legislator his votis effectum juridicum reservationis Pontificiae adnexuit. Conc. Et nego conseq.

Dico 7. Votis ita solemniter emissis, Auctoritas Eccae speciales effectus juridicos adnexos voluit. Et quidem:

a) Voto castitatis – in religione emisso – tribuit Ecclesia, ut praecedens matrimonium ratum sed non consummatum solvat et subsequens dirimat. Dixi. *in religione emisso*. quia licet votum ordini subdiaconatus adnexum, ex cap. unic. de Voto et V. redempt. in VI, solemne sit, postremum tantum parit effectum, non vero primum. Cfr. Comment. in tit. de Convers. conjug. prae-

tera Bened. XIV. de Syn. l. XIII, c. 12, n. 13.

b) Voto obedientiae tribuit, ut quae ante professionem emissa sint vota simplicia, extinguantur, nempe ministerio juris non interveniente praelati cfr. Gloss. ad c. Scripturae 4 de Voto et V. redemp. III. 34. — Insuper, ut omnes promissiones sive Deo, sive hominibus factae, licet nullo titulo illicitae aut prohibitae sint, a superiore irritari valeant. Consentiunt DD. omnes, vide Suar. Op. cit. lib. II, c. 13. n. 3, irritabilitas tamen haec non sequitur ex essentia voti, ergo habetur e voluntate legislatoris.

c) Voto paupertatis tribuit vim inducendi absolutam dominii incapacitatem: quam vim tamen Ecclesia variis modis temperavit. Quoad antiquiora tempora cfr. quae narrat et exponit P. de Buck in Actis SS. t. 12 Octob. p. 46, n. 67 de Cisterc. saec. XIII°; p. 604, n. 42; p. 630 de S. Dodone et Columbani discipulis, p. 734 not. sub lit. h. Certe S. Francisc. de Borgia ex indulto Pauli III° vota solemnia ita emisit ut infra quadriennium bonis deabdicaret. Tandem notissimum est rescript. Leon. XIII, 31 Jul. 1878 quo confirmavit facultatem 1 Dec. 1820 a Leone XII religiosis Belgii etiam solemniter professis factam: ut tuta conscientia bona acquirere, retinere et administrare deque iis disponere possint, ita ut jurejurando asserere valeant se voluisse ad normam legum civ. verum dominium bonorum a se possessorum acquirere, una cum jure de iis disponendi. Quod indultum, ut novi, post legem gallic. de associationibus 1 Jul. 1901 etiam cum quibusdam regularibus Galliarum communicatum fuit. Ipsum Leon. XIII doc. vide apud Vermeersch, t. 2, p. 80.

Sunt qui praeterea tq. effectum juridicum, omnibus simul votis solemnibus adnexum, assignant earum perpetuitatem. Verum haec immutabilitas quae profecto illis convenit, nobis non videtur effectus a legislatore arbitrarie superinductus voto, sed potius naturalis resultantia illius custodiae et tutelae qua auctoritas publica actus in jure solemnes defendit.

8) Modus vivendi .... ab E^a approbatus. Quae est ultima particula definitionis ab initio positae, et jam explicanda. Quanquam positiva Ecclesiae approbatio non requiratur e natura rerum (cfr. cap. I art. 5 in fine). Quo sensu recte procedunt arg. à Bouix

illata de Jure Reg. t. I, p. 57, exigitur tamen absolute a jure positivo ... inde a Conc. Lat. IV (1215), cap. ult. de relig. Domib. III. 36 ... prohibemus ne quis de coetero novam religionem inveniat... ... de approbatis assumat." Hanc dispositionem innovavit ... aggravavit Greg. X in Conc. Lugd. II (1274) expresse "perpetuae prohibitioni subjiciens" quascumque religiones post Conc. Lateran. IV ... nec a Sede Ap. approbatas, c. unic. de Relig. Domib. in VI, iterum Joan. XXII in causa fraticellorum. cap. Sanctae Romanae. eod. tit. Extrav. Jo., 30 Dec. 1318.

Ex hisce Constit. approbatio ordinum religiosorum facta est causa major, et lex prohibens eorum institutionem sine approbatione ... simul lex irritans.

Porro quae sit intima hujus approbationis natura, ut puto, ex dictis circa formale constitutivum voti solemnis, jam patet. Cfr. si placet Suarez op. cit. lib. II. c. 15. n. 11. Caeterum S. C. C. et S. C. Ep. Reg. ut in causa Instituti charitatis P. Rosmini et in celebri causa Cleric. SS. Redempt. 16 Sept. 1864, apud Bizzar. op. cit. p. 740, pluries declararunt, dictam approbationem non consistere in mera Instituti aut etiam copulative Constitutionum approbatione; sed in formali et authentico judicio (magisterii) quod illa Religio sit licita, honesta, utilis, et facta superioribus illius Ordinis potestate recipiendi nomine Ecclesiae vota alumnorum et sic eos stricte dictos religiosos constituendi.

Art. II. In Institutis votorum simplicium.

Natura vitae religiosae in istis coetibus recte definitur: "Status publicae professionis consiliorum evangelicorum, absque votorum solemnitate". Haec ultima verba: "absque etc." tibi tradunt differentiam specificam; priora autem, elementum genericum utrobique commune.

Dicitur: status publicae professionis: quae publicitas intelligitur juris, nempe ut fideles non privatim, sed in aliqua associatione ab auctoritate ecclesiastica agnita vel approbata perfectionem christianam per tria vota prosequantur; non au-

tem requiritur publicitas facti, ut per se patet. — Reliqua quae in definitione ponuntur, ulteriori expositione haud egent.

Quoad historiam talium Institutorum sciendum est ea circa tempus Concilii Trid. coepisse, nec, ut videtur, magna laude in Ecclesia floruerunt, aut juris favorem promeruerunt prima hujusmodi tentamina. Et sane in celebri sua constit. "Lubricum vitae genus," 17 Dec. 1568, Pius V varia enumerat scandala ex hac vivendi ratione tunc oborta: Quibus permotus S. Pontifex hac ipsa cit. Const. prorsus rejecit et extinxit omnem coetum in quo non emittebantur tria vota solemnia. Insuper omnibus horum coetuum alumnis injunxit: ut infra mensem, postquam Delegatus pontificius has litteras eis significaverit, vota solemnia emittant juxta unam, quam ex approbatis elegerint, regulam. Quod si parere recusent eorum coetus eo ipso suppressi et aboliti habebuntur, personae vero contumaces post annum e domibus ejicientur, excommunicationi ipso facto innodatae aliisque poenis plectendae.

Verum tractu temporis omnino recessum est a tanta severitate, cum ipsa haec ratio vivendi, laetiores tulerit fructus. Imo eousque immutata est hac ex parte disciplina, ut hodie hujusmodi Instituta non approbentur, nisi post ortum suum omnino liberum, per certum temporis lapsum specimen dederint utilitatis quam Ecclesiae afferre possunt, futuramque vim vitalem probaverint.

Jam si quaeras a quo et quomodo dicta Instituta approbentur, sciendum est approbationem concedi aut dioecesanam, aut apostolicam.

§ I. De approbatione dioecesana.

Quod olim usus et consuetudo Episcopis detulerat, id nunc expressa juris scripti determinatione possident, facultatem dico approbandi instituta votorum simplicium in sua respectiva dioecesi. Ita Leo XIII const. "Conditae a Christo", cap. I, n. 1. "Episcopi est quamlibet [illegible] non prius in dioecesim recipere, quam leges ejus constitutionesque cognoverit, itemque probarit

si videlicet neque fidei honestative morum, neque sacris Canonibus et Pontificium decretis adversentur, et in apte statuto fini conveniant". Quoad fieri potest tamen, hortantur abstinere a nova sodalitate condendâ, utilius facturi si jam approbatam advocent.

Licitus approbandi usus certis cautelis a Leone XIII positis circumscribitur: Prohibetur enim Epis omnino a) approbatio Instituti vel domus ubi peregre venientes hospites utriusque sexus, accepto pretio, admitterentur.

b) - item: approbatio sodalitatis quae redditibus careat ad sodalium victum necessariis.

c) prohibetur eis, extra regiones Missionum, approbatio sodalitatis quae certo propriaque fine non praestituto, omnia pietatis et charitatis opera tumultuarie exercenda amplectatur.

d) Cautissime vero, quin imo difficulter approbent, a) instituta quae stipe collaticia vivunt et ab his sedulo observanda dispositio decreti S. Cgr. Ep. Reg. 27 Mart. 1896: non sine licentia ordinarii unde sunt, et ejus ubi quaeritare volunt. — b) mulierum Instituta quorum alumnae aegrotis in earum domiciliis diu noctuque inserviant. c) item mulierum Instituta quae in domo sua valetudinaria aperiunt aegrotis utriusque sexus; vel domos in quibus recipiantur aegrotantes sacerdotes, Sororum cura et opera ... cit. Const. cap. I, n. 3.

Institutum ita probatum quamdiu fines dioeceseos non excesserit manet undequaque in potestate Episcopi, qui illud, justa sane et gravi de causa supprimere, perinde ac ejus constitutiones reformare poterit. Quod si ad alias dioeceses illud propagari contigerit, nonnisi communi consensu Episcoporum, in quorum dioecesi vivit, ejus constitutiones mutari, vel Institutum extingui poterit, licet singuli Epi independenter, in sua quisque dioecesi, domos Instituti supprimere valeant. cit. Constit. cap. I. n. 5. 6.

§. II. De approbatione apostolica.

In approbandis novis Congregationibus Sedes Ap. non praepropere, sed potius cunctando et per varios gradus, ad plenam agnitionem procedit. Processus ipse quem tenet S. Cgr. hactenus sat imper-

fecte cognoscebatur, et nonnisi ex illis paucis verbis quae Card. Bizzarri iis collectoneis S. Cgr. Ep. et Reg. per modum appendicis adjecerat p. 772, aut ex animadversionibus, variis congregationibus approbationem flagitantibus, propositis; aut demum ex operibus auctorum privat. cui poterat, ut ex Ill. DD. Battandier "Guide canonique sur les constitutions des soeurs à voeux simples". Paris, Lecoffre 1898, vel ex opere P. Arndt, S.J. vane male institulato" die kirchlichen Rechts-bestimmungen für die Frauen Congregationen" Mainz, Kirchheim 1901, qui ultimus priorem exscripsit. Verum anno 1901, ipsa demum S. Cgr. Ep. et Reg. codicem edidit cui titulus: Normae secundum quas S.C. Ep et Reg. procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium" et in quo omnia huc spectantia absolutissima et mira perspicuitate declarantur. Hae normae equidem non sunt leges, sed cum S.C. in futurum nulli Instituto approbationem collatura sit nisi juxta has regulas, constituunt ipsae stylum curiae in hac materia, et sic practice idem obtinebunt quod lex proprie dicta.

Jam age juxta normarum tenorem approbatio regulariter per duos gradus procedit quorum prior respicit Institutum ipsum, alter vero, ejusdem constitutiones.

1us gradus: approbatio Instituti.

1) S. Congregatio non apponit manus ad Instituta quae ex intestina sua specialissima conditione nonnisi una domo pro semper destinantur; talis sodalitas natura sua dioecesana manebit.

Neque 2º censetur manum apposuisse quando fundatori alicujus coetus recens nati, operi et intentioni suae adhaerenti benedictionem Apostolicam, nomine S.i Pontificis dat litteras Benevolentiae plenas quibus commendat fundatoris intentionem, aut pii operis scopum; manet scilicet Institutum dioecesanum. C'est une formule de politesse et de charité chrétienne, non point un acte d'autorité. n. 7.

3º In delectu Institutorum quibus favorem impertiatur approbationis, S.C. sequitur omnino regulas et cautelas quas Const. "Conditae a X^to^" Epis quoad approbationem dioecesanam praefixit. n. 8-14. Praeterea Instituta Tertiaria non approbat donec a respectivis Superioribus Generalibus ordinum in proprium ordinem aggregentur. Approbationem vero absolute renuit Institutis eorum quae

sibi assumerent directam curam puerulorum in cunis vagientium; aut mulierum parturientium etc... id generis; perinde ac Institutis duplicibus: i.e. instituto sororum dependenti a simili instituto virorum, aut instituto virorum habenti sibi aggregatum similem sororum coetum quem viri dirigant.

Ubi igitur nulla peculiaris difficultas ex scopo Instituti habetur, ipsum poterit a S. Sede postulare:

1º Decretum laudis — ad quem obtinendum exhiberi debent Sacrae C.

a) Supplex libellus ad S. Pontificem subsignatus a Superiore generali et a suis assistentibus.

b) litterae testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus Institutum domos vel domum habet, exprimentes an et quomodo ab ortu suo Institutum fructus pietatis regularitatis etc. dederit — Observa: juxta instruct. E. Card. Goiti pro tempore praefecti h. S. O., praedictae litterae testimoniales secreto et directe ad S. Apostolicam ab ipsis Epis, mittantur. — Quid portenti, usus in hac materia invexerat, accipe ab Ill. D. Battendier. Annuaire Pontif. 1902, p. 491.

c) relatio qua exponatur Instituti status personalis, disciplinaris, materialis (i.e. indication du nombre des maisons, dans quels diocèses elles sont situées, à quelles oeuvres l'Institut s'y voue) oeconomicus (fortune mobilière et immobilière avec les charges qui la grèvent, les emprunts qui la diminuent, caveat sane sodalitium ut hujusmodi documenta, Patribus tantum S. C. destinata, ad alienas non perveniant manus cfr. Annuaire 1899, p. 401), simulque omnia quae pertinent ad institutionem novitiatus, novitiorum et postulantium numerum, disciplinam, subscripta a Sup. Gen., oeconomo et secretaris generali, cum Epi fide de veritate expositorum, Epi dico loci in quo extat domus princeps Instituti.

d) Constitutiones ab eodem Epo approbatae, lingua latina, vel italica, gallica impressae.

Quae si omnia, a speciali commissione recognita, (vide hujus commissionis, anno 1880 institutae, modum procedendi: Annuaire 1900, p. 477), demum PP. suffragium tulerint, conceditur Instituto decretum laudis hujus tenoris: SS. Dnus n. , attentis litteris commen-

datitiis Antistitum locorum, Institutum, de quo agitur, uti Congregationem votorum simplicium sub regimine moderatricis (cris) generalis, salva ordinariorum jurisdictione ad praescriptum apostolicarum Constitutionum praesentis decreti tenore amplissimis verbis laudat atque commendat."

Decretum dirigitur ex officio ad Epum loci in quo exstat domus princeps, (ita et decretum approbationis Instit. solum decretum approbat. Constitutionum dirigitur ad Superiorem Generalem Instituti).

Hoc decreto igitur Sedes apostolica censetur manus primo efficaciter ad Institutum admovisse, ut cesset esse dioecesanum.

2° Decretum approbationis Instituti — Hic conceditur post factum diuturnum experimentum, vitalitatis, regularitatis, charitatis ad intra, zeli ad extra — De quibus iterum afferendae sunt litterae testimoniales Epõrum, Relatio integra Instituti ut supra litt. c) et remittendae Constitutiones correctae. — Facta disquisitione ut supra dabitur decretum approbationis: eodem tenore ut supra, mutatis tum taliter ultimis verbis, SSmus ... tenore approbat atque confirmat.

Per viam exceptionis — ubi in primo accessu ad S. Cgr. ex parte Instituti omnia perfecte exhibentur — datur, omisso decreto laudis, statim ab initio, decretum approbationis.

2us gradus: Approbatio Constitutionum:

Exhibendus est, cum libello supplici, Codex constitutionum ab Epo approbatarum, lingua latina, italica vel gallica impressarum. Quaenam a textu Constit. sint excludenda cfr. Normae 26-34, quae in ipsis requisita ibid. n. 35. 36.

Rarissime approbantur definitive cum primo S. C. exhibentur ordinarie ipsa procedit per hos gradus, ut sit:

1) Dilatio cum animadversionibus i.e. correctionibus in folio impressis Enicatis — aliquando bis, ter, et ulterius — Qua correctione facta in codice: si fiat nova instantia, sequetur:

2) approbatio ad experimentum: Decreto: "SSmus noster ... constitutiones prout in correcto exemplari continentur, ad triennium vel ad 5ennium per modum experimenti approbat atque confirmat."

3° Approbatio definitiva, decreto authentico, ut supra omissis tum verbis (ad experimentum ...), quod decretum dirigitur ex officio ad

superiorem generalem Instituti.

Hac via separata, nondum clare percepto stylo S. Cgr. Ep. et Reg. vel forte clare definito, per disjunctam petitionem approbationis Instituti prius, et dein Constitutionum processerunt plurimae Congregationes ante annum maxime 1850. Hodie vero S. Cgr. Ep. et Reg. non rejicit cumulatam petitionem approbationis tum Instituti, tum constitutionum, quo in casu hunc fere modum tenet.

1) Ut plurimum cum decreto laudis Instituti dantur etiam animadversiones in folio super constitutionibus.

2) Cum decreto approbationis Instituti dantur juxta casum a) vel novum folium animadversionum, vel b) decretum approbationis Constitutionum ad experimentum, vel demum c) simul cum decreto approbationis Instituti datur et decretum approbationis definitivae constitutionum.

Cap. V. De erectione domorum Ordinis vel Instituti approbati.

Ut ostendimus superiori capite, Ecclesia nec Ordinem hodie nec Institutum approbat, nisi ejus alumni vitam in communi transigant. Porro vita communis impossibilis est sine sede stabili ubi Religiosi tamquam fratres, sub superiore, operibus suae professionis jugiter incumbant. Cohaesione ergo doctrinae deducimur ad quaestionem: Quid jura nostra Religiosis edicant ad sedis, domus vel conventus erectionem legitimam. Claritatis causa juvabit primo loco exponere quid requiratur ad fundationem conventus alicujus Ordinis, dein quid ad fundationem domus cujuslibet Instituti.

Art. I. De erigenda domo Regularium.

Ad dictam erectionem requiritur:

I. Licentia Episcopi illius loci in quo erigenda est domus. Antiquissima est haec regula canonica. Ab initio quidem sufficiebat assensus Epi mere tacitus, sed excessus Sarabaitarum (Cfr. sup. C. III, art. II, § 1 in fine), moverunt Patres Conc. Chalced. (451) ut exigerent con-

sensum Epi expressum can. 4 = c. 10. C. XVIII. q. 2, et c. 12, C. XVI. q. 1. quam legem deinceps concilia particularia frequenter innovarunt ut videre est apud Grat. c. 11. C. XVI, q. 3, can. 12. C. XVIII. q. 2. etc. Quod si Greg. X. c. Religionum, de Rel. Domib. III. 17 in VI, (1274) et Bonif. VIII. c. Cum ex eo, de Excess. Prael. V. 6 in VI (1298) pro Regularibus quibus "per quaestum publicum tribuere victum solet incerta mendicitas" dictam legem immutaverunt in obligationem requirendi licentiam specialem Sedis Ap.; nihilominus Conc. Trid. XXV de reg., c. 3, antiquum jus absolute restituit, universim prohibens ne "de caetero similia loca erigantur sine episcopi, in cujus dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta". Porro cum Trid. exigat licentiam Episcopi, non sufficit licentia Vic. Generalis, vel Capitularis.

De qualitatibus hujus licentiae. — Hoc, quo nunc regimur, jus tridentinum confirmarunt et pressius circumscripserunt Clem. VIII "Quoniam", 23 Jul. 1603, Greg. XV. "Cum alias" 17 Aug. 1622, Urb. VIII "Romanis Pont." 28 Aug. 1634 — prostant simul in extenso ap. Ferrari v. Conventus.

Harum Const. summa est: 1° Revocantur omnia privilegia erigendi domum absque licentia ordinarii loci (Urb. VIII. 1624). 2° Episcopus priusquam licentiam concedat citet audiatque: a) omnes civitatis vel loci superiores, imo et eos qui sunt extra locum ad 4000 passuum. b) et alios interesse habentes, inter quos, non vi Const. cit., sed ex aequitate, canonistae recensent eos saltem parochos qui ex solis spontaneis fidelium oblationibus recipiunt congruam sustentationem cfr. Bouix l. c. p. 263. c) Si nulli regulares hactenus in loco sedem fixerint, citet populum — practice per notificationem futurae erectionis — ut resciat utrum sine gravi praejudicio tertiorum institui valeat conventus in quo 12 regulares commode sustententur. — Veruntamen juxta Greg. XV. Si de hac re Epus aliunde certam habeat notitiam, omni citationi supersedere, et petitam licentiam concedere potest. Qui inde gravati forent, habent remedium appellationis ad S. Cgr. Ep. R. cum effectu suspensivo; ita ut jure irritum sit, quidquid ea pendente attentatum fuerit.

Consensus Episcopi, ob Const. Urb. VIII cit. "nisi de expressa Ordi-

nariorum licentia", sit expressus nempe verbis (melioris probationis causa scriptis), vel factis concludentibus; ut enim in celebri causa Soc. J. cum Ill. Darboy, Pius IX die 26 Oct. 1865 ad dictum Archiep. rescripsit: "non minus id exprimitur quod certis, evidentibus et longa annorum serie continuatis factis exprimitur, quam quod verbis etiam scripto exprimitur". Cfr Acta S. Sed. XI, p. 217. Unde inferes quod moto dubio de praehabito olim consensu episcopali, regulares legitime se tueri poterunt, deficiente alio documento, ipsa praescriptione.

Cum in praesenti materia non agatur de actu ex mera liberalitate, sed ex justitia faciendo, Episcopus profecto assensum suum, cessante justa causa, denegare non potest et contra injustam denegationem Regularibus patet recursus ad S. Cgr. Ep. Reg.

Episcopi consensus requiritur sub poena nullitatis erectionis et consequenter exemptionis, privilegiorum etc., et Superiores non requisita licentia erectionem attentantes plectuntur ipso facto poena privationis vocis activae et passivae necnon officiorum ac inhabilitatis ad illa vel alia in futurum obtinenda. Urb. VIII. cit. Const.

Demum ex stylo S. Cgr. Ep. Reg. iste consensus praerequiritur antequam ipsam adeas pro Beneplacito Apostolico impetrando, secus enim S. C. ex officio supplicem libellum tuum remittet ad Epum "pro informatione et voto".

II. Requiritur Beneplacitum Apostolicum, et quidem ut supra, sub poena nullitatis erectionis etc., privationis etc. pro superioribus.

Obligatio quaerendi speciale beneplacitum Ap. primo imposita est a Greg. X (1274) et a Bonif. VIII (1298) capp. sup. alleg. minime tamen omnibus Regularibus, ut contra Bened. XIV de Syn. l. IX, c. 1, n. 9 invicte demonstrat Bouix l. c. p. 253, sed iis tantum qui quaestuando ex incertis eleemosynis vitam sustentabant. Cum porro Conc. Trid. XXV, c. 3. de reg. omnibus monasteriis tam virorum quam mulierum concessit ut deinceps bona immobilia eis possidere liceret, exceptis domibus Fr. Minorum de Observantia, et Fr. Capucinorum, sequebatur nullum ordinem, hisce duobus excepto, ad quaerendum Beneplacitum ulterius adstringi.

Hanc obligationem pro universis Ordinibus, nullo prorsus excepto, innovavit, celebri sua const. "Instaurandae", Innoc. X 22 Oct. 1652; attamen in sola Italia et insulis adjacentibus, ut patet ex ipso tenore constitutionis, prostat ap. Ferrari, v. conventus, et ex perpetua assertione praecipui compilatoris, Fagnani, in cap. Novum Prius, de Constit. I, 2. Equidem dixerat Innoc. X in cit. Bulla § 5 inf. "Intendimus autem in praemissis, etiam ultra Italiam... prout expedire viderimus, providere", sed aliis curis distentus, antequam huic negotio manus apposuerit, morte sublatus est (1655). Paulo post, quo jure vel colore omnino latet, tribunalia romana, imprimis Rota, coeperunt extendere dispositionem Innoc. X et ad regiones transalpinas imo et ad moniales de quibus ne mentio quidem habetur in Const. "Instaurandae", quae praxis secutis temporibus non modo invaluit sed et praevaluit. Hinc intelliges cur cum Fagnano l. cit. multi DD. negarunt Const. Innocentianam urgere regulares extra Italiam, et cur multi cum Bened. XIV l. cit. dixerint eos ex stylo teneri. Vide Bouix, de Regul. T. I, p. 244-257.

Utcumque haec se habeant, Leo XIII in Const. "Romanos Pont.", 8 Maj. 1881 quam Anglis edixit et deinceps ad omnes fere missiones extendit, sententiam Bened. XIV suam fecit et tq. indubie veram proposuit: "communis sent. est, cui favet passim rerum judicatarum auctoritas, non licere Regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria, aut conventus, sive collegia fundare, sola Episcopi venia impetrata; sed indultum quoque a Sede Ap. facultatem requiri," et hanc communem sententiam, pro regionibus missionum, "tamquam legem" injunxit. Hac igitur ratione agendi Leonis XIII, sententia Fagnani et asseclarum, utut olim logice verior, vulnus lethale accepit, et practice desperata est. Universa enim tribunalia Urbis judicabunt ad tenorem const. "Rom. Pont." quae ex nunc quaestionem dirimit, dum legem, sive incertam certam fecit, sive non existentem introduxit. Cfr. Collect. Prop. fid. p. 158.

In Const. "Instaurandae", quae stylo et assensu Leonis XIII (1881) ad universum orbem extensa est, Innoc. X expresse nominaverat et Societatem Jesu. Ideoque perveniunt ipsi ... privilegia

a Paulo III "Licet debitum" et Greg. XIII "Salvatoris Dni" neque reviaerunt brevi "Dolemus" Leonis XIII (1886) hoc quippe diplomate restituuntur ea tantum privilegia quae "nec a posteriori concilio, neque per posteriorem constitutionem Ap. revocata fuerint."

Denum hoc beneplacitum Ap. conceditur per organum C. Cgr. Ep. Reg. huic igitur porrigendus est supplex libellus et regulariter quidem per manus Procuratoris Generalis respectivi Ordinis Romae commorantis, qui Procurator, si agatur de conventu in Italia erigendo, praevie Sacra C. satisfaciat oportet ad tenorem decreti 23 Febr. 1717. quod legas ap. Bouix l. c. p. 256, vel ap. Ferrari V. Conventus n. 35.

Quaeres 1) Utrum in licentia erigendi conventum Regularibus data comprehendatur facultas aedificandi ecclesiam necne.

Resp. 1) Vis facultatis impertitae in eo est, ut ea obtenta, Regulares legitime in loco stabili juxta leges et regulam sui ordinis vivant, quae vita cultum divinum importat, ideoque necessitatem alicujus ecclesiae ad usum ipsorum regularium, tamquam partis integrantis domus.

Resp. 2) Regulariter pro omnibus, maxime vero pro iis quorum scopus est vita apostolica, in dicta licentia comprehenditur facultas aedificandi ecclesiam quae fidelibus pateat ut oratorium publicum. Quod si Episcopus id nollet dare, requireretur expressa prohibitio, quaequidem sine justa causa canonica fieri nequit, et a qua religiosi legitime appellarent cum effectu suspensivo juxta Const. Greg. XV "Cum alias."

Resp. 3) Si vero non agatur de ecclesia quae cum conventu in unum corpus aedificii coalescit, sed alias in civitate, in praedio rustico aedificanda etc., tunc utique opus erit nova et speciali licentia Episcopi. Cfr. Archiv. f. k. KR. t. 26, p. 130.

Quaeres 2) Utrum dictae solemnitates etiam observandae sint in mutatione, ampliatione, reaedificatione, translatione et recuperatione conventuum.

Resp. generalis negativa est, nisi talis mutatio, etc. de facto aequivaleat novae fundationi, vel specialia jura tertiorum laedat specie vero

resp. quoad mutationes quibus aut nova et diversa domus destinatio induceretur, utputa mutando coenobium in collegium vel vicissim; aut priore usu retento nova causa adjiceretur, vgr coenobio collegium externorum, juxta Const. Leonis XIII "Rom. Pontif." in locis missionum, requiritur sicut in prima fundatione utrumque beneplacitum. l. c. p. 158. Neutrum vero si agatur de conversione, quae, salvis fundationis legibus, referatur duntaxat ad internum regimen et disciplinam regularem: ut ecce cum tyrocinio adjicitur collegium studiorum pro solis sodalibus, vel unum in alterum mutatur.

resp. quoad ampliationem mere materialem domus ipsius nulla solemnitas requiritur, bene vero si sermo sit de ampliatione formali et materiali per inductionem novae causae, puta adjiciendo ecclesiae scholam, ut dictum est modo. Neque in reaedificatione ejus quod erat hic et nunc in pacifica possessione.

resp. quoad translationem, si fiat de loco (intellige: civitate oppido) in locum, cum haec sit vera fundatio nova, solemnitates profecto observandae sunt; secus, juxta consentientem DD. doctrinam si tantum varietur situs in eodem loco, ita et S. C. C. pluries, ap. Ferrari, l. c. modo tamen aliis Regularibus non inferatur grave praejudicium et deferatur privilegio cannarum (de hoc infra) quo forte gaudeant. — Nota: pro alienatione domus derelictae requiritur utique beneplacitum Ap.

resp. quoad recuperationem domus quae olim ad eos spectabat. Distinguendum utrum ipsi domum hanc olim libere et sponte sua dereliquerint, necne; in priori casu liber eorum dicessus aequivalebat cessioni juris, ideo hodie, dum redire volunt, novum jus sibi quaerant oportet. In posteriori casu, qui hisce temporibus infaustis frequentior est dum regulares injuria suis sedibus pelluntur, profecto violentia jus non adimit, ideoque iis manet. Ubi tamen violentia tanto tempore praevaleret ut interea circumstantiae penitus mutarentur non possent successores expulsorum passim sine ulla nova licentia sibi domos erigere in civitatibus in quibus olim eorum familia residebat. Quam cautelam iis quae Bouix in favorem Regularium disputat. l. c. p. 364-370 censeo apponendam. Cfr. etiam P. Piat, de Jure Reg. t. II, p. 280. quaer. 20.

III. Requiritur determinatus numerus religiosorum.

1° Ex Trid. XXV, c 3 de Reg. requirebatur "ut in praedictis monasteriis... is tantum numerus constituatur... qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari".

2° Greg. XV. Const. cit. "Cum alias" ulterius determinavit ut "de caetero monasterium cujuscumque ordinis, etiam mendicantium non erigatur nisi in eo saltem 12 religiosi inhabitare, ac ex redditibus et consuetis eleemosynis sustentari valeant.

3° Urbanus per decretum S. Cgr. Ep. Reg., 21 Jun. 1625, dispositioni Gregorianae hoc adjecit temperamentum: aut sint 12, aut si pauciores domus visitationi correctioni, jurisdictioni Episcopi maneat subjecta. Unde non illico prohibita est erectio conventus deficiente duodenario numero, sed non erit formatus i. e. amittit beneficium exemptionis de quo infra.

4° Haec disciplina duravit usque ad diem 1 Martis 1714 qua S. Cgr. E. R. declaravit exemptos conventus in quibus 6 sustentantur religiosi, et iterum eadem S. Cgr. "decrevit et declaravit Epum posse visitare solum quando actu non adsint 6 Religiosi" ut videre est apud Bizzarr. Collect. cit. ad ann. 1741, p. 357. Nec abludit Leo XIII, Const. Rom. Pontif." asserendo: Jure communi constitutum est, ut domus, quae sodales religiosos 6 minimum non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant."

5° Tandem in Anglia, in Scotia et in aliis missionibus, ad quas hodie extenditur dicta Const. "Romanos Pontif.", domus erigi possunt ubi terni, bini, interdum singuli commorentur religiosi, et quidem cum beneficio exemptionis. Coll. Propt. jid. p 153-154.

IV. Requiritur certa distantia a domo aliorum Regularium.

1) Et sane conveniens distantia ex natura rerum postulatur ne religiosi diversi ordinis ex nimia propinquitate sibi mutuo importabilem generent servitutem.

2) Verum ulterius quidam ordines fruuntur privilegio "cannarum", (Canna = 2m 23) ut scilicet nullus Ordo aedificare valeat intra spatium determinatum certo numero cannarum. Ita mendicantes gaudent generatim 140 cannis; Fratres Minores et Capucini 300 (669m ideali mensura

per aeren). Ut assolet, nonnulli impetrarunt privilegium prioris destitutionem, quo filii aedificant "non servata cannarum distantia". Imo recte quaeres quid, in nostris populosis civitatibus, tale privilegium hodie utilitatis conferat, vivit tamen hodieque, ut Patres Capucini experti sunt in causa Faventina contra Fr. Minores Obser. 12 Aug. 1853, apud Bizzar. 625 – Lege hanc causam in qua exponitur praxis S. C. E. R. quoad erectionem hospitiorum (gite, pied-à-terre). Cfr. P. Piat, t. 2, p. 284.

3) Juxta communiorem DD. sent. hoc privilegium non obtinet in translatione conventus ex uno situ in alium ejusdem loci. Fallit tamen haec regula quoad Fr. Praedicatores et Minores, horum enim privilegia expresse prohibent accessum aliorum infra distantiam 140. resp. 300 can. "etiam in casu translationis."

Observa: Domum regularium semel canonice erectam, juxta vigentem disciplinam, Episcopus supprimere non potest. Hoc jus Sedi Apost. reservatur; manet etiam in potestate ipsius ordinis, modo solemnitates in respectivis constitutionibus et in jure com̄ ratione alienationis praescriptae observentur – quoad Soc. J. vide Const. Part. IV. junctis decr. 20. Cgr. XX, et decr. 28, Cgr. XXIV.

Quaeres: An et quaenam solemnitates observandae sint in erectione conventus Monialium.

Resp. Requiritur licentia Episcopi vi c. 3 sess. XXV de Reg. Conc. Trid. Patres enim expresse loquuntur de monasteriis virorum et mulierum.

Requiritur beneplacitum Ap. tum quia praxis, hodie stabilis, Const. "Instaurandae" Innoc. X ad moniales extendit: tum quia requiritur interventus Sedis Ap. ad erectionem clausurae papalis sine qua regulariter non conceduntur mulieribus vota solemnia. Nec obstat huic assertioni, ut sentit P. Vermeersch, t. 1. p. 41. Causa Ruremond. Ursulinarum, ibi enim agebatur de monialibus sede et patria pulsis. Ideoque Patres respond. dilata: vide causam Act. SS. t. 27, p. 631. De hac re cfr. Analect. Jur. Pontif. t. III, 167-250; Bizzarri, p. 615, 634.

Requiritur "ut is tantum numerus constituatur qui ex redditibus vel consuetis eleemosynis commode possit sustentari." Trid. s. XXV, c. 3 de Reg. quod iterum inculcavit S. Pius V "Circa" 29 Maj. 1566. Porro iste numerus ex Const. Greg. XIII, 30 Dec. 1572 taxari debet ab Epo una cum Superiore regulari quem habeant. vide Bizzarri p. 207 [illegible]

S. Cgr. Ep. Reg., decreto generali 6 Sept. 1604, statuit ut si quae supra numerum taliter statutum reciperentur, tenerentur dote duplici quae 400 scutatis = (2140 f. aestima juxta an. 1604) nunquam inferior sit perpetuoque supranumerariae permansurae ap. Bizzar. p. 241. — Patres Conc. Amnicae lat. voluerunt ut in illa regione conventus possit continere et alere 12. vide t. 1. huj. conc. n. 139. Juxta praxim S. Cgr. Ep. Reg. "duo ex tribus partibus sint choristae, tertia vero Conversarum." 27 Cpr. 1855. ap. Bizzar. p. 637.

Art. II. De erigenda domo alicujus Instituti.

1. Requiritur licentia Episcopi, sive Institutum sit tantum dioecesanum, sive etiam sit juris pontificii. Et sane id secum fert natura verum, si attendas modum quo istae Congregationes nasci consueverunt. Id etiam, indirecte saltem, jure Tridentino, XXV, 3 de Reg., exigebatur; siquidem prohibebat quominus "loca similia" monasteriis Regularium sine licentia Episcopi erigerentur. Sed quid illis similius, nisi conventus Congregationis?

Id demum expresse statuit Const. Leonis XIII "Conditae", 8 Dec. 1900: a) pro Institutis dioeces. cap. 1. n. 2: "Domus nulla novarum sodalitatum justo jure fundabitur, nisi annuente, probante Episcopo. b) quoad Instit. jur. pont. c. 2. n. 3: Episcoporum sunt jura, in dioecesi cujusque sua permittere vel prohibere novas domos sodalitatum condi, nova ab illis templa excitari, oratoria seu publica, seu semipublica aperiri." In qua licentia concedenda Episcopus sequatur regulas prudentiae sibi hac eadem Constit. cap. 1. n. 2 assignatas; attamen liber est a solemnitatibus Art. I hujus cap. enunciatis. Cfr. Normae. n. 272, 305.

II. Beneplacitum Apostolicum requiritur

1) ut domus erigi possit in locis missionum, Normae 306.

2) in Institutis jur. pont. pro erectione novorum novitiatuum, et pro translatione existentium novitiatuum ex uno in alium locum. Normae 271, 272. Item pro translatione sedis moderatricis generalis (maison mère). l. c. et ita jam a multo tempore "Animadversiones" ut videre est ap. Bizzar. p. 777. n. 15; 779, n. 4; 783, 8; 784, n. 7 etc. etc.

Observa: Ex const. "Condita", quoad Congreg. dioeces. Epi possunt supprimere domus quisque in sua dioecesi; imo, gravi de causa, totam sodalitatem, ex unanimi consensu. Non autem possunt supprimere domum Instituti a S. Sp. approbati; nec Superior generalis sodalitatis id valet sine praevia approbatione S. Cgr. Ep. Reg. Normae 271, 272.

Appendix. — De erectione provinciarum.

Haec ordinum temperatio, cujus inter Superiorem Generalem, centrum totius ordinis, cum jurisdictione immediata in singulas domos et in unumquemque religiosum, et superiores locales, ut Priores in domo ejusdemque regionis, nationis vel linguae, staret medius quidam Superior ex una parte generali subditus, ex altera vero universae cuidam regioni cum potestate ordinaria praepositus, orientalibus monachis, imo et S. Patri Benedicto erat incognita. Variae Congregationes reformatae ad instar Cluniacensis eam aliquomodo praeformaverunt, sed reapse a Mendicantibus invecta est. Ut enim superius cap. 3 exposui, inde ab anno 1217 b. Franciscus cum capitulo generali universum ordinem in 12 provincias distribuit; similiter b. Pater Dominicus in capitulo Bononiensi 1221 suam familiam 8 provinciis constitutam voluit.

Unde vides ab initio hujusmodi divisionem factam fuisse sine interventu Apostolico, quem hodie communiter necessarium dicunt DD.; sane ex assentiente doctrina et stylo SS. Cgr. potius quam ex aliqua lege juris scripti. Argumentum a S. Peat allatum T. 1 p. 619 non videtur efficax.

E contra in Congregationibus modernis, vi ipsarum Constitutionum, erectio provinciarum fieri nequit sine Beneplacito Apostolico, ut ex animadv. et Normis n. 271, 272.

Cap. VI. De Ingressu in Religionem.

Art. I. De Vocatione.

Tametsi praesens quaestio de Vocatione proprie a Moralistis et a Scriptoribus asceticis ventilari debet, juvabit tamen [illegible]

dum hic delibare potius quam pro merito quaestionis funditus examinare. Ceteroquin principia superius tradita in Cap. 1, lucem non modicam afferent ad recte discernendum valorem argumentorum quibus doctores in hac materia digladiantur, asserentibus nonnullis omnem Christi discipulum, hoc solo titulo, vocari ad vitam religiosam: aliis e contra contendentibus: neminem citra culpam se ingerere in talem vitae statum, nisi speciali vocatione a Deo compellatur.

Utraque sententia videtur nobis nimium affirmare, veritatem autem in medio consistere, distinctione facta inter statum perfectionis, quo quis praeter praecepta unum aliudve consilium evangelicum amplectitur, et statum religiosum prout historice e Xti consiliis enatus est, et sub determinata forma vivendi in communi hunc vel alterum finem peculiarem prosequitur.

Et sane universis regni sui subditis Christus Dnus consulens et invitans consilia evangelica proposuit, hancque rationem vivendi bonae voluntati christianorum citra obligationem commendavit. — Hinc si rem in abstracto consideres, posita hac Christi invitatione, quilibet fidelis in abstracto aptus natus est ad consilia sectanda; imo et in concreto, si fidelis quidem gratia praeventus, voluerit adimpletioni praeceptorum adjungere observantiam alicujus consilii, modo id cum officiis aliunde legitime susceptis componi possit, nulla prorsus ulteriori Dei vocatione indiget, sicque, ad perfectionem vitae ita intellectam, omnibus christianis praesto est Dei vocatio, in qua subaudiuntur gratiae actuales et auxilia necessaria promissa et oblata, quamdiu christianus fecerit quod in se est.

Hoc profecto, verum hoc tantum, evincunt argumenta quae fautores 1ae sententiae magna cura e Scripturis et Patribus collegerunt. Cfr. Fr. Piat: Praelectiones Jur. Regul. t. 1, p. 35 et praecipue P. Vermeersch, De Religiosis t. 2, p. 19-57. Universi enim illi "Traditionis ecclesiasticae testes irrefragabiles" Piat, l. c. loquuntur pure et simpliciter de consilio virginitatis, independenter a peculiari consideratione: utrum solum, utrum cum aliis consiliis, utrum in vita Cni, utrum seorsim observari velit: ulterius unanimiter inveniuntur, occasione verbi illius Dni, "qui potest capere capiat", virgi-

nitatem esse in potestate omnis conantis, petentis, laborantis, nec fato quodam vel praedefinitione absoluta et antecedenti quosdam destinatos fuisse ad virginitatem, alios minime. Contra fatalismum et dualismum, contra malesanas exceptiones licentiarum, cas- tam tuentur veritatem. Nomine omnium audiatur B. Hieronymus. Commentar. in Matth. XIX, v. 11: "Nemo putet sub hoc verbo (qui potest capere capiat) vel fatum, vel fortunam introduci: quod hi sunt virgines quibus a Deo datum sit, aut quos quidam ad hoc casus adduxerit: sed his datum est, qui petierunt, qui voluerunt, qui, ut acciperent, laboraverunt. Omni enim petenti dabitur, et quaerens inveniet, et pulsanti aperietur." Simili modo exponunt, in eadem materia, verbum B. Pauli I. Cor. VII, 7: "unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic." h.e. ait B. Ambros. Commentar. in h. l. unusquisque juxta votum suum donum Dei habet, ut, si velit, ipsius munere Dei, possibilitatem consequatur. Ideo non debet aliquis constringi, (in scopum auctoris recogitantis forte matres mediolanenses filias a praedicatione sua abstrahentes, ne illectae, sanctum virginitatis propositum, amplecterentur), ne a licito prohibitus, illicita admittat, sed ipse sibi eligat quid sequatur."

Huc omnis eorum argumentatio recidit: Cogitas ex gratia Dei de virginitate colenda: liber es, nemo jure te prohibere poterit, nec timeas illa verba sacrorum librorum: "qui potest capere" "unusquisque proprium donum habet", modo vere velis, et ex hac seria voluntate ad orationem ad laborem confugias: Deus tibi non deerit, non enim a priori te exclusit ab hac pulchritudine virtutis.

Jam quisque videt, ultra mentem Patrum, ex hac peculiari et verissima doctrina, esse assertum DD. Qui inde affirmant: juxta SS. unusquisque absque alia vocatione aptus natus est ad statum religiosum <u>prout in concreto</u> nunc existit.

Imo, verius dixeris, Patres in hac re aliter sensisse, ut constat ex eorum dictis, quibus supra probavimus cap. II. arg. 2. Originem divinam vitae religiosae. Etenim constanter affirmant: Christum ipsum discipulos suos in duplicem ordinem reduxisse: vitae communis et Angelicae philosophiae. Porro si X^tus antecedenter et absolute voluit duplicem statum in sua Ecclesia, <u>noluit omnes in unico</u>, ideoque neque

omnes ad eumdem vocavit.

Cfr. 1) Ex eo quod doctrina haec videtur, contra ea quae tenemus in materia necessitatis gratiae ad actus salutares, omnia demum in voluntatem naturalem, praelucente doctrina Xti, refund ere. Sed electio talis status est profecto actus salutaris. Ergo pendet a gratia, ab illuminatione dico et inspiratione Spiritus Sti, quae habet etiam suam aurorem et meridiem. Et ecce tibi, velis nolis, vocationem externae superadditam. Nemo enim venit ad me, nisi Pater traxerit eum. Quis autem in hanc arrogantiam venit ut dicat, gratias praevenientes a liberrima manu Dei omnibus eadem ratione distribui?

Hinc theologi qui schemata Concilii Vatic. pararunt, rectissime dixerunt "Dominus N. J. Chr.... praemonstravit in suo Evangelio statum perfectionis quo ii, qui Deo vocante capiunt verbum istud.... et infra: "Quamvis igitur non omnes vocati sunt ad hanc rationem"... Coll. L. c. Concil. t. 7, col. 575, 576 quem modum loquendi tenuit et Leo XIII in sua epist ad card. Gibbons 22 Jan. 1899 " nam qui a Deo vocati sunt illud sponte sua amplectuntur," supponit igitur non omnes vocari. Cfr. Declar. S. Cgr. Ep. R. apud Bizzar. p. 242 § fin. — Quinimo ad absurda descenderet haec theoria proprio suo pondere: quaero enim, quo pacto Ecclesia authentico et infallibili suo judicio canonizare, et consequenter tq. exemplar virtutum fidelibus proponere, posset sanctos qui in vita communi Deo servierint: quippe qui vocationi divinae in delectu status vitae non acquievissent. Ad haec: Non loquimur de "gratia vocationis" respectu status communis, sed respectu status altioris perfectionis. Quis autem dicet omnes homines vocatos esse ad statum altiorem? Tunc enim ipse hic status esset status communis, ut recte argumentatur P. Hurter Comp. theol. edit. 10, t. 3, p. 77.

Malo omine hi DD. adstipulatorem suae sententiae traducunt Angelicum Praeceptorem II. II. 189. Qui versatur contra Guillelmum de Sto amore in quaestione prorsus aliena: " Utrum sit laudabile quod aliquis religionem ingrediatur absque multorum consilio et diuturna deliberatione praecedente?" — hisce scilicet cunctationibus osores vitae religiosae sperabant se posse mutare juvenum propositum 1) non agitur de praerequisita vel non vocatione divina sed de deliberatione humana. 2) non respondet Angelicus magister, ut hi

D.D.: omnes vocati sunt, ergo non est opus deliberationis: sed, ut supra fecimus, solerter distinguit inter abstractum et concretum. Quoad prius scilicet: statum religiosum esse meliorem prae communi; vires unde status sustineri possit esse a Deo – nullam admittit deliberationem, id enim ex doctrina Xti clarum est. Quoad posterius in concreto i.e. " Circa modum ingrediendi religionem et quam religionem aliquis ingredi debeat et de talibus potest, ait, haberi consilium cum his qui non impediunt."

Igitur ad amplectendam religionem in concreto requiritur deliberatio, i.e. inquisitio ad quid Deus Dominus tibi dedit talentem i.e. vocationem. Cum enim quilibet homo a parte rei praeditus sit dotibus vel etiam defectibus personalibus; in determinata versetur conditione sociali, etc., et aliunde ingredi debeat religionem omnino determinatam puta contemplativam, activam vel mixtam: negandum omnino non est, requiri ex parte candidati dotes. Circumstantias exteriores, motionesque divinas huc potius quam in oppositum inclinantes. Haec bona et dona interna et externa, naturalia et supernaturalia animae bonae voluntatis divinum erga se beneplacitum manifestant, et haec omnia simul sumpta gratiam vocationis constituunt, cumulum dico gratiarum potius quam entitativam quamdam et specificam gratiam – Utrum ulterius talis vocatio dicenda sit specialis, non vacat disputare, cum sit petitio principii in ipsa quaestione supponente omnes hões vocari ad vitam religiosam

Concludimus igitur omnem christianum, vi illius generalis invitationis qua Christus Dominus consilia commendavit, habere motivum sufficiens unde sub motione gratiae actualis prudenter se determinet ad adjungendam praeceptis conciliorum observantiam, modo conciliari possint cum officiis aliunde legitime susceptis; et sic aliquid deferimus auctoribus prioris sententiae – Verum cum ex una parte Christus illa generali propositione nullam determinatam instituit religionem cum fine particulari: contemplativo etc., cum obligatione vivendi in communi, et aliis id generis; ex altera vero parte Ecclesia hodie nullam admittat vitam religiosam, nisi transigatur in communi, sub certa regula, cum fine particulari etc.: aestimamus fideles in illa generali propositione Christi non invenire motivum sufficiens quo frup

positive determinent ad electionem in concreto peragendam, nisi praeterea accedat indicium aliquod beneplaciti divini — Jamvage liberalis Dei providentia hoc suum beneplacitum homini indicat, partim externe: ipsismet donis, bonis, occasionibusque exhibitis; partim interne: dum scilicet motio Spiritus S^ti allicit et inclinat ad peculiarem perfectionem quam iste ordo potius quam alius ut finem proprium sibi praestituit, vel alia denum eumque ratione illuminans et ad peculiare vitae religiosae genus attrahens. — Hunc porro cumulum donorum exteriorum et motionum internarum, quae, ex divina providentia circa nos, ad generalem Christi propositionem accedunt, simpliciter vocationem dicimus: sicque etiam secundae sent. extremae aliquid deferimus.

Ab hac tamen sententia distamus, quia nec admittimus aliquam specificam et entitativam gratiam quae regulariter vocationem inducat, nec concedimus praedefinitiones divinas absolutas quae in hac positione subaudiuntur, nec demum censemus eorum argumenta, quae P. Piat recitat t. 1, p. 33, utcumvis assumptum vincere.

Displicet sane 1um huj. sent. fundamentum ex divina providentia omnia in ordine naturali, et ideo a fortiori in ordine supernaturali quoad unumquemque praeordinante.

id enim videtur petere quod in quaestione versatur. Concedo Deum omnia praeordinare quoad entia irrationalia, ea ratione qua ea determinavit ad unum. Item concedo assumptum quoad entia rationalia: respectu finis ultimi, respectu elevationis ad finem supernaturalem, imo etiam respectu mediorum ad finem, prout ipse Deus a priori determinavit fi[...]em ultimum sup. assequibilem duplici via: mandatorum scilicet et consiliorum: Quod autem Deus, (abstrahendo ab exceptionibus praedefinitionum absolutarum ut v.g. in Beatissima Virgine M.), a priori determinavit, quinam per mandatorum, qui vero consiliorum viam ambularent, id vehementer nego, donec probetur. Et sane eo quod Deus harum viarum alteram declaravit omnibus necessariam, alteram vero bonae voluntati — "si vis" — commendavit, sufficienter declaravit se hominem etiam in hac electione reliquisse "in manu consilii sui". A fortiori hominem liberum reliquit ut in via consiliorum incederet juxta hanc vel aliam for-

nam individuam quam varii ordines religiosi sunt amplexi.

Displicet et 2m fundamentum ex verbis Christi et Apostolorum. Si dicas: Paucos tantum Christus ad vitam perfectam invitavit: Respondeo vocatione expressa, sensibili, et quidem ad Apostolatum immediatum, conc. quid autem vocatione interna praestiterit quis enarrabit, aut quis auderet hoc vocationis genus negare: Lege quae sapientissime docuit B. Pater Ignatius in libell. Exercitior. de tempore triplici ad faciendam sanam electionem.

Si afferas e Script. textus: "Non vos me elegistis"... etc. Joan. XV, 16: Nec quisquam sibi sumit honorem sed qui vocatur a Deo tq. Aaron" Hebr. V, 4. — Respondeo hujusmodi loca non facere ad rem nostram: in priori enim agitur de apostolatu immediato; in altero vero, de summo sacerdotio.

Alia S. Script. verba: "Qui potest capere capiat" Matth. XIX, 11, 12. "Unusquisque proprium donum habet ex Deo" 1 Cor. VII, 7. — minime adjuvant propositum tuum, tum quia 1) ibi tantum sermo sermo est de virginitate, et quidem absolute in se, sine relatione ad vitam r̃em, et alia quae complectitur connexus status religiosus, tum quia 2) haec verba necessario accipienda sunt sec. vim et potestatem quam juxta unanimem Patrum interpretationem fundant — quos recte allegat Vermeersch, t. 2, p. 27 — Sensus enim est, illud posse vel donum Dei, non pendere a praedefinitione divina quosdam ad virginitatem deputante alios minime; sed fieri nostrum si volumus conari, orare et cum gratia oblata laborare.

Quod si ingeminet verba Dñi: "Quis volens turrim aedificare non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt?" Luc. XIV, 28 — Dilata quaestione, utrum ibi sermo sit de nostra re; et accepto verbo Dñi, prout generalem prudentiae et circumspectionis in agendis regulam enunciat, tibi assentio quidem, modo simul des christianum audita invitatione generali Christi, ex gubernatione divinae providentiae et ex motione Sp. Sti habere motivum sufficiens ad prudenter eligendam religionem, quin opus sit aliqua peculiari, specifica, entitativa, vocationis gratia.

Cum denuum asseris: "Unum graviter peccare si Religionem ingrediatur sine clara vocatione: Respondeo; id multiplici ex-

plicatione elucidandum foret, interim dico: requiritur ea claritas qua candidatus videat se nullo motivo peccaminoso duci, secus peccaret pro vario gradu hujus malae fidei. Requiritur ulterius ea claritas qua videat electionem suam, perpenso fine suo ultimo, perpensis verbis Xti, propriis qualitatibus et inclinationibus in finem peculiarem hujus ordinis sibi esse prudenter convenientem, Conc. Requiritur ulterius quaedam objectiva vel subjectiva claritas proveniens ex aliqua motione directa et entitativa Dei, dico, haec per viam exceptionis dari potest, ut vitae quorumdam sanctorum manifestant Conc. ex regulariter requiritur secus peccat, nego, modo adsit illud judicium prudens ex providentia Dei naturali et supernaturali deductum. Cfr. libell. exercit. S. P. Ignatii de tempore triplici rectae elect. faciendae.

Antequam praesenti quaestioni finem imponam restat ut auctoribus prioris sententiae singulare quoddam argumentum cui multum fidunt eripiam. Est autem hujusmodi: "Diu in Ecclesia viguit disciplina ut parentes monasteriis offerrent filios etiam antequam isti usum rationis haberent. Jam autem his pueris cum puberes effecti erant a monasterio discedere fas non erat, sed per ecclesiasticas leges in eo vitae instituto, cui semel addicti erant manere cogebantur. Quae Ecclesiae praxis aliter explicari ac justificari nequit nisi dicendo „necessariam non esse specialem vocationem." Diaphr. Siat l. c. p. 36, n. 4. Cfr. Vermeersch, op. cit. t. 2, p. 46 γ.

Resp. 1º Quoad factum. Oblationes puerorum ut vitam regularem a tenerrima aetate addiscerent et in ea profecto ad finem usque vitae perseverarent, nulla legislatio, sed pietas fidelium ferme ab monachismi exordiis invexit. Hujus rei indicia habentur vel in ipsis vitis Patrum. Cfr. etiam S. Hier. epist. 22 ad Eustoch. n. 35 ubi de coenobitis "Vinum tantum senes accipiunt quibus cum parvulis saepe fit prandium ut aliorum fessa sustentetur aetas aliorum non frangatur incipiens."

Cfr. et peregrinationem S. Sylviae edit. Geyer, p. 49, ubi sermo est de episcopo civitatis Arabiae primo monacho qui "a pisinno" (f. a piscina baptismali, rectius ut mihi videtur a pusione) in monasterio nutritus est, et ideo aut tam eruditus in scripturis est, aut

tam mendatus in omni vita sua." Utrum autem tunc temporis pueri, puberes semel effecti et contra voluntatem paternam reluctantes, nihilominus cogebantur ad permanendum sub jugo vitae religiosae; non constat. Verosimilius est, nullam in hac re firmam fuisse praxim, sed casus incidentes solvebat pro sua auctoritate monasterii praepositus, prout in Dno judicaverint; certe nulla ecclesiae Romanae legislatio ante Greg. magnum in hac parte exhiberi potest.

Sanctus Basilius monachorum orientalium legifer Pater, has puerorum oblationes sapientissimis cautelis circumscripsit, ut videre est in ejusdem Reg. 15 interfusius tractatas P. gr. t. 31. col. 951, ibique n. 4 constituit, ut as hujusmodi orphanis vel oblatis professio tunc emittatur, cum id per proprium judicium prudenter et rationabiliter ipsimet praestare voluerint" sed qui in virginitate vitam agere non vult (hoc etenim unicum emittebant sub Basilii disciplina votum), is, tamquam qui res Domini curare non valeat coram testibus dimittatur". In epist. 2. ad Amphilochium S. Basilius can. 7 determinat aetatem professioni aptam, scilicet 16 annum completum vel 17. Cum porro Regula S. P. Basilii omnibus aliis praevaluit et per totum orientem invaluit, fatendum est Ecclesiam orientalem non agnovisse praxim de qua in argumento allato. Cfr. Concil. Trullan. can. 40. P. gr. t. 137, col. 651.

Restat igitur ut ad occidentem nos convertamus. In istis autem regionibus pueros Christo fuisse dicatos, non modo ante usum rationis, sed et ab incunabilis, ex utero matris, quin immo ante conceptionem, testes adsunt S. Hieronymus in Epist. 127 ad Laetam (403) n. 396. P. L. t. 22, col. 870, 873, in Epist. 128 ad Gaudentium (413) n. 2, ibid. col. 1096; Salvianus loquens de "ab incunabilis monacho" advers. Avaritiam lib. V, c. 4. P. L. t. 53, col. 192 (vide ibidem notam Steph. Baluzii ad hunc locum) et iterum, ibid. col. 209; S. Caesarius Arelat. P. L. t. 67. col. 1103, in suo Arelatensi virginum coenobio admittens puellas oblatas. Utrum tunc temporis pueri oblati cogebantur permanere sub regula monachali, etiamsi reluctarent in aetate pubertatis, non constat, imo constat prorsus oppositum. Caesarius obiit 542, porro a 527 Conc. Tolet. II expresse statuerat, ut oblatorum, cum 18 annum attigerint, voluntas coram tota ecclesia perscrutaretur, nempe ut jam S. Basilius ordinaverat vide can. 5. D. XXVIII. Cfr et epist. S. Leonis ad Rusticum script. 458/459 = c. 8. C. XX. q. 1.

Certum e contra est S. Patrem Benedictum hanc obligationem puerorum induxisse, nam in Regula circ. an. 530 scripta, reg. 59 "Si quis forte de nobilibus offert filium suum Deo in monasterio, si ipse puer minori aetate est parentes ejus faciant petitionem quam supra diximus (i.e. cap. 58, professionem expressam, promittentes pro filio stabilitatem, conversionem morum et obedientiam) et cum oblatione ipsam petitionem et manum pueri involvant in palla (tobalea) altaris, et sic eum offerant" P.L. t. 66, col. 839, lege ibi cumulatissimum commentarium. Et hac ratione quod hactenus ambiguum erat, in firmam disciplinam familiae Benedictinae transivit. Cum deinde Regula S. Patris per plura saecula omnes Occidentis monachos sibi contribules fecerit, ut quasi Regula unica et per antonomasiam invaluerit, ista cum pueris oblatis agendi ratio, in tota Europa recepta est. Nam epist. 50 S. Greg. I qua prohibet admissionem puerorum ante 18 annum, P.L. t. 77, col. 513 (apud Grat. caus. XX, q. 1. can. 5. "quia diversa", ann. 591) contemplat. casum extraordinarium in insulis Italiae adjacentibus. Disciplinam a filiis S. Benedicti invectam et propagatam his verbis sancit Conc. Tolet. IV, c. 48, ann. 633 apud Grat. l. c. can. 3. "Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit alligatum (forte, allegatum) tenebit. Proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum et omnes ad saeculum interdicimus regressus." Apud Germanos quorum jus publicum multum personali deferebat libertati, usus praedictus, ut videtur, contradictores nactus est. Nam consultationi S. Bonifacii: "Utrum liceat eis (scl. pueris vel puellis in infantiae annis a parentibus monasterio oblatis) postquam pubertatis impleverint annos egredi et matrimonio copulari" S. Gregor. II, anno 726 respondet "Hoc omnino devitamus, quia nefas est ut oblatis a parentibus Deo filiis, voluptatis frena laxentur" P.L. t. 89, col. 525, n. 7 — apud Grat. l. c. can. 2 "addidistis", ubi vide et alios canones, ut Conc. Triburiensis ann. 895, ejusdem tenoris.

Nec diffitendum, hujusmodi institutum aliquando laetos tulisse fructus, quamdiu scilicet viva fides et sincera in Deum charitas parentes ad oblationem filiorum induxerunt. Et sane ut de S^to Placido taceam, oblatos monachos agnoscimus S. Bedam, S. Willibrordum, S. [illegible], [illegible], Ludolphum, S. Bonifacium (Winfridum), magnum Hirsaugiensis congreg. fundatorem Gulielmum † 1091. Quod

si taceas penes te cogitas: esto, sed haec praxis fons est et causa et origo damnationis plurimorum qui invite in monasteriis detenti in deterius ruunt: Non improbabili retorsione tibi respondebit Commentator Regulae S. Bened. l. c. col. 845: " aequius dixisses, haec praxis fons exstitit, causa, et origo salvationis plurimorum, et plane multo plurium qui in saeculo, mundi corruptelae participantes, aeternam damnationis poenam incurrissent.

De his sentiat quisque prout voluerit, quos autem hoc institutum fructus tulerit cum, intepescente fide, parentes e filiis " si quis eorumdem claudus, aut mancus, surdaster aut caecus, gibbosus aut leprosus, vel aliud quid hujusmodi quod eum aliquo modo saeculo facit minus aptum, hunc quidem impensissimo voto, ut monachus fieret, offerebant Deo", graphice describit Udalricus in Epist. nuncupatoria quam praefixit collectioni consuetudinum Cluniacensium P. L. t. 149, col. 635, laudansque Willelmum. Hirsaugiensis Congreg. fundatorem quae nullos pueros oblatos admittebat, non veretur affirmare " certus sum illam te radicem funditus exstirpasse ex qua sola praecipue omnia sunt monasteria destructa quae destructa sunt, vel in Teutonica vel in Romana lingua". Ecce tibi ultimum et quidem acerbum hujus instituti fructum.

Mirum igitur nemini videbitur si prudentiores viri hanc consuetudinem, vel emollire, vel etiam de medio auferre studuerint. Et sane Carolus magnus id tentavit suis capitularibus P. L. t. 97. col. 284, n. 14, verum in celebri concilio Aquisgranensi 817 in quo magnas partes habuit S. Benedictus Anianensis — vide ejus mentem in Concordia Regul. P. L. t. 103, col. 1302 — id tantum obtinuit Ludovicus imperator ut " in aetate intelligibili " pueri donationem suam ratam haberent." P. L. t. 97, col. 387, n. 36. Reg. monach. n. 87. Prostat etiam apud Grat. Caus. XX, q. 1. can. 10, incerti auctoris, probabilius ex c. 23 concilii Mogunt. an. 813 " Illud statuendum esse censemus..., ut 15 anno a praelatis moniti inquirantur, utrum in ipso habitu permanere cupiant... sin autem ad saecularem habitum reverti voluerint, redeundi licentia nullo modo denegetur, quia satis inutile est ut coacta servitia Domino praestentur." Alii hoc remedium excogitarunt ut pueros oblatos non admitterent ante annum 10 vel 12, Reg. S. Aureliani cap. 47. P. L. t. 108. col. 1309 nec ultra 14. Conc. Tolet. X, 656 = can. 1, 3, 1, c. 20. q. 2. Congregationes reformatoriae familiae Benedictinae, saec. X et XI enatae, hoc institutum cum

Cluniacensibus sic temperarunt ut puer in tempore oblationis induatur tum cuculla" et de caetero benedictio ejus differtur usque ad legitimam aetatem, idest, si amplius, vel usque ad quindecim annos aetatis... sicut alii novitii profitetur, sola cuculla non benedicitur." Consuet. Cluniac. P. L. t. 149. col. 742. Insuper "Pueri qui sunt in conventu nostro non ultra senarium protendunt" ibid. Verum et hic infimus numerus plurimis Congregationibus nimius visus est, et ad exemplum Congr. Hirsaugiensis institutum "radicitus exstirparunt" in Prolog. ita Cistercienses, Carthusiani, Gilbertini, Carmelitae, Praemonstratenses etc. etc.

Demum Sedes Apostolica pondus suae auctoritatis adjecit, decernens, ut his ce pueris, cum ad annos pubertatis devenissent, libera optio relinquatur, ita Alex. III, Clemens III, Caelestinus III. vide cap. 11, 12, 14 de Regularib. III. 31.

Resp. 2. <u>Quoad facti interpretationem</u>. a) indirecte. si factum hujusmodi Ecclesia tolerare non potuit, nisi in suppositione vocationis omnium ad vitam religiosam; quaero: quo jure Ecclesia servis denegabat jus ad professionem religiosam, invito hero; ita ut, si nihilominus professio secuta fuerit, monachus domino erat restituendus? Dices: quia laedabatur jus naturale. Optime sane, militabat tamen ex alte jus divinum vocationis ex opposito; cur Ecclesia non conciliavit in servo monacho utrumque jus, perinde ac in servo, renuente domino, ad sacros ordines promoto: hunc quippe non reddere sed redimere jubebat Ecclesia. Ulterius quaero: stante tua interpretatione, quo pacto Ecclesia publica sua auctoritate, Cfr. cap. 2. de Regul., indiscriminatim patrifamilias potestatem fecit irritandi professionem filii impuberis, cum proculdubio, sicut alios malitia, hic Spiritus S^ti^ gratia poterat supplere aetatem? Cur demum si vi generalis X^ti^ propositionis omnes ad "vitam religiosam" vocantur fundatoribus ordinum publicam pariter fecit potestatem proponendi impedimenta dirimentia, vi quorum multi ab ingressu repelluntur. b) directe. Egregie justificatur Ecclesiae tolerantia in hac materia, quin ad fucatam vocationem omnium recurramus. Ipsa enim pia mater, nec voluit, nec potuit una die immutare jus publicum populorum quos in sinum congregabat suum: recogita conditionem servorum, potestatem pa-

triam in nuptias filiarum. Salvis supremis et necessariis principiis moralitatis, ubique terrarum plurimum semper detulit juri publico quo gentes vivebant, eique illi, sub cautelis allegatis, pro posse suo accommodavit: cujus signum manifestissimum habes in modo quo jus consuetudinarium agnovit. Jam age, antiquum jus Romanum tantum parentibus in filios tribuebat dominium, ut jus vitae ac necis in istos haberent, summaque urgente necessitate, possent eosdem tamquam servos, sine spe redemptionis, divendere." Quamquam autem, ut monet Benedict. XIV. De synod. lib. VI. c. 3, n. 2. Christiani imperatores abnormem hanc potestatem in multis coercuerint, facultatem tamen parentibus reliquerint, de suis liberis quamdiu essent impuberes, pro arbitrio disponendi, excepto tantum mortis et servitutis negotio."

Quam igitur potestatem moribus publicis agnitam invenit Ecclesia sapiens permisit, toleravit, ut in honorem Christi exerceretur donec experientia demonstraverit malos, rei bonae, exitus, quibus compertis, hanc potestatem patriam fregit et coacta Dei servitia sustulit. Eodem sane spiritu, in negotio consimili scripsit S. Greg. Mag. S. Augustino anglorum Episcopo "In hoc enim tempore sancta Ecclesia quaedam per fervorem corrigit, quaedam per mansuetudinem tolerat, quaedam per considerationem dissimulat atque portat, ut saepe, malum, quod aversatur, portando et dissimulando, compescat." P. L. t. 77, col. 1191.

Art. II. De ingressu clericorum et virorum non conjugatorum.

Omnibus lege non prohibitis licere per se ingressum in Religionem, manifestum est: ideoque nulla licentia per se ad id requiritur. Qui enim a lege spiritus ducitur "nulla ratio exigit ut a publica lege impediatur", can. 2. C. XIX. q. 2. Ita quidem in abstracto, in concreto casu tamen obsistere possunt quaedam impedimenta, insuper ut sanctitati hujus status consuleret et tumultuarios ingressus arceret, Ecclesia ab ingredientibus dotes positivas requirit. Unde:

§ I. De impedimentis.

Impediri quis potest quominus vitam religiosam suscipiat: a lege naturali, vel a lege ecclesiastica, vel a jure privato determinati cujusdam ordinis sive instituti: minime vero a lege civili per se incompetenti in hac materia, imo, teste historia, ipsimet societati civili nocitura dum prohibitiones statuit. Vide epist. Leon. XIII ad Card. Richard, 23 dec. 1900, n. 6 sq.

I. De impedimentis juris naturalis quo arcentur:

1) ob defectum rationis: infantes, idiotae, amentes.

2) " defectum expeditae libertatis: servi absque consensu domini; infantes impuberes, absque consensu parentum, can. 2. C. XX, q. 2, cap. 8, 11 de Regular. III. 31. Filii vero familias hoc consensu non indigent, quia electio status vitae est factum personale.

3) ob officium cum vita religiosa incompossibile: conjugati, de his remissive, item illi quibus incumbit obligatio sustentandi parentes i. e. patrem, matrem, filios non emancipatos in gravi necessitate versantes, vel obligatio liberandi se ab aere alieno. Hanc obligationem satisfaciendi praecepto naturali justitiae, priusquam viam consiliorum quis aemuletur, sic temperavit Ecclesia: professionem eorum qui aeris alieni vi ingenti premuntur, irritam fecerat Sixt. V "Cum de omnibus" 26 Nov. 1587, sed nullitatem sustulit Clem. VIII "In suprema" 2 Jun. 1602, sola prohibitione contentus. Utrum dicta prohibitio extendatur etiam ad eos qui solvendo perpetuo sunt incapaces: negant fere unanimiter DD. Suarez, Lugo, Lacroix, Schmalzgrub, Sanchez, Pellizz., St Alph.; affirmat, cum paucis, Bouix, de Jur. Reg. t. 1, p. 536 quinto... "quia Sixt. V non distinguit."

II. De impedimentis juris ecclesiastici:

1) Constitutionibus proxime allegatis, invalida primo (Sixt. V) dein illicita (Clem. VIII) declaratur professio eorum, qui ad ra[tiones] reddendas tenentur — "si prudenter timetur lis aut molestia" — secus juxta DD. non arcentur, cum haec sit ratio prohibitionis ab ipso legislatore expressa — Nomine vero administrationis intellige: tum publicam (trésorier général, chef, directeur etc d'un service public financier, industriel, commercial, etc.), cum privatam, ut ecc: tutela,

depositarii executoris testamentorum. — Poenae: Regulares et eorum superiores talem personam recipientes privantur voce activa et passiva, officiis, gradibus, honoribus dignitatibus et in futurum incapaces sunt ad ea obtinenda. Ita Sixt. V l. c. has poenas Clem. VIII innovavit.

2) Publice criminosi (cfr. Santi, Jus decretal. lib. III, tit. 6, n. 11) rei scilicet homicidio, latrocinio, simonia et aliis similibus vel gravioribus, aut de his criminibus suspecti, unde poenam infamantem incurrerint, vel ne incurrant formidandum sit. — Dixi: publice nec sufficit (excepto homicidio) sola publicitas facti, nisi simul publicitatem juris attingat: puta, quia coram judice accusati, vel judicialem inquisitionem experti sunt ante susceptionem habitus. Quod si tamen accusatus vel inquisitus juridice innocens declaratus fuerit, quidquid sit de ejus culpa coram Deo, non excluditur. — Poenae, ut sub n. 1.

3) Clericus ordinatus cum titulo Missionis, ad S. nove in Instr. S. C. de Prop. Fid., 27 Apr. 1871, eo quod juramento perpetui servitii in Missionibus sit adstrictus, absque venia Sedis Ap. in Religionem ingredi non potest. Collect. S. C. Prop. Fid. p. 400, n. 1149.

4) Episcopus residentialis confirmatus. cap. 10 Nisi, de Renunt. I, 9, juncto cap. 18 Licet, de Regul. III, 31, ingredi nequit absque expressa Romani Pont. licentia: quia bonum commune praeferendum est commodo privato, ubi non potest subveniri communitati salvando utrumque. Alias rationes vide in cit. capp. et cfr. St. Thom. II, II. 185, IV. Igitur invalide ageret.

Quaeres: Utrum perinde ac Episcopus licentia indiget Romani Pontificis, ita etiam clerici inferiores, licentia proprii Episcopi.

Resp. negative. Ita enim sensit antiquitas. Leges post S. Greg. I ad Desider. Archiep. Vienn. P. L. t. 77, 1243, Concil. Tolet. IV sub S. Isidoro a. 633, cujus verba innumera concilia deinceps approbarunt, ita ut habeamus regulam canonicam a publico Ecclesiae Magisterio promulgatam: "Clerici qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopo in monasteria largiri oportet ingressus" etc. unde can. 1. C. XIX. q. 1, consonat can. 2. Caus. XIX. q. 2 (forte Urbani II)

"Quisquis hoc spiritu ducitur, etiam episcopo suo contradicente, eat liber nostra auctoritate."

Ita senserunt, post S. Th. II. II. 189. VII, summi theologi quos recenset N. Nilles: selectae disput. academ. fasc. I, p. 54-72. Idem tenuerunt canonistae inde a Gratiano, vide ejus dictum ad can. 1, C. XIX, q. 1, usque ad Bened. XIV, qui hanc quaestionem pro sua amplissima doctrina ventilavit, et pro sua auctoritate suprema finivit in favorem libertatis clericorum, Brevi "Ex quo" 14 Jan. 1747 ad Card. Quirinum Brixiens. episc. hoc tandem Episcopo concedens, quod jam insinuaverat Innoc. IV, Commentar. ad cap. 18 de Regul., ut scilicet, peracta semel professione, religiosum revocare possit, si ex apse ob ejus discessum ecclesia "gravem sustineret jacturam". Recte tamen monet "hujusmodi juris prosecutionem... non facilem esse, eo quod clericus tueri se valide possit, hac una exceptione adducta, quod inter illos plerosque sit" qui nisi omnia reliquerint salvari apud Deum omnino non possunt." Haec verba sunt Greg. I in epist. ad imper. Mauritium P. L. t. 77. c. 665. — Hac eadem ratione S. C. C. et S. C. Ep. R. causas hujusmodi frequentissime judicarunt, decreta etiam conciliorum provincialium reformarunt quibus haec libertas negabatur vel imminuebatur. — Unde censurae quas Episcopus in transeuntem ediceret, ipso jure nullae forent.

Dices: ast quomodo talis doctrina cum promissione obedientiae in die sacerdotalis ordinationis praestitae conciliari potest?

Resp. Illa promissio reverentiae et obedientiae fit sec. leges publicas Ecclesiae, porro hae ipsae leges clericis faciunt libertatem transeundi. Ergo.

(Quaeres 2°) Utrum clericus Religionem ingressurus, tametsi licentia Episcopi non indiget, eam nihilominus petere teneatur.

Resp. 1) Observa hanc rationem agendi nec irrationabilem esse, nec insolitam in jure, cfr. v. gr. cap. Licet. 18, de Regul. quoad transeuntem ad strictiorem religionem, et const. "Superna" Clem. X. § 3, de petenda benedictione a Regularibus cum in propria ecclesia praedicare intendunt. edit. Trid. Richter. Schulte p. 547; in his et similibus casibus, non agitur de jure penes superiorem quaerendo, sed de honore ei deferendo.

Resp. 2). Veteres negabant quoad non curatos, e contra affirmabant: parochum etc., ex aequitate naturali et caritate, teneri monere episcopum, quam sent. firmavit Bened XIV cit. Brev. "Ex quo dilectus." Bullar. Ben. XIV. t. 2, p. 169.

Resp. 3). Hodie omnino necessarium est, ut clericus transiturus ad Religionem, Episcopum adeat: nam, vi const. Pii IX "Rⁱ Pontifices" 25 Jan. 1848, apud Bizzar. p. 831, nemo admitti potest absque testimonialibus. Quoad ingredientes Congreg. votorum cfr. Normas n. 58. De privilegio Societatis J. in hac materia — remissive, cfr. Comp. Priv. n. 422.

Quae hucusque diximus de libertate clericorum extendenda sunt, quidquid sentiat D. Icard, Praelect. S. Sulpitii vol. II, 3ª edit., n. 460, ad ingredientes Instituta votorum simplicium, ut S. Cong. Ep. Reg. expresse declaravit in una Pinaroliensi ad 2, 21 Jul. 1837, ap. Bizzar. p. 429; ratio enim S. Congr. universalis est: "ne impediatur vocatio ad statum perfectiorem." Cfr. Bouix, t. 1, p. 548; Battandier, Guide canonique, 3ᵉ edit. p. 350. — E contra: de hac libertate pro transeuntibus ad sacerdotes S. Sulpitii, Oratorii, Eudistas, et Missionis recte dubitaveris, vel etiam eam negaveris, eo quod hae associationes, juxta const. Alex. VII "Ex commissa", 22 Sept. 1655, sint "de corpore cleri saecularis."

Non magis audiendus idem D. Icard, op. cit. n. 459 vers. fin. dum asserit: Episcopum posse, etiamsi non intercesserit explicita promissio, impedire pro semper, vel ad determinatum tempus, quominus religionem ingrediatur clericus qui sumptibus dioecesis educatus est. Imo nec audiendi, qui hanc sententiam emollientes Episcopo, in casu, dant potestatem disjunctivam: vel impediendi clericum ab ingressu religionis, vel certe cogendi eum ad refectionem expensarum.

Poterit sane Episcopus, non quidem sua, sed apostolica auctoritate fultus, a) has conditiones in tabulis fundationis seminarii apponere, poterit b) eas imponere iis qui publice educantur, ante eorum admissionem in seminarium, ut Romae fit in collegio Germanico, Anglo, Piano etc., tunc profecto clericus susceptae obligationi stare tenetur, nam religiosum statum amplecti est tantum de consilio, contractum vero servare est de praecepto. c) demum, ob eandem rationem, Episcopus jure recusabit transitum clerico qui fueretur

bursa a fundatore instituta cum hac expressa conditione futuri servitii dioecesani.

Alias vero, clericum publice educatum, Episcopus titulo expensarum impedire omnino non poterit. Ratio est, quia ad mentem Conc. Trid. sess. XXIII. cap. 18 de ref. clerici omnes, publice, id est ex bonis ecclesiasticis educari debent. Atqui clericis taliter educatis jura concedunt facultatem transeundi ad statum perfectiorem. Ergo. Et hac de causa superius dixi, Episcopum non posse sua auctoritate, sed tantum ex venia Apostolica, conditionem restrictivam in fundatione seminarii apponere, jus publicum sane immutare nequit.

Neque poterit Episcopus transeuntem clericum ad resarciendos sumptus cogere, aut ante ordinationem sacerdotalem servitium dioecesanum v. gr. quinquennale, sexennale sub poena restitutionis exigere, ut rem expertus est Episcopus quidam Bavariae in celebri causa sex diaconorum quam refert fasc. I. cit. p. 120 P. Nilles. — De his lege Bouix op. c. t. I, p. 551, sq., praecipue vero, cujus doctrinam exposui, P. Nilles, fasc. cit. p. 91-122. Cfr. etiam varias resol. S. C. C. apud Richter, p. 213, n. 15-27.

III. Impedimenta ex jure proprio singulorum Ordinum vel Institutorum.

Haec impedimenta enumerantur in respectivis Constitutionibus uniuscujusque Ordinis, vel in Bullis R. Pontificum singulis Ordinibus privative concessis. — Ad haec igitur documenta candidatus respiciat oportet. De impedimentis in Soc. Jesu, agit examen, et Lib. I. Constit.

Sufficiat adnotasse: impedimenta hujusmodi generatim dividuntur in duas classes: in substantialia nempe et non substantialia. Porro citra omnem controversiam, quotiescumque substantialia auctoritate R.i Pontificis statuta vel ab ipso approbata fuerint, reddunt admissionem ingredientis nullam; ita ut obstanti tali impedimentum non suffragentur privilegia Ordinis, et subsecuta professio, si contingat eam attentari, prorsus sit invalida. — Quoad reliqua substantialia, tanta auctoritate non roborata, profecto theoretice minime spernenda est sent. P. Suarez, op. cit. lib. VI, c. 5, n. [illegible] negantis validitatem professionis subsecutae in casu: rationem affert:

professio est contractus, contractus autem, alterutrius contrahentium consensu deficiente, oriri nequit; porro statuendo impedimenta substantialia Religio eo ipso denegat consensum. Aliter tamen habet praxis S. C. C. quae talem professionem, utut illicitam, validam pluries declaravit, vel certe, superiorem taliter professum ejicere non posse, nisi servata forma Trident. sess. XXV, cap. 19 de Reg. - decisiones vide ap. Richter, p. 423, n. 4, 6.

Institutis modernis, cum Sedis Ap. approbationem ambiunt, praescribitur, ut duplex genus impedimentorum, accurate distinctum, constitutionibus inserant. Dispensatio super impedimentis prioris generis reservatur S. Sedi, super aliis, Moderatori Generali cum suis consiliariis. Vide Norm. n. 60-62 ubi enumerantur casus S. Sedi reservandi.

§ II. De positive requisitis ad ingressum licitum.

Praeter exemptionem ab impedimentis modo enumeratis, ut quis licite religionem ingrediatur, requiruntur:

I. Aetas competens.

1) Jure Decretalium nulla aetas taxatur. Concilium porro Trid. ex una parte, sess. XXV. c. 15 de Reg., declarat irritam omnem professionem ante 16 annum completum et praevium annum integrum probationis emissam, aliunde c. 16 ejusd. sess. statuit ut "finito tempore novitiatus, superiores novitios aut ad professionem admittant aut eos a monasterio ejiciant." Hinc, in Religionibus quae unico anno novitiatus contentae sunt, juvenes (de puellis infra) ante 15 annum expletum ad habitum admitti nequeunt - salvis privilegiis. Id etiam declaravit decreto auth. S. C. Ep. R. die 16 Maj. 1675 ap. Bizzarr. p. 274.

2) Clemens VIII const. "In suprema" 2 April. 1602 pro receptione conversorum taxavit annum 20, scilicet inchoatum, sed S. Cgr. super statu Regul. cit. an. 1675 pro iisdem requisivit annum 20 completum sub poena, contra aliter admittentes, privationis, ipso facto, vocis activae et passivae, amissionis omnium dignitatum et inhabilitatis ad eas etc., sed de mandato Pii IX, 19 Mart. 1857, eadem S. Cgr. restituit dispositionem Clementinam, ap. Bizzarr., p. 855. Fallitur ergo S. Oswald, Commentar. in Const. S. J., p. 39, dum in fide

D. Craisson, Manuale totius Jur. Can. n. 2658 generaliter affirmat: prohibitionem recipiendi conversos ante 20 annum in desuetudinem abiisse.

3) Societas Jesu ex privilegio sibi facto a Bened. XIV "Exponi nobis" 30 Jan. 1753 recipere potest eos qui 14 inchoaverint, imo vi privilegii Leonis XII, 2 Mart. 1827, qui annum 12 expleverint: ita ut ad vota deinde non admittantur, nisi pervenerint ad aetatem Pontificiis et Societatis constitutionibus praescriptam: i.e. non ante 16 expletum ex Trid., nec ante 17 expletum citra peculiarem dispensationem Praepositi Generalis. Comp. Priv. n. 423.

II. Informatio de postulante.

Superioribus, ad quos ex constitutionibus Ordinis pertinet, antequam ad admissionem procedant, necesse est sumere informationes circa candidatum.

1) Sixtus V const. "Cum de omnibus" 1587 sup. cit. id praescripserat sub poena nullitatis; Clemens vero VIII sup. cit. const. "In suprema" 1602 id requisivit tantum ad liceitatem actus, sed poenas a Sixto V in contrafacientes statutas omnes innovavit: scl. privationem ipso facto vocis activae et passivae, etc.

2) Inde a die 25 Jan. 1848, vi decreti "Regulari disciplinae", in Italia et insulis adjacentibus – etiamnum in Sabaudia post separationem ab Italia, decl. auth. S.C. sup. St. Regul. ad 8um 1 Maj. 1851, ap. Bizzarr. p. 843 – istae informationes severiori prorsus ratione sumendae sunt, ab omni congregatione, Ordine, Societate etiam specialissima mentione designanda, et quidem in virtute sanctae obedientiae et sub poenis a Sixto V intimatis: quarum condonatio vel absolutio nonnisi a Sede Ap. impertiri poterit. – Porro rationem practicam peragendi duplex hujusmodi scrutinium in instantia provinciali et generalitia, a S.C. sup. St. Reg. praescriptum legas ap. Bizzarr. p. 833. Necessitas est quoad liceitatem.

3) Materia informationum indicatur in cit. const. Sixti V, Clem. VIII et in decreto "Regulari discipl.": sumendae sunt scilicet: de aetate, patria, natalibus; de mente, voluntate, causa ingrediendi ipsius candidati; de conditione parentum; de fide, de scientia, de conditione libera postulantis etc.

III Litterae testimoniales Ordinarii.

1) In virtute sanctae obedientiae prohibentur superiores cujuscumque Congregationis, Ordinis, etiam expressa et individua

mentione digni, ab admittendis candidatis, antequam litteras testimoniales Ordinarii loci, vel locorum, ubi postulans post 15 annum, ultra annum commoratus fuerit, obtinuerint; secus incurrunt poenas Sixtinas, quarum relaxatio Sedi Ap. reservatur. Decr. "Ri Pontifices" 25 Jan. 1848, ap. Bizzarr. p. 231. Ut vides, admissio et proin subsequens professio, esset illicita, non irrita.

2) Ordinarii tenentur hujusmodi litteras expedire, nec eas recusare possunt. Sufficit tamen si privatis et secretis epistolis expediantur.

3) Materia harum testimonialium, juxta cit. Decr. erit: de postulantis natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus; an aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus; an aere alieno gravatus, vel reddendae alicujus administrationis rationi obnoxius.

4) Circa indicata puncta, Ordinarii, pro sua scientia, indicabunt quae in Dño judicaverint. Quod si Ordinarii declarent, candidatum minime ab eis cognosci, factis reliquis informationibus, superiores ad admissionem procedere possunt, juxta varias declar. S.C.s.s. Reg. ap. Bizzarr. p. 839.

5) Propter amplissima utriusque Decreti "Ri Pontifices", "Regulari discipl." verba, quae omnem societatem ordinem, "utut speciali aut specialissima mentione dignum", comprehendunt: Societas Jesu profecto et ipsa tenebatur tum lege duplicis scrutinii in Italia, tum lege testimonialium ubique, emortuis jam in hac parte omnibus privilegiis. Attamen Pius IX, rescripto diei 28 Jan. 1850 "habita ratione eorum quae societas sec. suas constitutiones observat in admissione ad 1am et 2am probationem, ad vota simplicia et ad professionem" eam ab utroque onere exemit. Observa, dictam exemptionem nulli ordini per viam communicationis privilegiorum suffragari, id quippe in ipso decr. "Ri Pontifices" in antecessum directe et expresse praecluditur.

6. Haec quae de informationibus et litteris testimonialibus diximus, respiciunt, ut titulus articuli indicat, tantum viros; quoad puellas aliter jura providerunt.

Appendix - De Ingressu in Instituta virorum.

I. Ingredientes profecto tenentur impedimentis juris naturalis et ecclesiastici ut supra. Tenentur ulterius impedimentis quae in Instituti constitutionibus enumerantur, et quidem Regulae de Instituto juris Pontificii moderno (intellige inde ab ann. circ. 1850 approbato)

quaedam eorum dispensationi Pontificiae reservantur, vide catalogum in Norm. n. 61, secus illicita non tamen irrita foret admissio.

II. Positive requiritur ut ingredientes 15 annum expleverint, ad omnem admissionem infra 15 annum requiritur dispensatio Sedis Ap. – Animadversiones passim, Norm. ac, n. 61. Non tamen tenentur Instituta lege Clementis VIII quoad aetatem conversorum. – Requiruntur item, ut supra, testimoniales litterae ordinarii. Normae, 58.

Art. III. De ingressu puellarum.

1) Sane et in ipsis requiritur immunitas ab impedimentis juris naturalis, ecclesiastici, et Ordinis in quem se recipere velint.

2) Quoad positiva requisita jura maxime in tuto collocatam volunt puellae libertatem. Et profecto const. "Apost. Sedis" in hac materia innovavit duplicem excommunicationem, nemini reservatam, olim a Conc. Trid. sancitam. Scilicet a) in omnes cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam clericos quam laicos, cogentes quomodocumque foeminam invitam, praeterquam in casibus a jure expressis, ad ingrediendum in monasterium, ad suscipiendum Religionis habitum, vel ad profitendum in Religione: item consilium, auxilium, favorem ad id praestantes: item scienter huic coactioni praesentiam, consensum, auctoritatem interponentes. Trid. sess. XXV, c. 18 de Reg. b) In injuste impedientes voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi. Trid. l. cit.

Observa: dicitur: cogentes i. e. per vim, per metum gravem et injustum inducentes.

dicitur: exceptis casibus in jure expressis: sunt tres, imo et quartus ex consentiente doctrina. 1ᵘˢ exhibetur in cap. 12. Cum virum, de Regul. III, 31 Cfr etiam epist. 167 S. Leonis script. c. an. 458 = can. 8 C. XX. q. 1. i. e. casus mulieris quae post annos pubertatis sponte religionem professa, monasterium reliquit ut matrimonium attentaret. 2ᵘˢ est casus mulieris cujus vir Religionem professus est dum ipsa

suspecta redditur de incontinentia in saeculo, ubi vivit cum voto castitatis. c. 18 significavit, de Convers. Conjug. III, 32. 3us est casus mulieris adulterae quam vir, licet resipiscentem, recipere nolit. c. 19. tit. cit. In utroque casu posteriori mulier in monasterium detrudi potest, non quidem ad habitum suscipiendum, sed potius ad cautelam et defensionem pudicitiae, vel ad poenitendum. — Hinc DD. communiter docent, sub iisdem conditionibus, seclusa nempe habitus susceptione, licere parentibus includere filias, etiam invitas, in monasterium, educationis, pudicitiae causa, donec in matrimonium collocari possint. Cfr. Giraldi, Exposit. jur. pont. P. I, sect. 516, nota 1a.

Juxta resp. S. Poenit., sub die 15 Mart. 1861, qui mulierem cogeret ad ingrediendum Institutum votorum simplicium, vel hujusmodi Institutum amplecti volentem, prohiberet: non incurreret excom. Ratio manifesta est. Trid. agit de coactione respectu Religionis, in odiosis porro sequimur interpretationem strictam.

3°) Ante habitus susceptionem examinanda est ab Episcopo, et eo impedito, ab ejus vicario, vel delegato. Trid. XXV, c. 17 de Reg. Eadem dispositio extenditur ad postulantes Institutorum omnium. Const. "Conditae", parte I, n. 7, p. 11, n. 1. Idem dicendum si agatur de monialibus exemptis, aut Regularibus subjectis, S. C. C. pluries, vide Richter p. 421.

Ideoque Praefecta moneat Episcopum uno mense ante habitus susceptionem, sub poena suspensionis ab officio ad arbitrium Episcopi. Trid. l. cit., ipse vero infra 15 dies examen peragat. Pius V. "Etsi mendicantium". Bull. Rom. t. IV² 373.

Utrum Episcopus Praefectam Instituti, in hac parte negligentem, suspendere valeat ab officio, disputant nonnulli DD. verum sententia affirmativa omnino tenenda est. Ratio est quia Const. "Conditae" asserit Episcopo respectu Institutorum jus a Tridentino constitutum, ergo et coactionem ibi vopseroam!

Materia examinis hujusmodi juxta Trid. l. c. est: an coacta, an seducta sit; an sciat [illegible] agat; qua intentione veniat;

an habeat conditiones requisitas juxta ordinis regulam.

4) Quoad aetatem Trid. c. 17 cit., inhaerens dispositioni cap. 12 de Regul. III. 31, permiserat ingressum puellis inde a 12 anno completo, dilato sane novitiatu et remissa professione, ut dicitur sess. XXV, c. 15 et 16 de Reg. Verum e decretis S. C. Ep. Reg. 16 Maj. 1650, requiritur hodie 15 annus completus. — Quae dispositio sic extenditur ad instituta, ut, citra dispensationem Sedis Ap., candidatam, nec infra 15 annum, nec supra 30, admittere valeant. Normae 61.

5) Requiritur Dos. Licet monasteria semper grato animo recipere potuerint, quae, citra omnem taxationem et sponte, ab ingredientibus offerebantur, c. Dilectus 30 de Simon. V. 3. nihilominus jura rigorose prohibent, ne quidquam exigatur pro solo Religionis ingressu, cap. 8, 19, 30, 40 de Simon. V, 3; Extravag. com. de Simon. c. 1; Trid. sess. XXV. c. 16 de Reg. hoc enim tamquam simonia in allegatis locis traducitur; excipitur tantum id quod pro victu et vestitu novitiorum, dum in novitiatu versantur, postulatur, ut expresse habet Trid. l. cit.

Hanc puritatem disciplinae, ut, „pro ipso ingressu in Religionem" nil exigi possit, Ecclesia jugiter custodivit et custodit. Sed cum experientia manifesta comperetit, monasteria monialium, sine spirituali dote pro victu recipiendarum pensata, omnino ad interitum vergere, hanc dotem pro monialibus non modo licitam et ab omni simoniae labe immunem, sed et necessariam agnovit. Cfr. S. C. C. in causa Belgii, 18 sept. 1683, ap. Richter, p. 418.

Profecto non defuerunt, nec desunt multorum contra hujusmodi institutionem blaterationes. Avaritia illorum parentum qui, ut verbis antiqui viri utar "ad hoc volunt emittere filiam e saeculo, ut partem illius retineant in saeculo", Rodulf. abb. S. Trudonis (saec. XII) ap. Mabillon. Analect. vet. t. 2, p. 503 edit. Paris 1676, procul dubio avidissime excipit Van Espen et gregalium calumnias, tract. de vitio simon. circa ingress. Relig. cap. 2, cap. 3, § 3., dum sapientissimam Ecclesiae dispositionem simoniam arguunt.

Historiam dotis monialium, ejus liceitatem simul ac necessitatem, post Suarez, t. 3 de Relig. lib. IV de simon. c. 17, et Thomassin, de vet. et nov. 2ª discipl. lib. I. c. 51, n. 3. egregie exponit atque tuetur Benedict. XIV, de Synod. lib. XI, c. 6. — Fundamentum universae

solutionis posuit Angelicus Praeceptor II, II, 100, III docens: neque teneri monasterium quidquam pro ipso ingressu in Religionem accipere posse, bene vero pro victu personae quae in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterii opes", cui doctrinae adhaeserunt summi DD. b. Bonaventura, b. Antonin, b. Alph. Nec obstant, si vera quidem sint, quae narrantur de b. Hier. in S. L. t. 22, col. 306, ibi enim agitur de monasterio ditissimo etc.

Propter verba cit. cap. 40 de Simon. V, 3 nonnulli dotem spiritualem in omni casu tamquam simoniacam rejecerunt. Verum, ut notat P. Suarez, l. c., nec juris naturalis, nec juris divini foret haec simonia, ut patet in dote matrimoniali, licet matrimonium sit sacramentum. Restat ergo ad summum, ut habeatur simonia ecclesiastica, i. e. jure ecclesiastico introducta, ob suspicionem voluntatis nundinandi statum spiritualem. Jam age, in monasterio, ubi juxta S. Thom. "opes non sufficiunt", si dos exigatur certe voluntas nundinandi minime in causa est; sed quaeritur unde decenter sustineri valeat nova monialis — Hinc cum S. C. C. post plurimorum saeculorum experimentum rite perspexisset, monialium monasteria, si nova bonorum accretione non sustineantur, utut floreat praesens eorum status oeconomicus, sine exceptione ad interitum vergere, tandem S[i] Caroli vestigia premens, prudentissime sancivit, ut omnia indefinite habeantur pro indigentibus, atque indigentiae titulo, ab omnibus puellis Religioni nomen dantibus, praescriptam dotem recipiant. Ita fere Bened. XIV, l. c.

Ideoque si S. Cgr. E. R. in concessione exemptionis, in erectione monasterii, vel hodie in approbatione constitutionum alicujus Instituti, dotis quantitatem taxaverit, Praefectae illam exigere tenentur, nec sine Sedis Ap. venia illam ex toto, vel ex parte remittere possunt, nisi et quatenus hoc jus superiorissae vi ipsarum Constitutionum approbatarum forte conquat. vide Norm. n. 91-95, plurimas observat. ap. Bizzar. p. 777, n. 9, 778, n. 8, 786, n. 8, 789, n. 6, cfr. Battandier, Guide can. 3e edit. n. 135-142 — E contra si agatur de Instituto dioecesano, vel apud nos, de antiquo ordine, in quo olim quidem vota solemnia nunc autem simplicia emittuntur, et cujus

domus nondum in congregationem sub superiorissa generali constitutae sunt (Carmélites, Bénédictines, etc.), non requiritur recursus ad S. Sedem pro condonatione vel imminutione dotis, sufficit venia Episcopi qui prudenter prae oculis retineat statum oeconomicum monasterii, ne nimia facilitas inducat et damnum spirituale et demum interitum temporalem.

Taxam hujus eleemosynae S. Cgr. saeculis superioribus quoad moniales stricti nominis, magno moderamine constituebat, videlicet nunquam infra 200 sent. (sent.=5 fr. 35), raro ultra 400. quae summa moderatissima manet, licet ejus valor aestimationi hodiernae duplo major fuerit. In modernis Institutis taxa eleemosynae dotalis prorsus variabilis est, voluit tamen S. Cgr. ut summa pro choristis et pro conversis requisita in constitutionibus exprimatur, ut simul cum constitutionibus a S. Sede corrigatur vel approbetur.

Juxta S. Cgr. Ep. R. praecepta dos constituenda est ante puellae ingressum, et quidem — nisi accedat dispensatio S. Sedis — in numerata pecunia (= etiam, titres de rente, actions, obligations), apud virum probum deponenda, ipsi monasterio ante professionem votorum simplicium tradenda. Cfr. decr. "Perpensis" n. 10, 3 Maj. 1902. Normae 93. Hujus summae proprietatem monasterium acquirit cum soror, absoluto triennio, in ordinibus, professionem solemnem emiserit; Institutae contra nonnisi post sororis mortem. In casu egressionis Monialis ex ordine durante triennio, vel sororis ex Instituto „dos integra eisdem restitui debet, salvis fructibus decursis", decr. "Perpensis" n. 12, Normae 95, et innumerae animadv. ap. Bizzar. cfr. et Battandier, l. c. n. 141.

Dos, quamdiu non transierit in proprietatem monasterii vel Instituti, nequit insumi ad aedificandum conventum, neque ad expensas quotidianas sustinendas, Cfr. Analect. Jur. Pont. t. 23, p. 965, n. 37., neque ad debita communitatis extinguenda; sed in emptionem bonorum frugiferorum, vel redditum stabilium collocanda est, etiamsi agatur de dote monialis supranumerariae (cfr. supra, cap. V), ut, mutata priori sua lege, S. C. C. pluries et definitive praescripsit. Hae porro supranumerariae, si capitulum in earum admissionem consentiat, tenentur duplici dote. Eadem lege tenetur et tertia soror, nisi

quod ipsa praeterea careat voce activa et passiva, donec alterutra sororum morte abierit. Cfr. Analect. J. Pont. t. 4, p. 1525-1568.

5) Habitus susceptioni, ex praescripto Innoc. XI, 9 Oct. 1682, ap. Bizzar. p. 374 et Norm. 77, praemittenda sunt exercitia spiritualia per decem dies continuos.

Art. IV. De ingressu conjugatorum.

Doctrina quam hic tradimus respicit exclusive Ordinem regularem ingressuros, minime candidatos Institutorum, hi quippe, juxta Normas, n. 61, occurente casu, Sedem Ap. adeant oportet. Porro in conjugatis qui ad Ordinem transire vellent considerandum utrum eorum matrimonium sit ratum tantum, vel potius etiam consummatum. Cfr. tit. de conversione conjugat. III, 32 et commentatores ibi.

§ I. Matrimonio nondum consummato.

1) Conc. Trid. sess. XXIV, can. 6 sancivit: "q. d. matrimomonium ratum non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum, non dirimi a. s." vide etiam c. 16 de Sponsal. IV, 1. — Jam quaerunt DD. quo jure professio solemnis tale matrimonium dirimat.

1a Sent. asserit: vi voti, i. e. jure divino, quia professione solemni religiosus mundo moritur et transit in holocaustum divinum perfectum. — Fundamentum hujus assertionis est illa doctrina quam supra rejecimus, ubi agebatur de constitutivo formali voti solemnis. Eo dissipato, non subsistit aedificium — Caeteroquin arg. deductum ex morte nimis probat, etenim si quid valeret evinceret profecto, vel ipsum matrimonium consummatum, per professionem dirimi, nonne enim mors id facit? Sed hoc falsum. Falsum est pariter dissolutionem locum habere vi voti solius. Et sane supra ostensum est, votum solemne et simplex in sua specie morali minime differre, affirmante Coelest. III, c. 6 qui Clerici vel Vov. IV, 6 "simplex votum apud Deum non minus obligat quam solemne". Atqui votum simplex non dirimit matrimonium ratum. Ergo nec solemne

vi suae essentiae moralis.

2a Sent., et quidem vera, asserit: jure tantum ecclesiastico, rationes sunt quia 1) voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae provenit, ut declarat Bonif. VIII, cap. unic. de voto in VI, III, 15. 2) quia ipsa Ecclesia de facto voto solemni in Religione emisso hunc tribuit effectum juridicum, dum ex una parte declarat verba Xi. Di. "quod Deus conjunxit homo non separet" Matth. XIX, 6, intelligenda esse de matrimonio rato et consummato, cap. 2 et 7 h. tit. ex altera vero parte docet omni contractui matrimoniali ipso ministerio juris, ideoque independenter a voluntate contrahentium, imbibitam esse conditionem "nisi statum perfectiorem, in quo emittuntur vota solemnia, infra bimestre suscipiam" c. 7 h. tit. Si igitur contingat hanc conditionem per subsequentem professionem solemnem purificari, matrimonium profecto, hoc ipso jure ecclesiastico, dissolvitur.

2) Hisce positis, ulterius declarandum est: quinam tali matri matrimonio juncti ingredi valeant, et quomodo.

Porro cap. 2 h. tit. declarat: "post consensum legitimum de praesenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium (sicut sancti quidam de nuptiis vocati sunt) dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos: et alteri remanenti licitum est ad secunda vota transire."

Attamen novus iste transitus tunc tantum ad effectum deduci potest, cum prius matrim. per professionem solemnem fuerit solutum. — Jure decretalium, illicita quidem erat non tamen invalida professio statim post ingressum, vel brevem post probationem emissa, et sic in illo tempore pars remanens in saeculo, ut plurimum non multum gravabatur. Sed ecce post Trid. nec viri nec mulieres valide profitentur nisi integro anno tyrocinii elapso, imo post decr. S.C. s. st. Reg. 19 mart. 1857, viri, post decr. "Perpensis" Leon. XIII, 3 Maj. 1902 et foeminae in votis simplicibus solido triennio stent oportet, antequam profiteri valeant. Hinc revera nostris diebus pars remanens valde gravari potest: propterea docent DD.: partem jam deliberantem de ingressu in Religionem, eo tempore quo de matrimonio ineundo agitur, sub gravi teneri, hanc suam deliberationem

comparti manifestare.

3) Haec libertas optandi vitam meliorem integra manet quamdiu matrimonium reapse non fuerit consummatum arg. cap. 2 h. tit. Ne tamen, sub hoc fucato praetextu probabilis ingressus in religionem, pars compartem fraudare et exhibitionem officii conjugalis sine die protelare audeat, cap. 7. h. tit. determinat tempus utile pro tali deliberatione et taxat bimestre, utique a judice praefigendum: quo semel elapso, aut religionem ingredi, aut conjugalem vitam instituere tenetur. Unde concludes: tempus utile non necessario exhauriri primo bimestri a die nuptiarum computato.

Quaeres: Utrum mulier allegans propositum ingrediendi religionem, per vim tamen a viro suo deflorata, possit adhuc, invito viro, ingredi.

Resp. Si propositum allegaverit, tempore utili jam elapso, negative, quia vir usus est jure suo. Sin autem tempore utili, affirm. Quidquid in contrarium dicant varii apud Suarez de stat. Relig. lib. IX, c. 25, n. 9, nemo enim per vim legitime expoliatur jure suo. — Caute tamen advertas, quod in tali hypothesi jam versemur in casu matrimonii rati *et* consummati quod per professionem amplius non solvitur, et pars opprimens sibi molestam imputet sequelam matrimonii permanentis una cum impossibilitate transeundi ad novas nuptias. Cfr. de Angelis Praelect. J. Can. in lib. III, tit. 32, p. 139. Non displicet sent. DD. qui cum P. Piat. de Jur. Reg. t. I, p. 60, in dicto casu mulieri denegant libertatem ingrediendi *expeditam*, antequam sententia judicis intercesserit. Ratio est quia privata auctoritate transire id jus concedit tantum in casu matrimonii rati; hic autem matrimonium, utut vi et injuria, in veritate tamen consummatum est, hujus igitur injuriae reparationem judex mandabit, declarans mulieris libertatem.

Et haec quidem ad tramites juris canonici. Jure autem civili hodierno, maritus conjugem cogere potest ad cohabitandum, et uxor maritum ad eam recipiendam et alendam Cod. civ. 214. Praeterea lex civilis effectus juridicos voti solemnis ignorat, sicque non admittit dissolutionem matrimonii non consummati per professionem religiosam, unde pars in saeculo manens novas nuptias legales inire non poterit nisi conjuges ante alterutrius ingressum

divortium civile obtinuerint! Circumspecte igitur agat confessarius cum personis deliberantibus de statu religioso amplectendo, sive ut permittat matrimonium, sive ut, inito vinculo, suadeat ingressum. vide S. Piat. l.c.

§. II. De matrimonio jam consummato.

1) In hoc casu pars ingredi nequit, nisi altera pars libere i.e. "absque fraude, vi, dolo," consensum praebeat. ita cap. 3 h.t. et arg. a sensu contrario ex cap. 16. 17 h. tit. juncta glossa, secus enim pars remanens, cum matrimonium consummatum non solvatur per professionem, privaretur jure suo.

2) Jus ecclesiasticum non satis habet nudo consensu partis acquiescentis; sed regulariter exigit, ut et ipsa Religionem ingrediatur, nec sufficit viro ordinem sacrum assumere. Vide c. 4 h.t. et rationem convenientiae ibi allatam, cfr. praeterea Bened. XIV de Syn. lib. XIII, c. 12, n. 14.

Dixi _regulariter_ — quia in casu speciali c. 4 admittit quoddam temperamentum. Cum videlicet ob provectam aetatem et alias circumstantias personales partis acquiescentis, nihil formidandum est quoad ejus continentiam, si in saeculo permanserit; tunc postquam judex eccl. has circumstantias per sententiam agnoverit, sufficit huic parti emissio voti castitatis coram Episcopo et testibus. Hoc votum publice emitti debet tantum probationis causa c. 8, h.t., in se manet simplex, perpetuum tamen, ita ut si pars solemniter professa praemortua fuerit, pars superstes nequeat licite ad novas transire nuptias. c. 9. h. t. — Si viro, in allegatis circumstantiis, permittatur manere in saeculo cum voto castitatis, poterit profecto, si velit, sacros ordines suscipere, nam hac ratione cumulatius legem implebit. Vide Bened. XIV, l. c. n. 13.

3) Sedulo distinguenda est species facti capp. 3 et 12 h.t., a specie c. 9 h. tit. ne exinde confusio pariatur. a) In prioribus casus est professionis attentatae ab alterutra parte, altera non consentiente, et decernitur partem in saeculo manentem, professam semper posse revocare, et ad consuetudinem individuae vitae cogere: ita ut haec 1) debitum reddere debeat quin petere possit, 2) mortua parte revocante

novum matrimonium licite inire nequeat, obstante ejus professione licet nulla; saltem ex sua parte in vi voti simplicis" fuerat enim partim de suis, partim de alienis". 3) non tamen tenetur redire ad monasterium, ob dictam nullitatem professionis et traditionis ab initio.

b) In cap. 9 contemplatur casus viri profitentis cum consensu uxoris in saeculo permanentis, quae tamen nescio cur, votum simplex a jure requisitum non emisit, et decernitur hanc uxorem posse virum suum revocare ut supra, qui etiam debitum reddat non petat, sed mortua uxore non potest inire novum matrimonium nec licite nec valide, et tenetur ad monasterium regredi. Valida quidem fuit hujus viri professio, consentiente uxore emissa. Nulla ergo contradictio inter disp. cap. 12 et c. 9.

4) Quae dixi de necessitate consensus, simul cum conversione, vel voto castitatis patiuntur sequentes exceptiones:

a) In casu apostasiae compartis, pars fidelis, absque illius consensu transire potest. Quod si separatio auctoritate Ecclesiae facta fuerit, pars professa remanere poterit etiam tunc cum apostata ad fidem redierit, secus si privata auctoritate ab invicem dicessere, c. 20. h. t.

b) Idem jus competit parti innocenti si altera adulterii convicta fuerit, jure quippe divino ex causa adulterii matrimonium dissociari potest, et intrat Reg. Jur. 75 in VI. " Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servare, cui fidem a se praestitam servare recusat".— Non tamen eadem libertate gaudet pars adultera. Haec enim si se emendaverit et monasterium petere velit ad paenitendum, prius compartis licentiam impetretur oportet, et sane haec non amisit jus instaurandae individuae vitae consuetudinem. Quod si recipi nolit, libere transibit. In hoc ultimo casu a viro non exigitur conversio, imo, si de incontinentia non sit suspectus, ne votum quidem, et si votum exigeretur illud non ultra mortem uxoris subsisteret.

Nota 2. E jure Societatis Jesu. 1. Ligatus matrimonio post bimestre juridicum non consummato admitti nequit sine consensu uxoris, nisi P. Generalis eum statim post biennium tyrocinii velet ad pro-

fessionem admittere, verum et hoc post sup. cit. decr. S. Cgr. 1857 impossibile factum est citra peculiarem dispensationem: ratio erat nimia dilatio professionis in Soc. unde et nimium gravamen uxoris non consentientis.

2) Ligatus matrimonio consummato et accedentibus iis quae a jure requiruntur a solo Praeposito gen. admitti potest. Reg. 37. Prov.

5) Demum recole et hic quae sub fine § 1 ex jure civili commemorari.

Cap. VII. De Novitiatu.

Novitiatus seu probationis institutio procul dubio ad ipsa status religiosi exordia ascendit. Cfr. Cassian. Instit. lib. IV, c. 3. 7. P. L. t. 49, col. 154, 160. Joan. Climac. gradu 4 P. Gr. t. 88, c. 671. D. Besse, les Moines d'Orient, chap. 6, Schiewitz, das Morgenländ. Mönchtum t. 1, p. 137. Duplicem autem ob finem haec probatio invecta est a S. Patribus, ut exponit Innoc. III, in c. 16. de Reg. III. 31 "non solum in favorem conversi, sed etiam monasterii, ut et ille asperitates istius, et istud mores illius valeat experiri". Imo et boni publici Ecclesiae interest, ut ad profitendum, sine praevia probatione, non veniatur, " ne, ut ait Alex. IV, unde spiritualis profectus quaeritur, salutis dispendium subsequatur". c. 3. de Regul. in VI.

Dicendum erit de Novitiatus duratione et loco, de requisita bonorum renunciatione, de positione juridica novitiorum, ablegatis ad disciplinam iis quae ad eorem obligationes referuntur.

Art. I. De Novitiatus duratione et loco.

§ I. In Ordinibus.

1) Vetustissima monachorum disciplina tyronibus nullum ratum temporis tractum praefigebat, quae durante probatione subjicerentur. Sic Palemo S. Pakhomium post 3 menses ad professionem admisit. Ipse Pakhomius suas Tabenositas, ut ex ipsius Regula manifestum est, exquisite probavit antequam eos instituto suo aggregaret, est quanto tempore nescimus; nec majorem certitudinem in

ipse puncto haurire licet, sive ex Reg. Sti Basilii, sive ex observantia monasteriorum Mesopotamiae. Omnibus perpensis, id demum per plura saecula videtur obtinuisse, ut firma manente necessitate novitiatus pro universis, ejus duratio pro singulis modo protraheretur, modo breviaretur, prout tardius vel citius utrique parti, Religioni dico et candidato, factum erat satis. Deinceps partim consuetudine, partim moribus familiae benedictinae, vide Regulam b. Ben. c. 58, de disciplina suscipiendorum fratrum, P. L. t. 66, c. 803, taxatus est annus in favorem utriusque, manente utrique facultate renunciandi "ei quod pro se noverit introductum" ut habet c. 16 de Regul. III, 31. — Alex. IV (rectius Innoc. IV ejus praed. an. 1244) c. 2 de Regul. in VI prohibuit in virtute sanctae obedientiae atque sub poena excommunicationis, ne Fratres Praedicatores et Minores ante annum probationis elapsum quemquam ad professionem admitterent, quam dispositionem Bonifac. VIII, c. 3 loc. et tit. cit. "ad aliorum mendicantium ordines prorogavit," caeteris manentibus in antiqua libertate admittendi ad professionem intra annum probationis. — Tandem Trid. sess. XXV, c. 15 de reg. prohibuit: "ne is qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla". Unde neque mutuo consensu tempus abbreviari potest. Atque hoc jure hodie vivimus.

2. Annus Tridentinus a) incipit, non quidem a die ingressus in monasterium, sed a momento tantum susceptionis habitus ut habet textus clarus Trid. l. c., et constans praxis S. C. Ep. R. 25 Oct. 1602 etc., vide Nicolium: Flosculi et flores sub v. Novitius. Intellige semper salvis privilegiis apostolicis.

b) debet esse mathematice integer et completus: deficiente enim vel una hora, professio foret invalida S. C. Ep. R. 8 jan. 1886.
Sic v. gr. qui die 8 Junii 1906 mane suscipit habitum non poterit valide profiteri nisi post horam 8 diei 8 Jun. 1907 — Attendendum quod dies intercalaris anno bissextilis computari nequit ad integrandum annum: v. gr. qui, anno proxime antecedente bissextilem, die 1 Martii, incipit novitiatum, non poterit valide profiteri die 29 Februarii anni sequentis, tametsi 365 dies effluxerunt, sed tantum die 1a Mart. et post horam suscepti habitus. Ita S. C. C. pluries, 5 Jul. 1617, 21 Aug. 1623, vide Giraldi Expositio Jur. Pont. t. 1. sect. 522.

Nota. S. Pius V const. "Summi sacerdotii, 23 Aug. 1570, Bull. Rom. IV³, p. 122, monialibus novitiis O. Praed., medici judicio in articulo mortis versantibus, facultatem fecit professionem emittendi, ante annum revolutum: modo aliunde in legitima aetate sint constitutae (16 an. expleti). Quod per communicationem priv. extenditur ad alios mendicantes — Observata, seu cum Bened. XIV. de Syn. l. XIII. c. 12. n. 6 et de Angelis, Praelect. Jur. C. lib. III. tit. 31. p. 97, hanc professionem, post Const. Greg. XIII "In tanta" § 6, Bull. R. IV³, p. 251, emittentibus eam non suffragari aliter quam ad lucrandas indulgentias caeterasque spirituales gratias professis obvenientes. Hinc, si novitiam mori contingat, dotis solutio a monasterio exigi nequit: S. C. C. 20 Mart. 1649, 4 Mart. 1705; et si intestata decesserit, ejus bona, non ad monasterium, sed ad haeredes devolvuntur. Si e contra convalescat, durante anno novitiatus adhuc abire poterit; quod si perseveret, expleto anno, professionem renovet oportet. S. C. C. 20 Mart. 1649.

c) Annus legalis debet praeterea esse non interruptus, seu continuus. Interruptio autem fit si novitius e conventu exeat ad paucas, puta ad duas tantum, horas S. C. C. 21 Jul. 1663, cum animo deliberato hanc religionem deserendi, licet aliam ingredi cogitaret. Cf. Fagnan in cap. 3 tit. de Regul. n. 28.

Ut variae S. C. C. responsiones concordent, illud quod dixi "ad duas tantum horas" intelligendum est in sensu composito cum habitus dimissione quae fundat praesumptionem voluntatis deliberatae deserendi hanc religionem, aut cum confessionem, aut cum confessione aperta hujus voluntatis ab exeunte prolata. Qui enim citra licentiam superioris egrederetur e conventu, etiam ad plures horas, servans tamen habitum, non praesumitur ex hoc solo, animo deserendi abivisse, nec ideo interruptum esse annum, nisi forte animus deserendi aliunde probari possit. A fortiori non interrumpitur annus legalis si novitius de licentia, vel mandato superioris, justa ex causa, v.g. ad curandam infirmitatem, ad negotia Religionis tractanda etc. exeat et extra conventum degat, ut pluries declaravit S. C. C. vide has decis. apud Zamboni, Collectio declar. S. C. C. art. Professio relig. vide etiam Bouix, op. cit. t. 2, p. 577 et P. Piat, t. 1, p. 97. Qua in re deceptus est scriptor canonista period. "l'Ami du Clergé" ann. 1905, p. 621 et 986,

dum in fide Cl. Nervegna, de Jure practico Regularium 1900, universim affirmat: novitium una nocte, etiam cum superiore, e conventu absentem eo ipso annum legalem interrumpere — Id verum est, ut infra dicam, in multis Congreg. modernis, non autem recte aut jure applicatur regularibus. P. Wernz, S. J. Jus Decretal. 1901, tom. III, p. 676, nota 259, de sent. Cl. Nervegna verissime dixit "quae ... si sensu obvio accipiantur continent doctrinam ex jure communi nimis rigidam et erroneam". — Neque annus legalis interrumpi censetur ubi novitii, violentia, manu militari etc. e noviatu expelluntur, sed tempus usque ad diem expulsionis censetur utiliter elapsum, et deinde perficiendum. — Qui anno expleto, rationabili de causa egreditur, et postea revertitur, dummodo interea nulla notabilis mutatio vel in ipso vel in Religione obtinuerit, probationem non tenetur iterare, secus si mutatio intercesserit, vel ipse sine causa et licentia absens fuerit. — Receptus in numerum clericorum, cujus dein incapacitas manifesta fit, poterit, modo non sit in sacris, transferri ad ordinem novitiorum laicalium, et tempus hactenus in probatione emensum utile censetur; secus si e numero laicalium quis velit transferri in numerum clericorum, hoc in casu annus ex toto repetendus est: ita S. C. C. pluries, Analect. Jur. Pont. t. 17, p. 249, n. 1682; p. 619; t. 18, p. 715, n. 2090. Demum novitiatus peractus in una Religione non suffragatur ei qui, etiam post professionem, ad alium ordinem transit, sed ex toto iterandus est.

3. Juxta Trid. XXV, c. 16 de reg. et S. C. C., anno elapso, novitius admittendus est ad votorum emissionem, vel dimittendus. Excipiuntur a) ab ipso Trid. l. c. novitii S. J. et generatim a jure, novitii omnium ordinum quorum constitutiones novitiatum ultra annum protrahunt. Caeteroquin hodie post decr. S. C. s. st. Reg., 19 Mart. 1857, S peracto, ap. Bizzar. p. 855, et decr. "Perpensis", Leon. XIII, 3 Maj. 1902, nemo amplius professionem post annum emittere potest, sed tantum vota simplicia. Unde verba Trid. cit. nunc ad hanc emissionem referenda sunt.

b) Qui per errorem et bona fide novitiatum ante 15 aetatis annum expletum inchoasset: S. C. Ep. R., 12 Jan. 1723, ap. Bizzar. 325.

c) Qui ob justam causam a Generali vel Provinciali, ad breve tempus, v. gr. 6 menses, retardaretur. ibid.

d) Ubi periculum imminet ut juvenes ad militiam vocentur, juxta indultum S. C. Ep. R. 21 Apr. 1871, novitii, expleto anno, admitti

poterunt ad vota simplicia, ad 6 menses valitura, ac de semestri in semestre renovanda.

c) novitii illarum regionum ubi leges civiles prohibent emissionem votorum ante annum aetatis 25. In his circumstantiis, inde a 12 Sept. 1845, per facultates quinquennales conceditur ut remaneant in monasterio, professionem emissuri an. 25 quotquot bis in novitiatu, et tertia vice ante professionem (hodie simplicem) calculum favor. temsibi tulerint.

4) Annus legalis sicut incipit a susceptione habitus, ita in habitu totus est transigendus. Trid. c. cit. Privilegia S. J. in hac re vide Comp. Pr. n. 307.

5) Tandem annus hic, nisi constet de privilegio, emetiendus est in monasterio, imo in Italia et insulis adjacentibus, in monasteriis a S. Apostolica ad effectum assignatis, sub poena nullitatis novitiatus et professionis quoad novitium, suspensionis autem ab omni dignitate, amissionis vocis activae et passivae, perpetuae inhabilitatis pro Superioribus. Clem. VIII. Const. "Regularis disciplinae" 12 Mart. 1596, Bul. R. V², 410, et "Sanctissimus" 20 Junii 1599, l. c. p. 411. — Excipiuntur tamen illi ordines, etiam in Italia, quos Clem. VIII expresse exemit in posteriori hac Constitutione, inter quos recensetur et ipsa Soc. Jesu.

Dixi quidem — sub poena nullitatis quoad novitium, et ita res habet, attamen si contingat ex hoc capite professionem impugnari, servanda erit omnino praescriptio Benedicti XIV, Const. "Si datam hominibus", § cum vero, 16 Mart. 1748, scilicet jura sua deducere tenentur coram S. C. C.

Eadem lex nullitatis professionis obtinet in conventibus qui quidem extra Italiam constituti sunt, attamen tanquam membra alicujus provinciae Italicae; nisi dicti conventus a Sede Ap. designati fuerint ut loca legitima instituendi novitiatum. S. C. Ep. Reg. 1686 in causa Carmelit. Prov. venetae apud Bizzarri, p. 280 ad 1.

Plures Auctores inter quos de Angelis hoc tit. XXXI. n. 8, Santi eod. tit. 17 in fine, affirmant Urb. VIII const. "Sacra Congreg.", 21 Sept. 1624, extendisse dispositiones Clementin. ad omnia loca terrarum; imo si credas D. de Angelis ad omnes Regulares. Consentiunt Chaillot An. J. P. t. 5, p. 174; Ferraris V. annus prob., Gualdi 1, 534.

Veruntenendum est 1) Ordines a Clem. VIII exceptos, procul dubio in Italia, et a fortiori extra Italiam exceptos manere, quas exceptiones confirmavit celebre decretum „Sanctissimus", 19 Mai 1602, Bull. R. V², p. 412, § 1, ideo dici nequit omnes has exceptiones die 20 Jun. 1599 concessas, quinque diebus postea, 25 Jun. decret. "Nullus omnino" § 33, Bull. R. V⁵, 253, fuisse sublatas; nec Urbanus aliud extendit quam legem Clementinam.

2) Imo quoad reliquos ordines: Fagnan, Bouix, op. cit. t. I, 579 et fuse S. Piat, t. I, p. 107 rectissime docent, non requiri extra Italiam ut novitiatus in conventu a S. C. designato peragatur. Id certe [illegible] veritatem assumpsit Bened. XIV. in cit. Const. "Si datam", dum declarat nullitatem professionis ex hoc capite invocari posse" in iis tamen locis in quibus rec. mem. Praedecessor noster Clem. VIII Decreta de Regularibus a se edita vim habere mandavit". Profecto si ad orbem terrarum extenderetur dispositio Clementina, ut post Giraldi sup. cit. Romani Professores contendunt, futilis esset haec restrictio. Insuper S. Cgr. C. 4 Febr. 1648, declaravit "Decreta Clementis VIII, non comprehendere Regulares extra Italiam" S. Cgr. Ep. Reg., die 22 April. 1796, declaravit Constitutiones Clem. VIII et Innoc. XII super novitiorum receptione non afficere Regulares extra Italiam" An. J. P. t. XVI. p. 133. n. 142 ad 5; vide Piat I, 108 sq.

6) Quoad clausuram, distinctionem aedificiorum, quoad dispositionem horti, oratorii, quoad segregationem novitiorum, qui, excepta capella et coenaculo, nunquam cum professis convivere possint. Vide decretum Clem. VIII. Cum ad Regularem. Bull. R. V² p. 412.

Quosnam religiosos" in virtute S^tae obedientiae" superiores in conventus taliter designatos collocare possint, determinavit Innoc. XII. Const. "Sanctissimus", 18 Julii 1695, B. R. VI, 456.

§ II. In Institutis.

1) Dispositiones juris circa novitiatum hactenus recensitae, in rigore solos Regulares respiciunt, ratio est quia universa haec legislatio fundatur in cap. 15 et 16 Conc. Trid., porro ea aetate Patres Trid. nonnisi Regulares prae oculis habebant, minime vero Instituta nostra moderna.

Porro quoad haec Instituta nullam diu habuimus legem per-

blicam, qua communiter omnia regere[illegible], donec tandem Leo XIII, 8 Dec. 1900, Const. "Conditae a Xto", edidit. Verum et haec const. imprimis sancit et determinat jura respectiva superiorum sodalitatum et Ordinariorum locorum, de quaestione praesenti — novitiatus scilicet — haec pauca tantum statuit: cap. I, n. 7: In Institutis dioecesanis, Episcopus ipse, explorata voluntate puellarum, eas ad habitum admittit. In Institutis juris Pont. cap. II, n. 4: "candidatos excipere, eosdem ad sacrum habitum... admittere, partes sunt Praesidum sodalitatum, integra manente Episcopo facultate a Trid. concessa c. 17, cum de feminis agitur."

Ut vides impossibile est, ex his verbis eruere, quid requiratur ad naturam et validitatem novitiatus. Restat ergo tantum ut nos convertamus ad consuetudinem, ad stylum S. C. Ep. Reg. in approbandis Institutis, et demum ad constitutiones approbatas. Consuetudine factum est ut Instituta dispositiones Tridentinas sequerentur, verum cum per se respiciant solos Regulares, nulla invaliditas, sive novitiatus, sive subsecutae professionis, ex titulo non servatae legis Trident. hic sequi potest, nisi quia et quatenus Sedes Apost. in approbatis constitutionibus id expressum voluerit. Lege publica, ut monui, Sedes Ap. id hactenus non fecit, nec ipsa S. C. Ep. Reg., ullo decreto generali a R. Pontifice approbato, ad eumdem tamen finem hic S. O. pervenit, innumeris animadversionibus, seu correctionibus quibus firmiori et constanti fere stylo, inde ab anno 1858, oblatas sibi constitutiones ad legislationem stabilem et uniformem reduxit. Elenchum non modicum harum animadversionum olim edidit Bizzarri secretarius S. C. Ep. R., in edit. an. 1885, p. 772-807. Recentiores animadversiones cl. Battandier exhibuit, in opere: Guide canonique p. les Const. des Instituts à voeux simples. 3e édit. 1905. Quaecumque S. C. Ep. Reg. in his animadv. stabilizatione induxerat ad definienda jura respectiva superiorum et Episcoporum, ea Leo XIII, cit. const. "Conditae", promulgavit. Ea vero quae iisdem animadv. S. C. uniformizatione induxerat quoad disciplinam, et gubernationem internam Institutorum, demum ipsa in "Normis" authentice et maiore stabilitate exposuit. Normae sec. quas S. C. Ep. R. procedere solet in approbandis novis Institutis votorum simpl. Romae typis S. C. Prop.

Fid. 1901 ibi igitur invenies authenticam codificationem styli inducti.

2) Jam age istis animadversionibus vel Normis, S.C. Ep. R. jura et disciplinam Institutorum eo spiritu circumscripsit, ut in variis punctis, signanter vero quoad Novitiatum, arctius constringantur quam ipsi antiqui Ordines. Hanc prudentiam S.C. magnopere laudabit, quicumque aequissimas rationes sic agendi perpendere voluerit. Igitur

3) Antequam candidatos ad habitus susceptionem, seu ad novitiatum, admittant, tenentur lege postulatus. Sane ipsa rerum natura, imo et lex de praemittendis exercitiis spir. susceptioni habitus secum ferebant ut candidatus aliquot dies in conventu transigeret, priusquam ad habitum – maxime puella – admitteretur, nullum tamen spatium dierum olim taxabatur, sed in Congr. initio saec. XIX approbatis, id Superioris Generalis prudentiae relinquebatur. Dein taxati sunt menses sex praecisive, deinde 6-9, demum, Norm. n. 65, "nec infra sex menses, nec ultra annum", ita ut in Constitutionibus exprimeretur quotitas firma inter 6-12, puta 7, 8, 10 etc. menses, vel etiam annus integer, cui quotitati taxatae Sup. Generalis in casu particulari ex justa causa 1-3 menses adjicere poterit. n. 65.

Admissio et dimissio postulantium pertinet ad Superiorem Gen., vel ad Provincialem in sua provincia, unde nec consiliarii, nec assistentes etc. interveniunt. Arg. a contrar. ex n. 241, 7°, neque puella examini Episcopi ad effectum subjicienda est: S.C. E. R., 14 Mart. 1841.

Locus postulatus congruentior est novitiatus domus, ex licentia tamen Superioris Gen. vel Provincialis assignari poterit etiam alia Instituti domus, ubi frequentes sint religiosi et viridis observantia N. 64. Vide etiam Battandier, Guide C. 3e édit. p. 77-81.

4) In constitutionibus semper enuncianda est nullitas professionis, nisi annus novitiatus legalis praecesserit. Quaedam Instituta sibi constituerunt biennium probationis, quo in casu nec ipse Superior Gen. tempus praescriptum abbreviare potest, citra veniam Sedis Ap., Normae n. 45: in aliis emittitur quidem professio statim post annum legalem, sed neo-professi tenentur per sex ulteriores menses habitare in novitiatu, omnibus novitiorum exercitiis subjecti.

5) Exposui supra, ad mentem probatorum DD. quo sensu, penes Regulares, annus legalis debeat esse continuus, seu non interruptus. Porro strictior est disciplina quam S. C. Institutis praescribit: nam quacumque de causa novitii se alio transferant, etiam cum approbatione Superioris Gen., annus legalis eo ipso interruptus censetur, et secum trahit nullitatem professionis. Quamobrem, superveniente tali causa gravi exeundi, Sedis Ap. licentia quaerenda est. Vide Battandier, op. cit. n. 106, 107, qui sane sicut et l'Ami du Clergé l. sup. cit. tramites veritatis egreditur, dum consimilem doctrinam Regularibus applicat. Normae 76.

6) Constantissime et gravissime prohibetur ne probationem extra locum tyrocinii peragant, sed novitii continuo commorari debent in domo novitiatus a S. C. ad hoc approbata sub directione magistri nov., nec in alias Instituti domos a superiore mitti possunt. Ita sine exceptione in animadv. inde ab anno 1860. Cfr. Bizzar. l. c. passim; Battand. n. 107, Norm. n. 73, 76.

7) Praescribitur separatio novitiorum a professis, ad tramites decreti Clem. VIII "Cum ad regularem" § 20 sup. cit., Normae 85, 86. Imo praeter magistram et sub-magistram, aliae sorores professae non habitent intra septa novitiatus: sicque restringitur libertas Regularibus ab Innoc. XII concessa, c. "Sanctissimus", 18 Jul. 1695, apud Vermeersch, t. 2, p. 314.

8) Institutis, quae novitios suos uno tantum anno probant, prorsus vetita est omnis novitiorum applicatio ad studia, vel ad alia officia, utut levioris momenti, nisi quod conversi intra novitiatus domum moderate officiis domesticis applicari possunt. Universum hujus anni tempus interiori formationi servandum est pro anno priori, ubi biennio probantur. Norm. n. 73, 74.

9) Supra exposui an et quomodo novitiatus Regularium erigendi sint ex beneplacito Ep. Porro quoad Instituta Juris Pont. absolute edicitur: Pro erigendis novitiatibus recurrendum erit ad S. C. Ep. Reg., ita constantissime inde ab anno 1860, Bizzar. passim, decret. auth. S. C. Ep. R., 4 Oct. 1871 apud Annal. Jur. P. t. 5, p. 1548; Norm. 90, 271, 272.

Art. II. De Renunciatione bonorum.

§ I. In Ordinibus.

Cum juxta disciplinam Concilii Trid. novitii, finita probatione, statim emittebant professionem solemnem, quae regulariter possessionem bonorum temporalium propriorum excludit, hinc PP. Trid. novitio statuerunt legem juxta quam licite et valide suis bonis renunciare possit ac debeat in ordine ad professionem. Statuunt igitur sess. XXV, c. 16 de Reg.: "Nulla quoque renunciatio aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causae piae, valeat, nisi cum licentia Epi, sive ejus vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione. Aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renunciatione renunciatione jurata, sit irrita et nullius effectus."

1) Haec lex ab ipso Trid. dicitur "favor" et revera ipsius tenore et sanctione PP. Trid. voluerunt libertatem novitiorum salvam et integram tueri; ne ob intempestivam distributionem bonorum, jugo religioso, cui forte experientia eos ineptos demonstrabit, egestas potius quam charitas illos subjiciat. — Cum vero haec libertas, ipsius novitii aeternae saluti; bono religionis et bono Eae publico sit summe necessaria Cõiter docent DD., omnem consuetudinem oppositam tq. corruptelam eo ipso excludi, et seclusa speciali privilegio, omnes ordines, tam virorum quam mulierum, hac lege teneri. Ita etiam resp. S.C.C. et S.C. Ep. Reg. permultae, quas videsis apud P. Piat, t. 1, p. 123 5-6.

2) Prohibentur renunciationes et obligationes omnes, et cuicumque factae. Ideo α) excluduntur omnes donationes, omnesque contractus quibus bona quae novitio obveniunt sive in re, sive etiam in spe, notabiliter minuuntur; non vero prohibentur contractus in quibus non minus recipitur quam datur; neque testamenta, neque donationes mortis causa et similia, ut pluries S.C.C. declaravit: ratio est quia his actibus novitii libertas non minuitur. Similiter non prohibentur eleemosynae, largitiones, etiam monasterio factae, respectu bonorum novitii, vere mo-

dicae; ~~nectandem~~, si Constitutiones non obstent, prohibentur, ut cit. cap. expresse declarat Trid. quae novitius vel parentes pro victu ac vestitu tempore probationis rependunt.

β) Excluduntur omnes donationes antea factae, itaque prohibitae renunciationes irritae forent non modo si a novitio post habitus susceptionem et ante bimestre legale fierent, verumetiam si ante ingressum, intuitui tamen et causa ingressus, factae fuissent.

γ) Prohibitio intelligenda est non modo de bonis civilibus, verum etiam de ecclesiasticis: scilicet de beneficio quod forte haberet novitius, ut pluries declaravit S.C.C. Vide Fagn. C. Statuimus 23 de Regul. n. 19 et Ferraris V. Regulares VII, 46. Retinet ergo usque ad tempus legitimae renunciationis omnia jura realia (fructus) et personalia (jura suffragandi, eligendi etc in capitulo)." Debet Epus quoad beneficia curata idipsum agere quod alias praestare consuevit, cum parochus aliquo impedimento detinetur ne animarum curam exercere valeat; quoad beneficia vero choralia, relictis tyroni religioso qui choro interesse nequit, ipsius beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet ut jura praescribunt, juxta opinionem in praxi receptam." Ita Ben. XIV. Const. "Ex quo dilectus." Bull. R. IV. 366.

3) Fiat intra duos menses ante professionem. Quod bimestre non moraliter sed mathematice est computandum, inde a die qua regulariter tempus probationis perfectum censendum erit, hic est terminus proximior possibilis: terminus remotior erit bimestre computatum juxta diem qua effective professio emittetur.

Postquam vero Pius IX legem tulerit a. 1857 de triennio in votis simplicibus persistendi, dubium factum est ab utra professione bimestre sit computandum, ideoque S. Sua die 1 Aug. 1862 "Apostolica auctoritate statuit... locum habere infra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium", idem de monialibus dicendum "Perpensis" n. 11. Notabilis est dispositio hujus n. 11, quippe cum nec omnino quadrat cum formula Card. Bizzarri de qua mox, nec cum Normis = ex una enim parte dominio radicali prohibentur se abdicare, ex altera vero parte usumfructum cedere debent nec pro libitu de fructibus disponere permittuntur moniales.

4) Renunciatio facienda est de licentia Epi. illius scilicet in cujus

dioecesi sita est domus novitiatus, vel potius hodie simpliciter professi monasterium. Cfr. resp. S. C. C. apud Chaillot, An. Jur. Pont. t. IX, 778. Epus autem deputare potest ad effectum vic. generalem vel alium.

Haec licentia non tum petenda, sed et obtinenda est, et quidem ante effectivam renunciationem sub poena nullitatis; sufficit tamen oretenus concessa, licet tutius sit ad probationem in foro externo, illam impertiri in scriptis.

In una Praenestina Carmelitarum S. C. C. 19 Jan. 1686 declaravit "teneri (novitios) personaliter se conferre coram Epo, vel ejus Vicario gen., aut altero per Epum deputando, Analect. Jur. Pont. t. 9, p. 779, decet igitur Epum istum deputare personam quae adiri possit sine incommodo religiosi pernoctandi extra monasterium.

5. Juxta stylum antiquum S. C. Ep. Reg. renunciatio fieri non poterat per actum privatum sed legalibus vestienda erat solemnitatibus. Verum ex eo tempore quo codex civilis Napoleonis omnino prohibuit et irritam fecit quamcumque stipulationem circa successiones futuras, etiam consentiente eo de cujus successione agitur art. 1130 cfr. 791 et 1600, id factum est prorsus impossibile. Unde in istis regionibus sufficiunt solemnitates Tridentinae, argumento deducto a pari ex resp. S. C. Ep. Reg. in causa Urbinaten 17 Mart. 1843, apud Bizz. p. 489.

6) Tandem praedictae renunciationes, servatis debitis conditionibus, non sortiuntur effectum nisi cum professionis emissione; est igitur ipso ministerio juris suspensiva, seu conditionalis. Ideoque si contingat novitium mori antequam ad professionem perveniat, donatio cassa est et bona redeunt ad haeredes. Ideo etiam post renunciationem factam religiosus valide et licite potest condere testamentum circa eadem bona, pro casu quo morte praeventus professionem non ederet.

Schol. Ipsum Trid. Societatem J. ab hoc lege exemit, cit. cap. 16.
Cum societas exempta sit a solemnitatibus Tridentinis, renunciatio semel facta juxta constitutiones absolutae et irrevocabiles sunt. Cfr. Schmalzgr. 2. tit. de Regul., n. 135-137.

Quoad beneficia, juxta Ex. gen. c. IV, § 5, jure retinentur usque ad completum annum 1um probationis. Cgr. I, d. 1558, can. 1 edixerat, ne cogerentur dimittere beneficia ante Profess. vel gradum coadjutoris formati, nisi jubente generali. Verum Cgr. V, d. 19 (1594) sancivit ut beneficia ecclesias-

tica omnia, finito biennio, ante vota simplicia omnino resignentur.

Quoad alia bona juxta Ex. gen. IV. § 1. 2. renunciatio ante ipsum ingressum esset facienda vel certe promittat ingressurus se post annum promptum fore ad abdicandum. — Verum Cgr. VII, d. 17 (1616) - tq. terminum competentem statuit 4ennium post ingressum, a quo nemo nisi solus Praepositus Generalis dispenset. — Id quidem confirmavit Cgr. XV, d. 8 (1708) modo religiosus judicetur stabilis in vocatione, 20 annum attigerit atque juxta patrios leges de sua re disponere valeat. — Hodie communiter fit paulo ante gradus susceptionem.

§ II. In Institutis.

I. Cum in hisce Institutis emittatur votum paupertatis simplex, cui minime congruunt effectus juridici voto solemni ab Ecclesia alligati, renunciatio bonorum prorsus alia ratione temperatur. Imo, si stricte loqui velimus, nulla facienda est renunciatio quoad ipsam nudam bonorum proprietatem, sed mera dispositio de usu et usufructu redditutum vel fructuum ipsius rei propriae.

Quod ut intelligatur necessario statim aperiendum est in quo praecise stet ratio hujus paupertatis voti. Sciendum igitur quod: 1) Pius IX litt. apost. "Quam maxima", 13 Nov. 1847, declaravit hoc votum in eo consistere: "ut voventes, libere quacumque de re disponendi jure, priventur." Quod profecto nullam incapacitatem possidendi importat. 2) Sedes Ap., ut patebit ex documentis statim afferendis, omnino voluit, ut ligati voto simplici paupertatis, abstineant ab omni administratione suorum bonorum. Licet hujusmodi administratio per se non obstet voto paupertatis, ut videre est in oeconomo etiam Regulari bona monasterii administrante, quia tamen secum traheret, ut plurimum, periculum affectus ad res temporales et sollicitudinem variam, rectissime proscribitur. Ex hoc duplici elemento, in paupertate Institutorum imbibito, descendit modus practicus quo renunciatio vel dispositio bonorum fiat oportet.

II. Modus agendi a Sede Ap. praescriptus ab anno 1860-1901.

Post varia tentamina non unius coloris, demum ab anno 1860 S. des Ap., per organum S. Cgr. Ep. Reg., universis Institutis appro-

bationem constitutionum flagitantibus, uniformem rationem agendi praescripsit, quae invaluit usque ad publicationem Normarum a. 1901. Hanc formulam tibi exhibet Card. Bizzarri in sua collectan. p. 793 et 807.

Ad tenorem hujus formulae:

1) Non tenentur ante professionem dominio radicali bonorum suorum renunciare, possunt tamen de eo per testamentum disponere quandocumque voluerint, de consensu Superioris Gen., etiam per actus inter vivos.

2) E contra professis omnino interdicta est bonorum suorum administratio et redditium erogatio et usus. Ideo:

3) Tenentur ante professionem cedere — per actum publicum vel privatum — a) administrationem, b) usum suorum bonorum cuicumque voluerint, etiam proprio, si placuerit, Instituto. — Ubi notanda est obligatio cedendi usum igitur vovendo paupertatem, sibi reservare non poterant fructus, quos singulis annis, etiam de licentia Sup. Gen. ad beneplacitum, huic vel alteri bono operi incerto attribuerent; multo minus eas servare poterant sic, ut sorti accrescerent.

4) Formula cessionis ita concipienda est, ut ipso egressu professi ex Instituto, si quando contingeret, irrita fiat. Imo concipi potest cum clausula "revocationis ad nutum", ita tamen, ut post professionem, religiosus ad actum revocationis in conscientia procedere nequeat, sine licentia Sedis Ap.

III. Modus agendi praescriptus in Normis 1901.

1) Convenit, ut omnes et singuli antequam vota temporanea primo emittant, de suis bonis praesentibus et futuris per testamentum omnino libere disponant. n. 120.

2) Dominio radicali bonorum suorum se abdicare per actus inter vivos, nemini licet ante professionem votorum perpetuorum, et post professionem perpetuam, id non licet, sine venia Sedis Ap. 119, 121

3) Prohibitum est professis retinere per seipsos administrationem bonorum suorum. Propterea hanc administrationem cedere debent ante prima vota personae bene visae, etiam Instituto si utrimque placuerit. n. 115.

4) Pariter disponere debent de usu et usufructu redditum

vel fructuum bonorum suorum quo modo ipsis placuerit, etiam, si placuerit, in favorem Instituti.

Immutata hac formula: disponere debent ... quomodo ipsis placuerit, dum sec. Card. Bizzar. olim dicebatur: cedere debent usum et usumfructum, nata est recentissima controversia, nempe utrum novitius ante professionem disponere valeat de redditibus bonorum sic, ut singulis annis accrescant sorti. Ut assolet, inventi sunt qui negativam propugnarent, et alii, qui affirmativam tuerentur, inter quos eminet cl. Battandier: Guide can. 5 édit. p. 134 sq. Militat cl. Protonotarius praesertim duplici argumento. 1) Qui licite disponit de fructibus bonorum suorum, eo modo quo ipsi placuerit, profecto ante professionem hunc modum eligere potest, quo redditus annuatim accrescant sorti. 2) Quia ipsa haec dispositio sapiens est. Experientia quippe edocemur redditus pecuniarios tractu temporis semper decrescere, nisi sorti aliquid adjiciatur: bona autem immobilia sive rustica, sive urbana, casibus extraordinariis, puta inundationi, incendio etc. obnoxia sunt; cum igitur religiosus post professionem jure retinet dominium radicale, eodem jure retinebit fructus, sine quibus illud dominium in statu praesenti servari nequit. Candide fateor utrique argumento verum pondus inesse, si essentia tantum voti simplicis, ut eam Pius IX definivit, consideretur, et si res a priori definiri vellet. Quin tamen huic sententiae adhaeream, maxime me movet auctoritas ipsius S. Cgr. Ep. Reg. quae ex instituto interrogata "utrum religiosus ante suam professionem ita disponere valeat de fructibus sortibus (del suo capitale) ut accrescant sorti", die 21 Nov. 1902 — igitur post editionem Normarum — respondit: negative. Inde conjicio illud verbum "disponere debent", ex mente S. C. aequivalere antiquo termino "cedere debent", ideoque dixisse, n. 116 "cessionem" quod n. 115 "dispositionem" vocaverat. Decis. allat. vide in Analect. Eccl. 1904, p. 248.

5) Haec omnia facienda edicuntur: ante prima vota, nullo assignato temporis articulo nulla mentione facta de bimestri Tridentino. Recte igitur novitius ad hos actus deveniet, quandocumque sibi bene visum fuerit.

Art. III. De Positione juridica Novitiorum.

1) In favorabilibus veniunt nomine personae ecclesiasticae, immo et religiosae: hinc gaudent privilegiis clericalibus fori et canonis; participant privilegiis, gratiis, indulgentiis Ordinis, exceptis iis tantum quae in Bulla concessionis ad Professos expresse restringuntur. Quod si ad Ordinem exemptum pertineant eximuntur et ipsi a jurisdictione ordinarii.

2) In odiosis, clericos vel Regulares concernentibus, habentur veluti laici vel saeculares: Hinc non incurrunt casus reservatos ordinis, nisi expresse ad Novitios extendantur, ita Cniter DD. — Patres Generales S. J. tenuerunt novitios societatis omnino reservationi subjacere; imo P. Claudius prohibuit "ne quis doceat quod nostri novitii non subjacent reservationi." Plures tamen censent, hanc Claudii prohibitionem obsolevisse. Ipsi viderint. — Libros imprimere possunt absque Praelati regularis licentia, quin incurrant poenas ab Eo statutas. Cfr. Const. Leonis XIII "Offic. et Mun." tit. II, cap. 1. n. 36.

3) Quoad formationem et instructionem religiosam, quoad regimen animae suae subsunt privative Magistro Novitiorum, qui eligendus et constituendus est ad tramitem decreti Clem. VIII. "Cum ad Regularem" § 13. Ad ipsum solum spectat eorum confessiones audire, nisi quod superior semel vel bis in anno, per se, vel per alium, eos audire valeat — firma manente prohibitione Clem. VIII "ne superiores sint confessores subditorum".

In Societate ubi saepius contingit Magistrum Novitiorum simul etiam munus Rectoris agere, haec prohibitio difficultatem invexit. Omissa historia variationum quae in hoc puncto obtinuerunt, jure novissimo, in Congr. XXII (1883) d. 30, n. 2, statutum est; ex constitutionibus nostris et Concessione Clem. VIII, Urb. VIII, Leonis XII „Plura inter" 11 Jul. 1826, confessor novitiorum Magister est, licet sit Rector, attamen semel vel bis in anno superiores majores deputent aliquem qui novitiorum confessiones audiat cum effectu; relicta praeterea ipsis iisdem superioribus facultate audiendi bis in anno eorumdem confessiones per se, vel per deputatum.

A reservatis (si illa incurrant) eos absolvit apud nos Magist. Nov. cujus facultates tamen, si Rector non sit, a superiore restringi possunt.

Hinc concludes: Novitios nostros dum versantur in domo probationis. 1) illicite instituere confessionem apud quemcumque sacerdotem, exceptis enumeratis, stante jussione Clem. VIII. "Soli Magistro confiteantur".

2) invalide etiam apud quemcumque alium de Societate, et hoc certum est: quia societas enumeratis ttum personis confert in novitios jurisdictionem.

3) utrum etiam invalide apud extraneum approbatum ab Ordinario, non consentiunt nostri DD., ita ut si pondus auctoritatis personarum respicios, utraque responsio dicenda sit probabilis; superior enim dicunt patroni responsionis affirmativae sciens hujusmodi diversitatem opinionum, nisi contradicat supponendus est tacite hanc potestatem tribuere — a reservatis tamen (si illa incurrant) extraneus certo non valide absolveret.

4) Novitii subjiciuntur Superioribus Ordinis cujus habitum susceperunt. Et sane superior:

a) Gaudet potestate dominativa in novitios, haec enim exigitur ad rectam domus gubernationem.

b) Cum jurisdictio Praelati regularis in Ordinibus exemptis sit quasi-episcopalis in suos, et quidem in utroque foro: ideo potest, quae Epus, sub censuris praecipere; delinquentes novitios punire poenis spiritualibus et corporalibus; dispensare cum eis super irregularitatibus non reservatis: imo poterit per se, si tamen expediat, casus quosdam reservare. Dixi per se quia in praxi, quoad amplitudinem et exercitium talis potestatis, attendendae sunt uniuscujusque ordinis constitutiones.

5) Licet nec per se, nec directe teneantur novitii ad observantiam Regulae, tenentur tamen ex honestate, ex fine suscepti novitatis qui est probare religionem et probari ab ipsa, ratione etiam ordinis, pacis publicae, et causa vitandi scandalum.

6) ad ordines minores promoveri possunt, juxta leges Ecclae, ab Epo in cujus dioecesi situm est novitiatus monasterium; imo etiam ad ordines majores, attamen: nec titulo paupertatis in ordinibus, nec titulo missionis aut mensae Cnis in Institutis, sed ttum titulo Beneficii vel patrimonii, et si praeterea ad subdiac., uno, ad diaconat. duobus, ad

presbyterorum tribus annis S. Theologiae operam dederint. Juxta decr. "Auctis adm." 4 Nov. 1892.

7) Juridice, seu in foro externo, novitius semper facultate gaudet abeundi, etiamsi vota devotionis forte emiserit, tum quia hujusmodi vota per se implicitam habent conditionem: nisi rite dimittar, tum maxime quia vota interna in foro externo non attenduntur. Aliter tamen pro diversis casibus res in foro interno judicanda esset.

8) Caritate erga novitium et ipsum ordinem, imo aequitate naturali, prohibetur superior penes quem est facultas dimittendi quominus eam in novitium sine justa causa exerceat. In dubio tamen positivo, potius consulat bono ordinis quam bono privato novitii ancipitis

Cap. VIII. De Professione religiosa.

Agendum hic de Professione Religiosa prout emittitur vel in Ordinibus stricte dictis, vel potius in Institutis votorum simplicium. Unde materia in duos dividitur articulos.

Art. I. De Professione religiosa in Ordinibus.

In hisce familiis olim vigebat unica professio solemnis. Verum, die 19 Martii 1857, Pius IX, litteris Encyclicis statuit; ut in ordinibus virorum, post probationem legitime peractam, novitii vota emitterent simplicia in quibus per triennium permanere debent, quo elapso, ad professionem votorum solemnium admitti poterunt.

Haec dispositio in cit. Litt. Encycl. "Neminem latet" injungebatur quidem verbis gravissimis, et ex praecepto obedientiae, non tamen sub poena nullitatis professionis aliter factae; haec sanctio nullitatis demum addita fuit in Const.ª ad universalis Eᶜᶜ" 25 Junii 1861. Ideoque in ordinibus virorum, excepto casu personalis dispensationis a Sede Ap. concessae, ad professionem solemnem omnino deveniri non potest, nisi praecesserit professio votorum simplicium. Moniales quidem ab hac innovatione immunes manserunt donec die, 3 Maji 1902, universa haec legislatio per decretum "Perpensis", cum omnibus suis effectibus juridicis ad ipsas quoque

extensa fuit, firmis tamen manentibus indultis a S. Ap. jam concessis, quorum vi, nonnullis in locis vel Institutis, professio votorum simplicium ad longius tempus emitti possit. De hac ergo nobis primo loco agendum.

§ I. De Professione simplici in Ordinibus ante solemnem emittenda.

1) De amplitudine legis. — Ipsa se extendit ad omnes omnino religiosas familias cujuscumque ordinis, congregationis, Instituti in quibus vota solemnia emittuntur et in unoquoque ordine ad omnes personas i.e. tum ad scholasticos, tum ad laicos; irritatque õem professionem solemnem cui triennium legale non praeiverit, etiamsi ignoranter id factum fuisset, nonobstante qualicumque intentione voventis, admittentisve, licet etiam adhibeantur omnes ritus ad professionem solemnem praescripti. Const. "ad univers. Eae" decr. "Perpensis" n. 2.

2) de praerequisitis ad hanc profess. Praeter novitiatum juxta decretum Trid. et constitutiones ordinis legitime peractum, requiruntur in Italia, in insulis adjacentibus, et in Sabaudia (S. C. sup. stat. Reg. 1 Maj. 1851) ad liceitatem (16 Jan. 1852, Bizz. p. 843) ea omnia quae praescribuntur in decreto "Regulari discipl." parte 2, 25 Jan. 1848, — Bizz. p. 837. Quoad Moniales observanda est praescriptio Trid. XXV, c. 17. de Reg., de exploranda voluntate per Epum, eadem ratione ac supra ante habitus susceptionem.

3) De natura horum votorum: Juxta declarationes constitutivas Pii IX, 12 Jun. 1858, Bizz. p. 856.

a) perpetua sunt ex parte voventis, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia in quibus complementum ac perfectionem accipient. l. cit. n. 1, "Perpensis", n. 5.

b) eorum dispensatio reservata est R. Pontifici, cui professi justis urgentibus causis preces porrigere possunt l. c. n. 2. "Perpensis" n. 5.

c) Solvi possunt etiam quoad viros tantum ex parte ordinis, in actu dimissionis Professorum, ita ut data dimissione, professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant. n. 3.

Dimissio, ad quam summa charitate, prudentia et justa de causa procedere debet, spectat ad solum Sup. Generalem Ordinis, cum suo consilio generali; potest tamen ipse cum eodem consilio in regionibus longinquis ad dimittendum subdelegare probos et prudentes religiosos qui saltem tres esse debent. n. 4. ad decernendam dimissionem, nec processus, nec forma judicii requiritur, sed sola justa causa et veritas facti perspecta. Justa vero causa nunquam censeri potest infirmitas post vota simplicia superveniens. Nec quidquam in hac re immutavit decretum "Auctis admodum": tum quia regulariter respicit alumnos Institutorum; tum quia durante triennio professi, de quibus hic agimus, non possunt promoveri ad ordines sacros titulo paupertatis. Excipias tamen scolasticos Societatis J. — Quoad moniales vertente triennio dimittendas, in singulis casibus recurrendum est ad Sedem Ap. exponendo distincte graves causas quae dimissionem suadere, vel exigere, videntur. Perpensis, n. 12. Egredienti moniali quacumque de causa insuper restituenda est integra dos quoad sortem, exclusis fructibus. Ibid. n. 13.

d) Retinent dominium radicale suorum bonorum, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et redditum erogatio et usus. Debent propterea ante professionem simplicem, usque ad tempus abdicationis, nempe bimestre ante professionem solemnem cedere administrationem, usumfructum et usum quibus eis placuerit, etiam suo ordini, si ita ipsis placeat, modo tamen quoad hoc ordinis constitutiones non obstent, ut apud Capucinos.

4) <u>Locus emittendae professionis.</u> — In Italia et insulis ex const. Clem. VIII "Nullus omnino" § 33. B. R. V5, in domo novitiatus a Sede Ap. assignata emittenda est sub poena nullitatis, nisi agatur de familiis exceptis ab ipso Clemente ut supra dictum est. — In aliis regionibus, natura rerum secumfert, ut ibi admittatur, ubi ejus notitia habetur, scilicet in novitiatu. Moniales in suo conventu.

5) <u>De positione canonica horum professorum.</u>

1) Participant omnibus gratiis, atque privilegiis solemniter professorum. l. c. n. 6. Perpensis, n. 6.

2) Remanere debent viri in domibus Professorii et studiorum et vitam omnem perfectam agere. Recurrente tamen tempore solemnis professionis, licite et libere profiteri poterunt in ipsa domo in qua eo die inveniuntur. Pius IX, 9 Dec. 1859. Bizz. 858.

3) A die hujus professionis currunt anni in ordine requisiti ad habendam vocem activam et passivam l. c. n. 8: quod tamen non extenditur ad Praelaturas, nam, die 16. Jan. 1891, S. Cgr. sup. st. reg. declaravit: taliter professos, nec licite nec valide, eligi posse in Praelatos vel superiores in Ordine suo. Cfr. A. S. S. vol. 24, 566, Zeitschrift. 1891, p. 774. — Moniales deputari poterunt ad minora coenobii officia sed ad munia superiorissae, vicariae, Magistrae novitiarum, assistentis seu consiliariae et oeconomae eligi nequeunt. Perpensis 8.

Insuper suffragium habent in actis Capitularibus sui conventus ut solemniter professi, l. c. n. 8, excluduntur tamen ab iis actibus capitularibus qui tangunt acceptionem ad solemnem professionem, 7 Febr. 1862, et multo magis a capitulis provincialibus. Cfr. S. C. Ep. Reg. in uno Ordin. Hierosolym., 27 Apr. 1866, in quibus non jam res conventus sed Provinciae tractantur — Imo viri, non tamen moniales excluduntur a ferendo suffragio pro admissione ad profess. votorum simplicium, 1 Sept. 1875.

4) Choro interesse quidem debent, ut solemniter Professi, non tamen tenentur ad privatam recitationem divini officii. Perpensis n. 7.

5) Ut dictum est supra retinent dominium radicale suorum bonorum.

6) Superiores regulares, servatis servandis, iis litteras dimissorias concedere valent, sed duntaxat ad tonsuram et ad minores. Non enim possunt titulo paupertatis ad sacros ordines promoveri, excipe tamen scholasticos S. J. juxta Br. Greg. XIII, ult. Febr. 1573, "Ex Sedis Ap.cae" et Const. Greg. XIV "Eccl.ae Cath.cae", 28 Jun. 1591, qua expresse derogatur dispositioni S. Pii V extendentis decretum Trid. XXI, rf. cap. 2 ad Regulares non professos in sua Const. "Rom. Pont.", Octob. 1568.

7) A Provinciali indultum habente, quo vix non omnes gaudent, dispensari possunt super irregularitate ex defectu natalium quoad primam tonsuram et ordines minores.

8) Triennium legale virorum, ex justa tamen et rationabili causa, prorogari poterit a superioribus; nunquam tamen ultra 25 annum expletum. Iis ergo qui habitum susceperunt post 21 annum expletum, lex est stricte applicanda: S. C. st. Reg., 16 Aug. 1866, ap. Bizz. 367, ideoque in singulis casibus prorogationis ulterioris

ad S. C. recurrendum. — Quae lex adamussim a monialibus servanda est juxta hunc modum, ut in casu prorogationis ea fiat, si ordinario loci subjectae sint ab ipso ordin.; si exemptae sint, a generali vel Provinciali cui subjiciuntur, postquam superiorissa et magistra novitiarum justas ac rationabiles causas in scriptis declaraverint. — Trappensibus in genere concessum est, ut justa et rationabili de causa, triennium ad quinquennium extendere valeant. — Notabilis est insuper dispositio Pii IX, die 28 Julii 1854, quoad Equites Ord. Hierosolym.: hi enim professionem solemnem emittere nequeunt ante 26 annum expletum, vota porro eorum simplicia, non sunt perpetua, sed annalia, ita ut elapso anno sola non renovatione simpliciter cessent, in his porro ante professionem solemnem toto decennio steterint oportet. Cfr. Acta S. S., t. 2, p. 97.

c) De fide facienda, lex const. Clem. VIII "Cum ad regularem", 19 Mart. 1603, § 24 "Superior cujuslibet conventus in quo novitiatus fuerit constitutus particularem librum habeat in quo uniuscujusque novitii professio registretur, illumque propria manu, et duo testes qui praesentes fuerint subscribant."

§ II. De Professione solemni.

1. Ejus natura:

Recte definitur: Contractus sacer utrimque obligatorius quo quis per vota solemnia se Deo et Religioni ab Eᵃ approbatae tradit, et Religio vicissim hujusmodi traditionem acceptat, cum onere ipsum voventem perpetuo retinendi et tamquam filium juxta instituta et regulas tractandi. — Cfr. cap. 13, 16 h. t. Schmalzgr. Pirhing.

Importat hic actus ex parte voventis duplicem donationem: priorem Deo et quidem per vota solemnia, alteram Religioni factam; in ordine intentionis primo se tradit Deo, in ordine vero executionis concipitur se tradere per prius huic familiae religiosae et per eam Deo.

Ut hanc doctrinam satis implexam apud multos, rite perspicias, attendas quod per vota vovens intendit Deo in suam personam tradere novum titulum, vi cujus fiat ejus persona specialis ob[ie]ctum, ... Porro donatio non potest ... solo ...

-ic enim maneret potius promissio quam traditio, sed requirit omnino acceptationem donatarii, nempe Dei qui personam voventem ad conditionem servi peculiaris et holocausti admittat. — Ast in praesenti ordine Providentiae Deus non vult in se suscipere immediatam gubernationem personae privatae, ideoque recurrendum est ad auctoritatem divinitus institutam ad hunc effectum, quaeque Dei locum gerit, i.e. ad Ecclesiam Xti: pressius ad eos qui acceperunt potestatem ligandi et solvendi, quique positi sunt a Spiritu S. regere Ecclesiam Dei: ad Episcopos qui, per se vel per delegatos suos, oblationem voventis Deo factam, nomine Dei accipiant. Ita per se, de facto tamen Conc. Lat. IV (1215) hanc causam Rom. Pontifici reservavit, ideoque ipse approbat coetus religiosos: ordines judicio peremptorio in facie totius Ecclesiae, Instituta judicio permissivo; ipse pariter R. Pontifex Superioribus Ordinum sententia decretoria, superioribus Institutorum concessione permissiva facultatem facit vota respective nomine Instituti, vel Dei acceptandi. Recedens a prima severitate Concii Latni Rom. Pontifex hodie utrumque jus approbandi et delegandi qui vota nomine Instituti accipiat, Episcopis restituit quoad Instituta in eorum stadio inchoativo, ut videre est in Const. "Conditae". Leon. XIII. Hac igitur ratione oblatio voventis Deo proposita, a Deo acceptatur, et locum obtinet vera traditio sui Deo facta.

Haec traditio sui Deo facta, ut dixi, in intentione voventis prior est, in ordine vero executionis posterior: ea scilicet hodie ad effectum traduci nequit nisi virtualiter alia traditio voventis, ordini vel Instituto facta, praecesserit. Ratio hujus asserti, non in essentia metaphysica rerum, sed in positiva Eae legislatione quaerenda est.

Et sane idem Conc. Lat. IV non tantum Religionum approbationem tq. causam majorem Sedi Ap. reservavit, sed praeterea ab authentica et publica Dei servitute religiosa exclusit omnem formam vivendi eremiticam, independentem; omnibusque religiosis vitam coenobiticam seu socialem injunxit. can. 13 = c. ult. de Relig. domib. III, 36; innovavit legem Conc. Lugd. II (1274) ut habes in cap. unic. de Relig. dom. in VI, III, 16 Cfr. Extravag. Joan. XXII. eod. tit.

Quae cum ita sint, superiores, utut delegatione potiantur

ad accipienda vota nomine Dei, ea uti nequeunt, nisi erga voventem quem, et prout eum, tq filium et membrum suae familiae admittunt. Pariter vovens, licet primo et per se intendat Deo se exhibere ut servum peculiarem, hunc statum authentice et in facie Eae assequi non potest, nisi prius alicui familiae religiosae se in membrum, et superiori ipsius ut filium tradat, juxta normam in hac familia taxatam, et sub potestate Praelati Deo ex religiosa obligatione serviturus. Sic demum traditioni Deo factae, praeconcipienda est, non quidem tempore attamen natura, traditio Ordini vel instituto facta.— Ad hanc igitur conditionem, legislatione positive invectam, se referens Angelicus, II, II. 88, V ad 3o, acute dixit: "ipsa promissio obediendi praelatis hujus Religionis est materia voti obedientiae Deo facti", non enim alia jam ratione quis *religiosam* Deo obedientiam spondere potest, quam ingrediens familiam ejusque praepositis se subjiciens.

Schol. I. Ex tradita doctrina intelligitur jam, cur peccatum contra votum obedientiae constituat non modo sacrilegium, dum furatur rem in ditionem Dei transcriptam, sed et *injustitiam* erga familiam religiosam, quippe quae contra fidem ipsi datam, adeoque injurioso modo, prohibetur uti persona ut sua. Cfr. Lessius, de Just. et Jur., lib. II, c. 41. dub. 8.

Schol. II. Intelliges pariter ex dictis, quam otiose nonnulli discrimen inter vota solemnia et simplicia in eo posuerunt quod priora involvant traditionem, posteriora minime. Traditio enim sui in membrum familiae religiosae, vota omnino non afficit, sed est conditio ab Ecclesia posita, et purificanda prius quam vota *religiosa*, sive solemnia, sive simplicia, emittere possis. Quod autem rem non afficit, eam profecto non diversificat; praeterea vides falsitatem assumpti, scilicet in Institutis traditionem non haberi.

II. Quotuplex agnoscatur

1) Professio solemnis in jure Decretalium et Tridentino duplex agnoscitur: expressa scilicet atque tacita.— *Expressa* est quae verbo, scriptura, vel nutibus voluntatem voventis sufficienter declarantibus, exprimitur. *Tacita*, quae nec voce, nec scripto fit, sed per unum vel per plures actus professis proprios induci censetur, seu a jure praesumitur.

2) Circa prof. tacitam nota: a) In quibusdam ordinibus adest diversitas manifesta inter novitiorum atque professorum habitum, puta quia colore vel figura differt. In aliis, licet rarius, nulla adest distinctio manifesta, sed tantum occulta, vgr. quia habitus professorum benedictione sanctificatur, cfr. c. 1. de Regul. in VI. b) Nunquam ante annos pubertatis inducebatur, nec a jure praesumebatur arg. c. 8. de Regul. III. 31. c) Quoad legislationem in hac materia distinguenda est triplex epocha: tempora Decretalium, epocha Tridentina, et tempus ab anno 1858 ad 3 Maji 1902.

<u>1ma Epocha.</u> Jure Decretalium, in Ordinibus ubi habitus novitiorum et professorum erat distinctus, tacite professus censebatur <u>pubes</u> omnis, qui <u>expleto anno probationis</u>, scientibus et consentientibus superioribus, per triduum in monasterio gerebat habitum professorum, vel in actus professorum vgr. suffragandi in capitulo, sub iisdem conditionibus se ingerebat cfr. cap. 8, ad nostram. de Reg. et commentat. ibi qui monent hanc regulam verissimam esse, modo iste novitius noverit hanc juris praesumptionem. — Si vero <u>intra annum</u> probationis "sciens et voluntarius" assumpsit habitum, vel se ingessit tunc quidem tenebatur non ad illam determinate religionem cujus habitum susceperat, sed disjunctive: ad hanc vel aliam quamcumque, pro arbitrio. cfr. c. 3. h. t. in VI in fine.

In ordinibus autem ubi nulla distinctio habitus observabatur, censebatur tacite professus quicumque post probationem legitime peractam, integro ~~anno~~ in habitu perseverabat.

Non diffitendum est quod hujusmodi tacitae professiones saepe ansam praebuerunt interesse habentibus ad lites movendas, et sic familiis religiosis difficultates suscitabant; hinc Religio FF. Praedicatorum, et forte aliae qui ejus exemplum, statuerunt, ut omnes alumni expresse profiterentur, vel certe post peractam probationem novitio praefigeretur auctoritative terminus peremptorius, quo elapso, absque reclamatione, sive novitii sive Religionis, ipso jure, censeretur professus.

In Societate Jesu professio tacita nunquam locum obtinere potuit, quippe cum in ea substantiale, ut publice votum <u>legatur</u> ex Scripto, Const. S. J. Part. V. c. 3. lit. A. Vide etiam Schmalzgr. l. c. n. 160.

2ª Epocha Tridentina. Hoc professionis genus cum PP. Trid. non abrogarunt, implicite illud sustinuerunt, verum duplicem limitationem apposuerunt: nempe omnem professionem ante 16 annum expletum, et ante expletum annum probationis legalem, irritam declararunt. Ideoque praedictae juris anterioris regulae non nisi post adimpletionem utriusque conditionis sine qua non verificari poterant — Immo cum serius pro Italia et insulis, Clem. VIII declaravit nullam, omnem professionem non emissam in domibus ad effectum a S. Apostólica assignatis, exinde accessit tertia limitatio.

Dices: Qui tandem post Trid. adhuc locus esse potest professioni tacitae cum concilium Praelatis regularibus injungat, sess. XXV. rg. c. 16, ut expleto novitiatu, quos idoneos reppererint ad professionem admittant, alios vero ejiciant?

Resp. 1) Trid. non dixit: ad professionem expressam, sed ad professionem simpliciter, haec autem in jure duplici ratione enasci potest. Ergo.

2) Illud: ejiciant non est coarctatum ad tempus mathematicum, sed jus ipsum superioribus sex menses determinat, quo tempore ex utriusque sientia et voluntate bene nasci poterat professio. Idem evenire poterat cum, sive incuria legis, sive aliam ob causam, Praelatus de facto dispositionem Trident. minime executioni mandavit.

3ª Epocha hodierna. Pius IX in declarationibus constitutivis, quibus, die 12 Jun. 1858, pressius circumscripsit legem triennii anno superiori 1857 latam, n. 11, ap. Bizzar. p. 857 statuit: "ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est." Hoc jus spectabat exclusive viros, unde tacita professio verificari adhuc poterat penes moniales, verum et apud eas abrogata est, die 3 Maji 1902, dum per decretum "Perpensis" legislatio Piana eis accommodata fuit. Nulla ergo hodie tacita professio in ordinibus possibilis manet.

Plures AA. censent eam locum habere, vel posse habere, in

Institutis tum virorum cum mulierum. Hanc assertionem ex ratione speculativa, aut a priori negare minime auderem; practice tamen omnino desperata est, cum ei obstent et mens horum Institutorum, et stylus manifestus S. C. Ep. Reg.

III. De conditionibus ad validam professionem requisitis.

1) Quaedam a jure naturali ponuntur. Cum hic agitur de contractu vel matrimonio spirituali, postulatur sane consensus liber qui nempe nec dolo, nec vi, neque metu gravi et injusto sit extortus. Aliae deinde a jure positivo exiguntur, videlicet.

2) Ut professionem emissurus nullo laboret impedimento dirimenti sive a jure comi, sive a constitutionibus a Sede Ap. confirmatis, stabilito.

3) Ut praecesserit legitima probatio et triennium votorum simplicium. Eade causa, nemo hodie, citra dispensationem Ap., ante 19 expletum si clericus sit, nemo laicus ante 24 <u>valide</u> profiteri potest. Apud moniales nulla ante 19 an. expletum.

4) Ut professionem emittat in aliqua Religione approbata. Cum porro Ec. non approbet ordinem, quin tria substantialia Christi consilia prosequatur, ideo necesse est ut emittantur formaliter vel aequivalenter tria vota substantialia. Dixi – aequivalenter – quod verificatur in illis Ordinibus quorum formula professionis non explicite et distincte, sed tantum implicite tangit tria vota: v. gr. in Regul. S. Bened. c. 58, S. L. t. 66, 805 profitens promittit obedientiam et conversionem morum i. e. paupertatem et castitatem, Fr. Praedicatores, Canonici SS. Salvatoris etc. promittunt: obedientiam sec. Regulam; Carthusiani "promitto conversionem morum meorum sec. Regulam", haec ipsa enim Regula jubet exercitium trium votorum.

5) Ut professio ab habente ad id potestatem acceptetur.

6) Videndum erit in singulis ordinibus utrum constitutiones a Sede Ap. approbatae forte aliquid amplius requirant ad validitatem professionis, ut v. gr. in Societate J. ubi formula professionis ex <u>scripto</u> et publice legenda est.

7) Non alligatur solemnis professio, sicut simplex, determinatae domui in qua sola valide emitti possit, sed juxta decr. Pii IX, 9 Dec.

1859, ap. Bizzar. p. 858, "licite et libere" emittitur in conventu in quo reperitur eo tempore profitens.

Quaeres: Utrum professio emitti possit sub conditione.

Resp. Id a Praelato non esse facile admittendum, ne litibus et tricis januam aperiat. Quapropter etiam in omnibus ferme Ordinibus exigitur ad validitatem categorica professio. — Speculative tamen loquendo, responsio affirmativa indubia videtur. — Ratio est quia de hoc matrimonio spirituali ratiocinari licet sicut de contractu matrimonii temporalis, i.e. conditionem de futuro appositam non invalidare professionem, modo haec conditio non sit contra substantiam vitae religiosae, et purgata deinceps conditione, professio, absque novo consensu, in absolutam transibit.

IV. De Persona admittente.

Dixi supra ad valorem professionis requiri: ut a legitima persona acceptetur. Si quaeras ulterius, quis sit habilis ad effectum. Responsio generalis datur a Trid. XXV. rg. 16: nempe Superiores. Porro Ordinum exemptorum superiores sunt Praelati regulares, non vero respectivi ordinarii locorum. Si igitur agatur de viris exemptis sine dubio Praelatus intelligendus est qui jurisdictionem quasi episcopalem in ordine obtinet; cum vero plures hierarchice sibi subordinati talem potestatem habere possint, ut sciatur ad quem ex ipsis privative per se, ad quem per delegationem spectare possit: recurrendum est ad Constitutionem singularem Ordinum, sic in ordine Fr. Minorum, id spectat ad ministros Provinciales, non excluso Ministro Generali; in ordine Fr. Praedic. ad Priorem Provincialem; idem in ord. Eremitarum S. Aug.; in Ord. Carmelitarum, ad Priorem Generalem, vel Provincialem in S.J. admissio ad solum Praepositum spectat Generalem per se, acceptatio vero per delegationem ab ipso receptam, ad quem cumque designaverit. — Quicumque demum ille Praelatus regularis sit, cujus est admittere ad Professionem eamque acceptare, in admittendo debet quidem audire capitulum conventuale ad sui instructionem, sed non tenetur, contra ac in professione simplici, quae resolutioni [illegible] S.C.C. [illegible] 11 Febr. 1862 ad 3. Bizzar. p. 861, quandoquidem licet data sit [illegible] causa [illegible] ab ipso Pio IX auctoritate [illegible]

Quoad moniales aliter respondendum, hae enim, utut exemptae sunt a potestate Epi, tamen intra familiam non habent superiores jurisdictione ppriedicta gaudentes; sed extra, puta Praelatos regularium quibus subjectae sunt, vel forte immediate Sedem Apostolicam, si huic directe subjiciantur, et in isto casu admissio ad professionem solemnem pertinet ad conventum cum consensu Superioris regularis, vel Sedis Apostolicae. – Si vero exemptae non sint admissio ad Professionem pertinet ad Epum de consensu capituli, acceptatio votorum ad Epum vel ejus delegatum, salvis tamen privilegiis Ap. ratione quorum acceptatio reservatur quandoque Priorissae. Cfr. Caeremon. Soror. Carmelit.

V. De effectibus Professionis solemnis validae.

1) Professionem emittens, dummodo sit in statu gratiae, consequitur remissionem omnium peccatorum, i.e. poenarum temporalium, II, II. 189 III ad 3, et DD. Cniter; unde, quoad hanc remissionem oium debitorum, a Patribus assimilatur baptismati. Cfr. Hier. Ep. 22 et 97. – Si quaeras qua ratione id fiat, dicendum: aut ex liberalitate divina omnia remittente illi qui erga infinitam majestatem exercet charitatem qua majorem exercere nequit, totum se in holocaustum offerendo, prout sua Majestas in futurum accipere voluerit; vel, quod fere in idem recidit, ex operis excellentia quod excedit, teste Angelico, "omne genus satisfactionis". Attendendum tamen quod professio talem remissionem non producit ex opere operato, vel per modum indulgentiae quae fundatur in meritis Xti et SS., sed ex opere operantis et consequenter ex merito personali, ideoque licet per se profitens actione sua totalem remissionem obtinere valeat, de facto tamen illam obtinet pro gradu et intensitate actualis charitatis, simul ac magnitudinis reatus poenarum. – Caeteroquin Ecc. ex thesauro suo huic emissioni adjunxit indulgentiam plenariam. – Rectissime docent AA. dictum effectum resultare etiam in casu professionis nullae, nullitate independente ab eo qui vovet, ratio est quia non in opere operato sed operantis fundatur, in casu autem nostro profitens se totum Deo tradit et plenum illi tribuit holocaustum.

2) Constituitur in statu religioso plenissime; ad votorum observantiam et perfectionis studium obligatur juxta mensuram sui Ordinis.

3) Religioni ligatur et Religio ipsi in perpetuum, ita ut mutuum hoc vinculum amplius, neque ex mutuo consensu, solvi valeat.

4) Ideoq. se sui juris amplius non est, sed transit sub potestatem et dominium Religionis cui incorporatur tq. verum et politicum ejus membrum — Ideoque professione et traditione conjuncta Praelatus acquirit jus strictum praecipiendi, cui ex justitia parere tenetur; secus faciens committit, ut supra dictum est, et injustitiam et sacrilegium; sed simul Praelatus assumit ex justitia obligationem illum alendi et gubernandi tam in spiritualibus quam in corporalibus tq. pater et dominus.

5) Hinc ulterius sub manu Praelati, i.e. in monasterio manere debet, nec, citra ejus licentiam, licite extra versaretur.

6) Ex hac die, quidquid acquirit professus, acquirit monasterio, si istud possessionis capax est.

7) Professio extinguit, et quidem ipso ministerio juris, vota praecedentia, excipe tamen vota emissa in confirmationem promissionis tertis factae et ab eo acceptatae. Huic enim ante professionem, cum det tertio jus reale, satisfaciendum est.

8) Irregularitas ex defectu natalium tollitur quoad ordines sacros suscipiendos non tamen quoad Praelaturas. C. 1. 18 de Filiis presb. I. 17.

9) Beneficia ecclesiastica quae habuit professus et quibus forte nondum renunciaverit ipsa professione solemni, ex juris dispositione vacant.

10) Matrimonium contractum et non consummatum dissolvitur, quoad futurum matrimonium contrahendum nascitur impedimentum dirimens.

VI. De sanatione professionis invalidae.

Si contingerit professionem invalide fuisse emissam, modo vitium sit sanabile, poterit talis professio adhuc convalescere, sive per interventum supremae auctoritatis ecclesiasticae, sive per ratificationem profitentis, aut Religionis, aut etiam utriusque, juxta varios casus infra expendendos.

Quod Sedes apostolica sanare valeat professionem invalidam ob impedimentum juris ecclesiastici, dubium non est. Sanat autem duplici

ratione: aut per dispensationem ab illo impedimento quod obstabat, cum obligatione renovandi consensum saltem privatim, et haec est via ordinaria. Quod si peculiares concurrant circumstantiae, dummodo consensus initio praestitus moraliter perseveret, concedit sanationem in radice, i. e. suprema sua potestate D. Papa impedimentum juris ecclesiastici tollit simpliciter, et tunc consensus effectum quem antea gignere non potuerat, producit, qui retro trahitur ad tempus ipsius professionis et propterea talis interventus sanatio in radice vocatur, varia exempla apud Bizzarri p. 476 et 634.

Professionem invalidam per subsequentem ratificationem posse convalescere jura aperte supponunt cfr. cap. 11 de Regul. et tenet unanimis DD. sent. atque praxis Sacr. Tribunalium. Ut autem sine confusione enuncientur quae ad talem ratificationem requiruntur, distinguendi sunt casus.

1us casus: professionis invalidae ob defectum pendentem a libera voluntate profitentis. — Ut haec ratificatione sanetur requiritur a) ut ratihabens sciat nullitatem suae professionis; nemo enim vult convalidare quod ignorat invalidum esse. Fallit tamen haec regula in eo qui absolute statuit; volo absolute ratificare meam professionem, etiam pro casu quo forte ab initio invalida fuisset; hic enim, licet, invaliditatem determinate nesciat, eam tamen ut possibilem admittit, et voluntate sua complectitur.

Hinc monent DD. et tenet praxis SS. CC., renovationem votorum quae a Constitutionibus variorum Ordinum praescribitur, per se solam non habere vim ratificationis. Cfr. Ferraris, v. Professio, n. 109; sed tunc tantum quando in Constitutionibus a S. Ap. approbatis, iste effectus renovationi expresse adscribitur, tunc enim renovans ita interne debet esse dispositus, ut complectatur etiam casum possibilem invalidae professionis.

b) ut sublato impedimento novus praestetur consensus, cum enim est nova professio, nova voluntate perfici debet.

c) cum Pirhing, Schmalzgr. et aliis, plures requirunt novam acceptationem ex parte Religionis ideaque insuper aliquam genericam saltem cognitionem nullitatis. Id tamen communissima sent. negat, cui adstipulatur praxis constans S. C. Ep. Reg., eo quod ista

acceptatis semel a legitima auctoritate facta, vere moraliter perseverat, ideoque, facta per ratificationem valida Traditione, statim contractus professionis perfectus est. Id multis probat Bouix, t. I, p. 620, sed sufficit provocare ad clausulam S.C. Ep. R. olim appositam in rescriptis quibus concedebatur restitutio in integrum post quinquennium legale reclamantibus contra professionem: "Dummodo professionem tacite vel expresse non ratificaverit"; ad tacitam autem professionem nullus requirebatur unquam consensus, diversus ab eo quem initio Religio praestiterat.

Nota: Veteres DD. acriter disputabant utrum ignorans professionis suae nullitatem valide eam ratihabuisse censendus sit per subsecutos actus, professionis tacitae inductivos. Affirmantibus multis, multi etiam negabant nec defuere utriusque sent. patronis probabiles rationes; negantes enim monebant quod talis religiosus praedictos actus exerceat absque ulla intentione profitendi, quomodo autem consensus sine intentione oriri posset. Patroni vero sent. affir., quorum partes strenue propugnavit Bouix de Reg. I, p. 624, aiebant: Ignorans nullitatem suae professionis, consensum prius positum non retraxit, ergo virtualiter perseverat, ergo ponit actus praedictos comitante consensu, ergo inducunt tacitam profess. — Quoad praxim, S.C.C. a multo tempore secuta est hanc regulam: ut si post 5 nn. reclamaretur declararet nullitatem prof. quotiescumque dicta ignorantia verisimiliter poterat probari, i.e. alia ratione quam per nudas allegationes reclamantis, ut videre est ex exemplis allatis a Richter, p. 425, n. 12 et 431, n. 17 — Caeterum quin hodie otiosa est tota disputatio, cum Pius IX et Leo XIII omnem professionem tacitam de medio tulerint.

2us Casus: Professionis invalidae ob defectum Religionis tantum. Ratificatione convalescet modo a) Religio novum atque validum consensum praebuerit. b) ex parte profitentis consensus olim datus moraliter perseveret, i.e. ante ratihabitationem non fuerit revocatus.

3us Casus: Professionis invalidae ob defectum alicujus conditionis substantialis a lege praescriptae; puta defectus legitimi novitiatus, vel defectus biennii legalis etc.

In istis casibus primo adimplenda est conditio requisita, et dein ex utraque parte renovandus est consensus, quippe cum iste a neutra parte antea valide praestari poterat, minime dici potest adhuc virtualiter durare, ita ut sola purificatione conditionis, ipso facto, professio invalida sanetur: quod enim ab initio de jure non subsistit, non firmatur tractu temporis, reg. J. 18, in VI.

Quaerunt hic DD. utrum Professio solemnis invalida valeat saltem in ratione voti simplicis.

Resp. 1) Quaestio nunc otiosa est: impossibile enim est aliquem, sive virum, sive mulierem hodie ad professionem pervenire, quin prius vota simplicia emiserit, in iisque triennio persteterit. Quod si absque illis praeviis solemnem professionem attentaverit, haec ipso jure nulla est, nullumque effectum per se producere valet, modo excipias casum quo taliter vovens expressam conciperet voluntatem vovendi saltem privatim castitatem, tum utique tale votum simplex teneret non tamen titulo professionis invalidae, sed ex illa expressa voluntate.

Resp. 2. Ex dispositione Cap. Quidam, 3, Placet, 12, X De Convers. conjug. si professio solemnis nulla sit ob defectum consensus conjugis in casu matrimonii consummati licet vovens, mortua comparte, non tenetur ad ingrediendam Religionem, tenetur tamen voto simplici perpetuae castitatis, ut dictum est supra, de ingressu conjugat.

Resp. 3. Qui nulliter profitens expressam simul habet voluntatem sese obligandi ad vota nonobstante nullitate hac, hic sane teneretur voto castitatis simplici, ex sic conceptâ intentione praevalente.

VII. De impugnatione professionis invalidae.

Qui professionem nullam emisit, per se non tenetur ad ratihabitationem, jus enim illi concedit facultatem reclamandi. Verum cum ex una parte professio religiosa semper recensita fuit inter causas privilegiatas, ex altera vero parte obviandum sit periculo humanae inconstantiae et pruritui temere reclamandi, ipsum Concil. Trid., sess. XXV. rg. c. 19 tempus utile ad reclamandum i.e. primum quinquennium à die professionis; judicem pe-

culiores ad quos causa deferenda sit, scilicet superiorem regularem et ordinarium simul; causas reclamandi, ut: vim, metum, defectum aetatis vel quid simile; tandem etiam conditiones sub quibus audiatur reclamans, si nempe in monasterio et in habitu religioso degat, accurate determinavit.

Hunc juridicum processum tribunalia romana praecipue S.C.C., variis decisionibus et stylo inducto, magis magisque in particulari determinarunt, et tandem Bened. XIV celeberrima const. "Si datam", 16 Mart. 1748, praedictas decisiones canonizando, aliisque novas dispositiones apostolica auctoritate injungendo, absolvit.

Cum autem, vel nostris diebus, ratio procedendi a Bened. XIV praescripta ad amussim servanda sit. Cfr. An. J. P. t. XVII, p. 440, n. 1666; Epist. S.C. Ep. R. Epo Sti Joannis de Cuyo, 1 Oct. 1841 – ib. p. 1010, n. 1915; Epist. Internuntio Hollandiae 8 Aug. 1858. Juverit illam hic in substantialibus retulisse: monendo eam omnino sequendam, sive agatur de viro regulari, sive de moniali reclamante; pariter, sive professus sive religio, contra professionem nullam, actionem moveat.

A. De reclamatione mota infra quinquennium a Trid. assignatum.

1º Tempus utile. Quinquennium computandum est semper, etiam ubi de metu agitur, a die emissae professionis – Judices autem non prohibentur finire post quinquennium causam, intra tempus utile, a reclamante serio intentam.

2º Judices competentes – Causa nullitatis movenda est "Coram superiore et Ordinario" idesque conjunctim judicantibus, nisi forte causa nullitatis allegata, sit non observata lex Clem. VIII, de emittenda professione in domibus a Sede Apost. designatis – in illis regionibus quae hac lege tenentur. In isto enim casu, causae cognitio reservatur privative S.C.C. – Sed iste casus hodie in professione solemni amplius verificari non potest.

a) Superior regularis, intelligitur, non Praepositus generalis, nec Praep. Provincialis, sed qui tempore reclamationis est superior illius domus in qua reclamans professionem emisit.

Hic jus suum ordinario loci cedere nequit, ita ut ordinarius

solus judicet; potest tamen si judicare nolit, sibi subrogare alium regularem, vel saecularem sacerdotem juris canonici peritum, qui cum ordinario judicis partes exerceat.

Si agatur de monialibus Ordinario loci subjectis. Epus solus judicat; si autem de monialibus regularibus subjectis, superior ad effectus judicandi, non est confessarius, sed ille sup. reg. cui concreditum est universum monasterii regimen.

b) Ordinarius loci, juxta unanimem DD. sent. et S. C. C. praxim, intelligitur ordinarius in cujus dioecesi situm est monasterium ubi reclamans professionem emisit — Eo nomine veniunt: Epus, Vic. Gen., Vic. capitularis vacante sede, Praelatus nullius qui habeat jurisdictionem Eplem.

3º Persona actoris — Nullus regularis qui non in monasterio degat, ibique habitum religiosum gerat, ad reclamandum admittitur, sed ab ipso limine judicii repellitur.

4) Modus cognoscendi: requiritur verus et judicialis processus, cum productione articulorum, probationum, cum formali interrogatorio et auditione testium, sub poena nullitatis totius actionis et omnis sententiae subsecutae. Testes autem citari debent omnes quorum interest professionem sustineri.

5) Defensor validitatis ex officio.

a) ab omnibus locorum ordinariis instituendus est professionum defensor, ad instar defensoris vinculi matrimonialis, qui ex officio professionis validitatem sustineat.

b) Hic juramentum, fideliter munus suum exequendi, emittere tenetur toties quoties nova causa introducitur.

c) Illum oportet in quolibet actu judiciali citari, proponere interrogatoria, testium excussioni interesse, voce et scripto pro posse validitatem tueri, et quaecumque in judicio, eo non legitime citato, peracta fuerint, eo ipso, nulla et cassa sunt.

d) Ejus honorarium, a judice taxandum, solvendum est ab iis quibus reclamans bona sua cessit, vel eorum defectu a Religione, et si haec non possideat, e pecuniis mulctarum.

6) De Sententia — Si superior regularis et ordinarius simul pro validitate sententiam ferant; nec reclamans appellaverit,

causa finita est.

Si dissentiant ambo judices, causa devoluta est ad Sedem Ap.

Si simul nullitatem pronuncient, defensor professionis omnino debet a sententia primae instantiae appellare, nec nullitas in rem judicatam transire potest, nisi reclamans duas saltem sententias conformes obtinuerit. Qui post primam sententiam, nullitatem pronunciantem, e claustris discederet, et a fortiori qui religiosum habitum deponeret, omnibus poenis et censuris apostatarum subjaceret.

7. In judicio appellationis.

Causa, sive appellatio procedat a reclamante, sive a defensore, devolvitur ad illum judicem, ad quem de jure omnes reliquae causae ecclesiasticae post sententiam Ordinarii loci devolvuntur.

Iste judex appellationis, simul cum superiore regulari ejusdem ordinis, in sua civitate vel dioecesi existente, procedat; si dicti ordinis nulla domus existat in dioecesi judicis appellationis, vocare debet superiorem viciniorem.

Ambo rigoroso processu; cum interventu defensoris alicujus etc, procedant perinde ac in prima instantia.

B. De reclamatione post elapsum quinquennium.

Antiquitus, auctore Greg. XIII, nemo, vel ob causam metus perdurantis, admittebatur ad impugnationem professionis elapso quinquennio. Verum hunc rigorem praxis SS. CC. tractu temporis emollivit, et tandem cit. Const. Benedict. XIV authentice declaravit: eo elapso adhuc, servatis servandis, concedi posse beneficium restitutionis in integrum.

1) Hujus beneficii concessio reservatur privative Sedi Apostolicae, omni privilegio, omni consuetudine contraria, etiam immemorabili, prorsus remotis.

2) Priusquam super eo quidquam a Sede Ap. decernatur, committitur Ordinario loci et superiori regulari, ut processum conficiant, eoque transmisso, proponitur dubium super concessione restitutionis in integrum: v.gr: An sit locus restitutioni in casu, idque non minus severe examinatur ac si dubium propositum esset super ipsa professionis nullitate, praesente semper defensore. Causae porro concedendi generatim sunt; ignorantia probata nullitatis,

vel impotentia reclamandi in decursu quinquennii.

3) Ad concessionem requiruntur duae sententiae conformes, duo igitur examina.

4) Si post duplicem sent. conformem beneficium restitutionis in integrum concedatur, tunc ordinario loci et sup. regulari committitur ut sententiam proferant super validitate vel nullitate ipsius professionis; et incipit integer rigorosus processus supra dictus, cum necessaria appellatione defensoris si sententia declaret nullitatem, ita tandem ut post duas sent. conformes liber reclamans abire possit.

Ita quidem ex Const. Benedictina, hodie vero ut temporis brevitati et sumptuum moderationi consulatur, annuente S. Pontifice, solet apud S. Sedem utraque quaestio simul pertractari, proposito duplici dubio 1) An sit locus restitutioni in integrum in casu et quatenus affirmative; 2° An constet de nullitate professionis in casu. — Si sententia sit declarativa nullitatis, respondetur; ad 1um: providebitur 2°; ad 2um affirmative; si vero declarativa validitatis, ad 1um: negative, ad 2°: provisum in primo.

Art. II. De professione in Institutis votorum simplicium.

Recole hic distinctionem traditam sub fine cap. III inter congregationes religiosas et non religiosas. Non agimus de his ultimis, eo quod hujusmodi piae sodalitates professionem proprie dictam nullam emittant. Vide decr. S. C. Ep. R., 11 Aug. 1889, apud Vermeersch, t. 2, p. 234, sed quaestio versatur circa professionem quae in Institutis Juris Pont. aut dioecesanis emittitur.

§ I. In Institutis juris pontificii.

I. Ejus natura.

1) Generatim definiri potest: Contractus sacer quo novitius idoneus (novª idonea) Instituto religioso legitime approbato sese tradit, cum emissione aliquorum votorum substantialium sed simplicium juxta constitutiones in manus superioris (vel superiorissae) nomine Instituti acceptantis. — Haec definitio abstrahit a conditione temporis, utrum videlicet professio temporanea vel potius perpetua sit.

2) Dixi – trium votorum subst. – nam disciplina actualis non admittit in novis Institutis quartum votum. Norm. n. 102, ex contemplatione, ut videtur, quod materia aliorum votorum quae addi volebant vgr. stabilitatis in Instituto, incumbendi educationi juventutis, admittendi orphanos, zelandi conversiones etc. etc., jam in fine peculiari respectivi Instituti continetur et mediante voto obedientiae amplectitur. Quod si nonnulli, ut sorores a Nazareth, ap. Bizzar. p. 795, adjunctum volebant "votum perfectionis", non attenderunt constituere ipsissimum objectum trium votorum, sin autem intellexerunt "le voeu du plus parfait", id imprudentissime pro tota communitate postularunt. – Anno tamen 1898 S.C. Ep. Reg. approbavit in Instituto infirmis curandis addicto, quartum votum "inserviendi pestiferis", recte quidem, cum agatur de actu heroico, quem lex per se non imponit. Cfr. Battandier, op. cit. p. 115-117.

II. Quotuplex agnoscatur.

Fit duplici modo, ad tempus scilicet, vel in perpetuum. Norm. 99.

1. Professio temporanea. Ab initio non emittebatur in istis congregationibus nisi unica et perpetua professio. Sed sensim sine sensu, maxime postquam Pius IX Regularibus posuerat legem triennii, S.C. noviter approbandis Congregationibus imposuit obligationem professionis temporariae antequam ad perpetuam deveniri possit hacque lege tenentur omnes recentiores Congregationes sive virorum sive mulierum, nullibi tamen vidi sanctionem nullitatis, appositam.

In taxatione temporis ad quod se extenderet hujusmodi professio, variarunt Instituta: primo, fiebat quandoque ad biennium, ad quinq. – vel decennium: fluctuantem disciplinam Normae sequenti ratione determinarunt; ut vota emittantur ad annum per periodum trium annorum minimum, et sex annorum ut maxime, n. 103, vel: vota sint annualia per primum triennium, quo revoluto, fieri poterit alia professio ad tres annos, ita ut periodus totalis extendatur ad sex annos maximum. Taxatio semel electa – inter 3-6 an. – constitutionibus inserenda est, ab ea deinceps, cum a Sede Ap. approbatae fuerint, superior dispensare non potest.

Nonnullis Institutis, clausula inserta in Const., olim datum est ut Superior Generalis in casu peculiari tempus taxatum ad sex menses, ad annum prorogare valeat. Verum hodie, elapso tempore votorum temporaneorum in Constit. praefinito, alumnus admittendus est ad vota perpetua vel ab Instituto dimittendus. Norm. 105.

Statim ac tempus, pro quo vota emissa erant, expirat, sine interposita mora renovanda sunt, et quidem publice, cujus renovationis attestatio inscribatur in libro apposito a Superiore vel ejus delegato et a vovente subsignanda.— Unde tolerari nequit usus vel potius abusus in variis Institutis receptus, ablegandi hanc renovationem tumultuarie ad ultimam diem exercitiorum annualium.

2) Professio perpetua.— Ultima haec votorum emissio analogice respondet professioni proprie dictae Regularium. Consistit autem in vero contractu sacro bilaterali quo quis per tria vota substantialia sed simplicia sese Deo et Instituto irrevocabiliter tradit, et ab Instituto (si pareat votis) in membrum perpetuo conservandum acceptatur.

Discrimen ergo inter hanc professionem et temporaneam inest est a) quod profitens obligationem nunc assumit perennem, Deo et Instituto se tradit absque ulla conditione limitativa temporis. b) Quod Institutum illum acceptat in membrum, pariter sine clausula limitativa. Inde sequitur obligationem mutuam amplius non expirare per se, ut in casu professionis temp. ubi post annum, post triennium etc. alumnus libere abire, vel ab Instituto libere repelli poterat.

III. Ejus firmitas

Licet haec vota, sive temporaria sive perpetua, nunquam a sola Congregatione, nec etiam mutuo consensu dissolvi valeant, deficiunt tamen ab illa exteriori perpetuitate, quae, ut dixi superius, ministerio juris, votis solemnibus est adnexa; cujus rei signum inesse habes quod data causa Summi Pontifices soleant super votis in Institutis emissis dispensare vel eadem commutare. Itaque perpetuitas quae competit votis simplicibus ultimis et solemnibus eadem tantum ex parte voventis et in specie morali, minime in specie juridica et extrinseca.

IV. De conditionibus requisitis.

1) Ad validitatem professionis — requiritur a) e jure naturali,

ut supra dictum est de professione regularium: consensus liber qui nec vi, nec metu gravi injusto extortus fuerit. b) e jure positivo a S.C. Ep.R. in Constitutiones singulorum practice inscripto potius quam lege publica inducto: praevius novitiatus unius anni continui et integri, ut loquuntur Norm. n. 72.

2º Ad liceitatem. – requiritur praeterea a) immunitas ab impedimentis. – b) Si agitur de puella prima vota (non ita ad profess. perpetuam) emissura, exploratio voluntatis ab Epo facienda, juxta Trid. sess. XXV, c. 17 de reg. et Const. "Conditae" cap. II, n. 1. – c) Si agitur de professione perpetua emittenda, ut profitens, tempore in Constitutionibus praefinito in votis temporaneis steterit. d) dispositio de bonis temporalibus, ut supra exposui, et in Institutis sororum solutio dotis. e) Denum ut professurus per decem dies exercitiis spiritualibus vacaverit. Norm. 98.

V. De persona admittente ad professionem eamque acceptante.

Juxta dispositionem Const. "Conditae", cap. II, n. 1 utrumque privative pertinet ad Praesides sodalitatum, tum virorum cum mulierum.

Nota. Ex decr. S.C. E.R.; 21 April 1841, ap. Bizzar. p. 464, n. 3, in professione harum sororum, Epus uti nequit ritu descripto in Pontificali Rom. pro consecratione virginum.

VI. De effectibus professionis simplicis validae.

1) Professus votorum perpetuorum constituitur membrum Congregationis religiosae perfectum.

2) Qui vota temporanea emisit non est religiosus sensu canonico, nisi per quamdam consecutionem, quia videlicet ea emisit in ordine ad futura vota perpetua, et quia fit membrum, licet non perfectum, Congregationis religiosae. Fruitur tamen omnibus favoribus et gratiis spiritualibus quibus perpetuo professi potiuntur – Acquirit vocem activam, non tamen passivam quae solis perpetuo professis competit, pro eligendo ad capitulum generale. Norm. 217.

3) In Institutis bipartitis in choristas et conversas, clericos et laicos, post professionem non datur transitus a prima ad alteram classem, nec viceversa. Norm. 50.

4) pro sua conditione religiosa, tenetur professus ad studium perfectionis secundum mensuram Instituti.

5) Vota, sive temporaria sint sive perpetua, reservantur R.° Pontifici qui solus ea condonat.

6) In Institutis virorum quoad promotionem ad ordines speciatim observandum est quod a) Alumni horum Institutorum ad ordines ab Episcopo promoveri non possunt, nisi a superioribus proponantur" Conditae". p. II, n. 6.

b) Secluso indulto Apostolico, in eorum ordinatione observandae sunt quoad Epum proprium ordinationis, quoad litteras dimissorales et testimoniales, quoad titulum sacrae ordinationis prorsus eaedem leges quae praescribuntur communiter clericis saecularibus" Conditae a X^to^", p. II, n. 6; Resp. S. C. Ep. Reg. in Tarvisin apud Bizzar. 706, 6 Maj. 1864; decr. "Auctis adm." 4 Nov. 1892, juncta duplic. resp. auth. ejusdem S. C. apud Battandier op. cit. p. 357.

c) Ex peculiari indulto, S. Sedes, Superioribus generalibus, impertiri quandoque solet, ad certum tempus, facultatem concedendi suis subditis litteras dimissoriales quas dirigant ad Epum dioecesis intra cujus limites domus ordinandi reperitur, nisi hic abfuerit aut ordinationem non sit habiturus — Attendant hi superiores ad decr. gen. S. C. E. R., 4 Junii 1899, Analect. eccl. 1904, p. 299, nempe cum alumnus, nulli domui Instituti addictus, versatur studiorum causa in seminario extraneo, litterae dirigendae sunt ad Episcopum illius seminarii, quotiescumque ordinandus jam per annum integrum ibi commoratur.

d) Majori adhuc benevolentia Sedes Ap. quasdam complexa est congregationes impertiens iisdem superioribus facultatem promovendi suos ad sacros ordines cum titulo extraordinario puta mensae communis, missionis etc. etc.

e) Superiores, sive alterutrum sive utrumque indultum apost. obtinuerint, neutro respectu ordinum majorum uti possunt, nisi in favorem alumnorum qui vota perpetua jam emiserunt et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerunt, vel qui saltem per triennium permanserunt in votis temporaneis quoad ea Instituta quae ultra triennium perpetuam differunt professionem," revocatis omnibus privilegiis, nec non dispositionibus contrariis, in resp. constitutionibus contentis, etsi fuerint a Sede Ap. approbatae". decr.

"Auctis adm." n. I, 4 Nov. 1892.

7) A die professionis perpetuae, ipso jure, vacat omne beneficium residentiale quod profitens forte habebat S. C. E. R., 25 Aug. 1903, in causa Congr. Mission. Immacul. Cordis Mariae. Analect. eccles. 1903, p. 448.

§ II. In Institutis dioecesanis.

Hujusmodi consociationes quae una inductae sunt atque vigent Eporum auctoritate, dicuntur quidem religiosae sensu vulgari fundato in habitu, in forma vitae com̃is, in fine Instituti, imo et in laude sanctitatis membrorum ipsius, minime vero sensu juridico. Ratio est quia destituuntur conditione essentiali, approbatione dico Sedis Ap., sine qua, disciplina hodierna existentiam juridicam religiosam non agnoscit.

Ex quo ulterius sequitur, in his Institutis, nullam fieri proprie dictam professionem juridicam.

Ad vota sive temporaria, sive perpetua quae emittunt puellae harum sodalitatum admittit, non superiorissa, sed Episcopus Const. "Conditae", p. I, n. 4.

Vota emissa, sive temporaria, sive perpetua — excepto tamen voto perpetuae castitatis — Epus auctoritate propria remittere potest; modo non laedat jus alienum; laederetur autem si id, inscius moderatoribus justeque dissentientibus, eveniret. cit. const. p. I. n. 8. Quod si Institutum limites primitivae dioeceseos excessit, vota sororum in domibus filialibus commorantium, ab ordinario loci filialis, non ab Ordinario domus matricis condonantur. S. C. E. R., 21 April. 1903, in causa Bellovac.

Cap. IX. De obligationibus Religiosorum.

Legislatio ecclesiastica huc spectans continetur, titulo de statu monachorum et canonicorum regularium" in decretal. Greg. IX, III, 25, in VI° et in Clementinis; pariter in Conc. Trid.; sess. XXV, rg. cap. 1-2, 5, 10, 22, demum in pluribus Constit. R. Pont. quae infra dabuntur.

Religiosorum obligationes universim ex quatruplici fonte nascuntur: 1) Ex ipsa natura status religiosi quem amplexi sunt. 2° ex

tribus votis substantialibus et aliis forte accidentalibus, in professione emissis. 3º ex legibus ecclesiasticis sive universis religiosis, sive proprio suo ordini vel Instituto datis, 4º ex regulis, constitutionibus legitimisque constitutionibus sui ordinis vel instituti.

Porro propositum nostrum non est has obligationes sub respectu morali ventilare ad determinandum an et quomodo eas violans peccatum committat: vel mortale, vel veniale aut imperfectionem forte tuum, sed omissis iis quae moralistae satis explicant in tract. "de statibus particularibus" quoad obligationem votorum et virtutis voto correlativae, necnon probati scriptores ascetici in suis tractatibus de vita religiosa, praecipuas tantum leges positivas hic facientes indicabimus.

Art. I. Ex natura status religiosi quem amplexi sunt.

1) Cum, juxta superius – de Professione – exposita Ecclesia hodie non aliter agnoscat juridice professionem religiosam, nisi in ea et per eam candidatus vitae religiosae simul cum emissione trium votorum substantialium se tradat alicui familiae approbatae in filium et ab ea ut talis accipiatur, sicque emissio votorum necessario conjunctam habet traditionem vel contractum mutuum, omnis perpetuo professus, lege ecclesiastica graviter adstringitur permanendi semper in suo ordine et Instituto. Quare omnis arbitrarius discessus et transitus ad vitam saecularem nisi contractus et vota validae professionis legitime soluta fuerint, discedentem constituit reum gravis violationis justitiae ac virtutis religionis.

2) Quia status religiosus, quem per professionem amplexus est, primo et per se tendit in perfectionis acquisitionem, ideo vi susceptionis talis status religioso incumbit obligatio positive tendendi ad perfectionem, vitandique ea quae tali studio obstant. Mensura porro perfectionis in quam reapse se extendat oportet, illi praefigitur per finem primarium et secundarium sui Instituti, ad eamque efficaciter deducunt, ut media ad finem: vota, regulae, et constitutiones sui ordinis ideoque dicta obligatio non est diversa ab obligatione servandi regulas et vota secundum taxationem sui ordinis, – quoad particularia, cfr. 11,

II, 186, II, IX, X. S. Alph. lib. IV, c. 1, n. 10. Biat. I, p. 229 sq. Bouix, de Jure Reg. t. II, p. 580, sq.

Art. II. Ex votis quae emiserunt.

§ I. De obligationibus e voto paupertatis fluentibus.

Nota = variantem in hac paupertatis observantia disciplinam apud antiquos: lege apud Thomassin. P. III, lib. 2, c. 43, 45, 49. Multa etiam reperies sed in variis locis Act. Sanct.

I. Solemniter professus. a) independenter a praevia renunciatione, ipso facto suae professionis, ex dispositione juris: arg. ex cap. 14 cum simus, de Regul. III, 31 et c. 6. Cum ad Monast. de Statu monach. III, 35, Conc. Trid. XXV, rg. c. 2, amittit omnem proprietatem, possessionem, omne demum jus reale in bona fortunae quae illi ante professionem obvenerant. Ideoque in dispositione horum bonorum intuitu professionis in bimestri legali facta, nec valide quidem immutari quidquam potest sine formali dispensatione S. Apostolicae. Cfr. elegantem causam apud S. C. C. agitatam 7 Maji 1718 in edit. Richter, Conc. Trid. p. 418, n. 7.

b) Amittit capacitatem ad nova bona <u>sibi</u> acquirenda. c. 2. 4, 6. de statu monach. III, 35, Conc. Trid. XXV, rg. c. 2. idque intelligitur tum quoad proprietatem, et usumfructum, tum quoad usum independentem a voluntate legitimi superioris.

Disci – <u>sibi acquirenda</u> – nunquam enim Ecclesia agnovit theoriam "<u>mortis civilis</u>", quasi professus, ut reapse civiliter mortuus, ne conventui quidem acquirere posset quatenus illud capax est proprietatis, sed ad mentem legum Romanorum adoptavit juris principium: Quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio, vide hanc legislationem relatam in can. 9, 10, C. XIX, q. 2. – Observandum tamen quod haec legislatio se referat ad tempora in quibus monasteria seorsim et <u>independenter</u> a vinculo consociationis juridicae in provinciam et ordinem religiosum existebant, tum hodie ut plurimum pars provinciae vel ordinis juridica sunt. Ideoque ut scias cui determinato subjecto juridico, religiosus vi illius axiomatis acquirat attendendae sunt constitutiones singulorum ordinum." Fieri enim potest,

ut recte observat G. Wernz, Jus decretal. III, p. 701. ut res tantum minoris momenti acquirantur a singulis monasteriis, bona vero magis pretiosa sec. ordinationem superiorum et regularum alteri subjecto, vg. provinciae, vel arcae communi sint applicanda".

2) Cum vero sanctiones juris ecclesiastici circa effectus voti solemnis paupertatis a moderno jure civili fere ubique repellantur, inde religiosis innumerae difficultates practicae gignuntur. Ideirco Sedes Apost. varias indulsit licentias aut dispensationes, quarum ope hujusmodi difficultates ex parte saltem minuerentur — Sic a) monialibus ad formales ordines spectantibus permisit, imo praescripsit, ut vota tantum simplicia emitterent, ut videmus passim apud nos moniales visitationis, Carmelitas, Clarissas, Benedictinas etc.; itidem recentius, 16 Mart. 1886, Leo XIII indulsit Equitibus Ordinis Teutonici. cfr Zeitschrift f. k. Theol. 1887, p. 398.

b) Omnibus Regularibus Belgii utriusque sexus, etiam qui vota solemnia nuncupaverunt, concessit, ut non obstante voto solemni, possint, utique cum debita a superioribus legitima dependentia, bona acquirere, retinere, administrare deque iis disponere ad normam legum civilium: Indultum Leonis XIII per org. S. C. pro neg. eccl. extra. 31 Jul. 1878, docum. ap. Vermeersch, t. 2, p. 80. Quod decretum S. C. Ep. Reg. die 23 Junii 1880 ad omnes Ordinis Capucinorum alumnos in Gallia commorantes extendit; imo decreto, 7 maji 1883, ad omnes dicti Ordinis provincias, facta simul potestate ut syndicos ex proprio ordine assumerent.

c) Alias, pro tempore violentae dispersionis, ut tempore gallicae perturbationis, et recentius per Org. S. Paenitentiariae 18 Apr. 1868, superioribus amplas indulsit facultates ut suis subditis permittere valeant haereditatis et bonorum acquisitiones, ut infra de dispersis fuse dicetur: Quae facultates anno 1881 cum religiosis galliae communicatae sunt.

3) In casibus b) et c) contemplatis salva manet essentia voti: tum quia religiosi in hac materia nihil valide facere possunt ultra terminos et tempus concessionis aut dispensationis Sedis Apost., unde sedulo semper attendant quo ambitu fuerint concessae nec revocatae, tum quia haec omnia tantum de venia legitimi superioris agere valent.

4) Poenae gravissimae jure decretalium edicebantur in violantem votum paupertatis per attentatam appropriationem et retentionem bonorum temporalium; scilicet, juxta cap. 2 h. tit. de statu monach. qui peculium habuerit nisi ab abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum "a communione removeatur altaris" (Conc. Lat. III); si post praeviam monitionem proprietatem resignare noluerit "de monasterio expellatur". Si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte "privetur sepultura" juxta dispositionem Conc. Lat. cit. cap. 2; secundum Innoc. III vero cap. 6, 2 "in sterquilinio subterretur cum sua pecunia". Imo si obtinuisset sepulturam ecclesiasticam exhumandus erat, ubi sine scandalo [illegible] poterit. cap. 4. h. tit. de statu monach.

Tridentinum vero, sess. XXV, rg. 2. statuit: "quis quicquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa et passiva voce privatus sit, atque etiam juxta suae regulae et ordinis constitutiones puniatur", sicque abrogavit antiquas supra allatas poenas.

Quaeres: Utrum solemniter professis licitum sit habere peculium.

Resp. et dico 1) Quaestio moveri nequit circa peculium juris perfecti, importans scilicet bonum cum jure proprietatis et administrationis independentis, hoc enim nedum cum voto solemni, profecto nec cum voto simplici paupertatis conciliari potest: sed movetur circa peculium ad instar, seu juris imperfecti, i. e. sine jure proprietatis et cum administratione dependente a superiore ad cujus arbitrium restringi, imo totaliter auferri potest.

dico 2) peculium ad instar modicum, dependens a nutu superioris et ad usus statui religioso conformes exclusive destinatum, non videtur contra essentiam voti paupertatis, cum reapse nil concedat nisi usum facti, et quidem, ut votum exigit, dependentem — ideoque jure naturali illicitum non videtur. Cfr. Bouix, de jure reg. t. II, p. 541. — Cum tamen aliunde, ut experientia diuturna edocuit, facillime minuat mutuam charitatem fraternam, religiosum sollicitudinibus implicet, et quasi occasionem praebeat agglutinandi cor ad bona temporalia, sicque demum studium perfectionis si minus impediat, saltem parum promoveat, mirum non est id legislatoris favorem

nunquam obtinuisse, multisque sanctis excessum fuisse. Eodem zelo religioso animatur tota argumentatio rigorosa contra peculium B. Piat, I, 245.

dico 3) Jure Decretalium habere peculium, neque expresse permissum, neque expresse prohibitum fuit; arg. enim quod plures e cap. 2 de statu monach. in favorem expressae permissionis deducere vellent, mea judicio infirmum est. Agitur enim ibi de oeconomo domus, non de singulis religiosis monasterii. Consuetudo tamen publica, et ut videtur, legitime praescripta peculium illa aetate jam invexit.

dico 4) Jure Trid. XXV. rg. 2. "nemini liceat bona immobilia vel mobilia cujuscumque qualitatis, etiam nomine conventus, possidere, vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur; nec deinceps liceat superioribus stabilia alicui regulari concedere etiam ad usumfructum vel usum."

Utrum his verbis Trid. peculium damnaverit necne, dissentiunt DD: id negant magni DD. ut Navarrus, Sanchez, Barbosa, Cabassut iisque favet de Angelis Praelect. lib. III, tit. 35 p. 183. Eorum ratio est: Trid. sane damnavit omne dominium etiam utile, propria auctoritate, retentum; sed non vetuit quominus superior, ex justa causa et ad fines vitae religiosae conformes, subditis peculium ad arbitrium concedere valeat, sicut et usum aliorum rerum monasterii. — Attamen probabilior et melior interpretatio peculium sublatum his verbis docet cum Suarez tract. 7 de Relig. lib. 3, c. 14; S. Alph. lib. IV, c. 1, n. 15, ubi fuse; Schmalzgr. h. tit. n. 14; Reiffenstuel h. tit. n. 6. Eorum rationes ex verbis ipsius Concilii affulgent = et tamen a) nemini liceat bona mobilia... vel nomine conventus tenere; sed peculium a superiore concessum, profecto nomine conventus haberetur, hujus enim vices superior gerit. b) Bona incorporari debent communitati, sed peculium ea a Cōi in usum privatum segregaret. c) administratio bonorum "stabilium" omnibus religiosis interdicitur, et ad solos officiales pertinere potest, mobilium vero usum superior ita permittere potest illum "ut nihil quod sit necessarium eis desit": unde excluditur, dicunt hi DD. manifeste etiam concessio administrationis mobilium in usus indeterminatos vel futuros." Demum, his verbis Trid. videtur [illegible] omnem constitutionem: incipit enim e formula "nec deinceps liceat superioribus..."

Porro quidquid sit de speculativa probabilitate utriusque interpretationis, Summi Pontifices et S.C.C. et S.C. Ep. et Reg. quorum est authentice interpretari mentem Tridentini, constanter inhaeserunt sententiae affirmanti peculium a Trid. fuisse sublatum. Id certe praestitit Clem. VIII in suo decreto "Nullus" 25 Jun. 1599. § 3, 4, 5 apud Vermeersch, t. 2 p. 301, ejusdemque tenoris circumferuntur variae S.C.C. et Ep. R. decisiones: vide B. Piat. t. I, p. 247, unde non video quomodo de Angelis l. c. id negare valeat. Alia enim ratione contrarius usus praevolens explicandus videtur. Ideo:

Dico 5) Attamen cum decreta Trid. et constitutiones Rom. Pontificum, sicut reliquae leges ecclesiasticae, consuetudine apposita, saltem tolerata, infringi possint, aliundeque consuetudo retinendi peculium ubique invaluit, ad vitanda mala majora, ut puto, S. Pontifices et S.C. de rigore suo remiserunt et perspectis iis omnibus quae Bened. XIV, de Syn. lib. XIII, c. 12, n. 18 sq. exponit, id dissimularunt, imo et in casibus particularibus indulta ad effectum concesserunt. Vide quas concessiones ipse Clemens VIII monialibus neapolitanis impertivit; quo pacto Innoc. XII (1691) approbavit constitutiones ordinis S. Mariae de Mercede, in quibus peculium permittitur de licentia superioris etc. apud Bouix, t. 2, p. 575 sqq. Hinc cum eodem Bouix concludendum est: saltem ex consuetudine et acquiescentia Sedis Apostolicae, licitus evasit usus peculii.

Dico 6) Non tamen introduci potuit in iis ordinibus quorum constitutiones talem usum expresse reprobant et prohibent. Sic v.gr. in S.J. Congreg. XII, d. 43; XX, 7; XXII, 26, quidquid peculium sapit severe proscripserunt.

Dico 7) Conditiones vero traduntur ab auct. v.gr. a Bened. XIV de serv. Dei beatif. etc. lib. III c. 41, sub quibus inoffenso voto retineri possit peculium, ubi legitima consuetudine invectum est "ut Regularis eo utatur in causis licitis, aut necessariis, a superiore probatis, et ejus usum habeat cum promptitudine illud resignandi in manibus superioris statim ac ei fuerit praescriptum". Praeterea, ut edixit Clemens XII monachis S. Hieronymi approbans eorum Constitutiones, "ut peculia non retineantur a singulis Regularibus, sed deponantur in arca speciali, cujus una clavis est in manu superioris, altera in manu monachi ad hoc officium electi."

Dico 8) Cum haec peculia, licet nec essentiae voti repugnent, nec ideo a jure positivo expresse et ubique abrogata semper fuere, procul dubio regularem observantiam enervant, aemulationis et invidiae seminaria sunt, sicque mutuae charitatis et pacis vinculum disrumpunt, profecto graviter peccaret superior qui, ubi non vigent, ea introduceret, peccato gravi dico non praecise contra paupertatem, sed ob damnum ingens ordini suo illatum. Ob easdem porro rationes Sedes Apost., licet nulla generali proscriptione de medio tulerit peculia hodiedum existentia, non tamen destitit hortationibus et aliis viis, Ordines ad vitam perfecte communem provocare et manuducere.

Ita Pius IX litt. encycl. de vita čni, 22 April. 1851, apud Bizarr. p. 852, statuit ut:

1) In omnibus novitiatus domibus vita perfecte čnis introducatur. — Nota: vita perfecte čnis ex schemate 3º Concilii Vat., de regularibus, Cfr. Collect. Lac. t. VII. p. 679, " in eo consistit: ut bona quaecumque, redditus, emolumenta, aliaque omnia quae quovis titulo religiosis obveniunt in usum religiosae familiae plene conferantur et ipsum victum, vestitum, aliaque necessaria a conventu in čni accipiant: superiores nihil quod sit necessarium religiosis denegent et religiosi nihil quod sit superfluum exigant."

2) In domibus Professorii, educationis et studii perfecta constitutionum observantia, potissimum de paupertate, revocetur. — Unde vides quod si contra constitutiones alicubi consuetudo praevaluerat hoc ipso abolita est.

3) In qualibet domo statuatur aerarium seu capsa communis cum solitis cautelis (i. e. ut supra cum duabus clavibus) in quam religiosis omnibus, non obstante quolibet privilegio, deponenda erit pecunia, cum nil eis penes se retinere licitum sit, praeterquam quod constitutiones respectivae permittant — Mendicantes, ex indulto pecuniam habentes, apud syndicum apostolicum eam deponant.

Clarius adhuc mens et voluntas Sedis apost. paulatim deducendi ōes ad vitam perf. čnem elucet ex declarationibus occasione harum litterarum emanatis, quas vide apud Bizzar. 852, in vi quarum superiores religiosum sponte vitam perfecte čnem profitentem, nequeunt transferre in domum ubi non viget haec vita čnis; nec superiores majores residentiam suam in domos perf. vitae čnis transferre possunt, nisi et ipsi hanc vitam profiteantur.

dico 9) quae hactenus exposuimus de peculio, omnino dicenda sunt de livello quod genus est peculii et consistit in censu annuo (rente viagère) ex patrimonio reservato et religioso solvendo, ut inde necessaria sibi comparet: Livelli enim proprietas manifeste repugnat voto solemni, ejus vero administratio a superioribus dependens, videtur contraria cap. 2. Trid. ideoque pluries a S. Cgr. C. rejecta, licet ob multas rationes quas enarrat Bened. XIV, de syn. lib. XIII, c. 12. S. C. C. toleravit, ut facta incorporatione ipsius annuae praestationis bonis monasterii, superiores inde primo subveniant necessitatibus illius religiosi, et deinde ttum reliquorum. cfr. Conc. Trid. Richter p. 395, n. 1. vide etiam decr. Pii VII de reformat. regul. 22 aug. 1814, n. 10, apud Nervegna, de Jure practico Regul. 1900, p. 135.

5) Oblationi sibi ex liberalitate factae, Religiosus, etiam sine licentia superioris, licite renunciat, nullum enim exercet actum dominii; posset utique peccare contra obedientiam, puta si superior suis subditis praecepisset, talium eleemosynarum acceptationem ut eas deinde monasterio tradant = oblationem monasterio factam semper religiosus nomine monasterii rite accipit, modo non obstent ordinis constitutiones.

E contra haereditati, vel legato regularis solemniter professus absque superioris assensu renunciare nequit: ratio est: quia vi testamenti jus est monasterio acquisitum; cui si renunciaret religiosus formalem exerceret actum dominii.

6) A Regularibus, maxime ab eorum superioribus et ab oeconomis vel procuratoribus, attendenda est et alia gravissima obligatio in materia paupertatis, quoad elargitionem munerum, prout in Const. Clem. VIII "Religiosae", 19 Jun. 1594 — apud Vermeersch, t. 2, p. 360, et in Const. "Nuper" Urbani VIII, 16 Oct. 1640, l. c. p. 365, circumscribitur.

Prohibentur scilicet donationes cuicumque sive directe sive indirecte factae ex bonis monasterio quocumque titulo incorporatis, utpote injustae atque sacrilegae; non autem comprehenduntur elargitiones modestae et discretae, titulo gratitudinis, benevolentiae, eleemosynae, aut hospitalitatis.

Binae constitutiones, exceptis ordinibus militaribus, respiciunt omnes vere religiosos, ergo omnes solemniter professos, simul ac simpliciter professos S. J.; non autem respiciunt novitios, regulares Epos. qui, licet nec testari nec causa mortis dari possint, libram tamen

habent bonorum sibi obvenientium administrationem; nec professi triennii, nec membra Institutorum.

Contra munera largientes statuuntur poenae a) privationis omnium dignitatum, officiorum quibus jurisdictio aut superioritas adnexa est; b) inhabilitas perpetua ad ea obtinenda, c) perpetuae infamiae, d) privationis vocis activae et passivae ipso facto; e) contra eos datur actio judicialis de crimine furti et simoniae. — Porro, juxta veram interpretationem, cum nemo seipsum privare debeat jure quaesito, ideo juxta receptam praxim, ut poenae obtineant, requiritur sententia judicis, non quidem condemnatoria, sed criminis existentis declaratoria. Ideoque ulterius inferunt DD. ad poenas incurrendas non sufficere materiae gravitatem quae peccatum constituat mortale per se, sed eam quae in foro externo judiciali tq. gravis excessus puniri soleat. Excipiunt tamen DD. ut rite observat S. Piat, t. 1, p. 266, casum quo superior regularis minorem taxasset quantitatem ad praefatas poenas incurrendas.

Recipientes largitiones, eas suas facere nequeunt, deficiente in religioso vi transferendi dominium; ideoque ante omnem judicis declarationem monasterio eas instituere tenentur, secus nec in foro conscientiae absolvi possunt. Clem. VIII cit. const. § 7; insuper obligationem monasterio restituendi munera accepta, nec remittere neque in obligationem ea pauperibus erogandi convertere potest, vel religiosus donator, vel monasterium, vel universus ordo. cit. § 7.

4) Demum solemniter professus, cum sit dominii incapax, nequit valide testamentum condere, neque sibi hanc facultatem in professione reservare, aut a superiore impetrari; sed omnino requiritur ad effectum venia S. Apostolicae.

II. Simpliciter professi omnes nec amittunt dominium radicale, nec capacitatem nova bona sibi acquirendi, puta per haereditatem per testamentum et donationem. — Excipias tamen ab hac regula coadjutores formatos S. J., tum spirituales tum temporales, hi enim per ultima sua vota tametsi simplicia dominii retinendi vel acquirendi fiunt incapaces.

Obligationes e paupertatis voto ipsis enatae versantur praecipue

circa illicitam dispositionem rei cujuscumque temporalis sine venia legitimi superioris; praeterea circa abdicationem necessariam omnis administrationis bonorum quorum retinent dominium radicale; circa cessionem vel dispositionem fructuum ex bonis istis provenientium.

Ut autem claritatem aliquam in re sat confusa consequamur, juvabit accurate discernere varias classes eorum qui simplici voto paupertatis ligantur, imo et varium, respectu quorumdam, stylum S. C. Ep. et Regularium. Et quidem:

1. Simpliciter professi in ordinibus durante triennio.

a) Viri, juxta declarationes Pii IX, 12 Junii 1858, n. 9, apud Bizarr. p. 856, 1) poterant, non dicebatur debent; retinere dominium radicale, exorto propterea dubio, circa tempus quo possint se abdicare tali dominio, idem Pius IX die 3 Augusti 1862, Auctoritate apostolica constituit renunciationem locum habere duobus mensibus ante emissionem votorum solemnium l. c. p. 865. — 2) Eis interdicta est omnino earum administratio et redditum erogatio et usus. — 3) ibid. n. 10, iidem vitam perfecte communem servare debent, quapropter omne peculium excluditur.

b) Moniales reguntur in hac materia decreto "Perpensis", diei 3 Maji 1902, n. 11, scilicet 1) "retinent radicale suorum bonorum dominium de quo definitive disponere non poterunt nisi intra duos menses proxime praecedentes professionem solemnem". — 2) Omnino vero interdicta ipsis est eorumdem bonorum administratio, nec non quorumcumque redituum erogatio et usus. — Utraque praescriptio intelligenda est, non modo de bonis quae nunc, tempore primae professionis possident, sed et de iis quae illis forte vertente triennio. — Cf. supra, cap. de renunciat. bonor. ante professionem.

2) Simpliciter professi in Institutis.

a) Quoad hos maxime attendendum est tempus eorum approbationis. Usque enim ad annum 1860, stylus S. C. Ep. et Reg. nondum omnino firmus, varia temperamenta admisit, ideoque, quoad Instituta anno 1860 superiora, nulla alia regula generalis enunciari potest nisi: "attendenda sunt singulorum Institutorum legitima statuta."

b) Ab anno vero 1860 usque ad promulgationem fere Normarum

invaluit et praevaluit formula a Card. Bizzarr. primo Maristis imposita, in approbatione eorum constitutionum ad experimentum, die 15 Junii 1860, apud Bizzarr. p. 806, et anno insequenti paucis mutatis, 1 April. 1861, sororibus a Praesentatione B. M. V. Castris., apud Bizzarr. p. cit.; et deinceps omnibus.

Eo quod multa instituta hisce dispositionibus apud nostrates regantur, juvat eas heic transcribere, "Professi dominium radicale suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et redditnum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem cedere etiam private (i.e. par acte privé) administrationem, usumfructum et usum quibus eis placuerit, ac etiam suo instituto, si ita pro eorum libitu existimaverunt. Huic vero cessioni apponi potuit conditio, quod sit quandocumque revocabilis, sed professus hoc jure revocandi in conscientia minime uti poterit nisi accedente Sedis apostolicae beneplacito."

"Quod etiam dicendum erit de bonis quae post professionem titulo haereditario eis obvenerint (formula sorum habet: à titre de succession ou de donation."

"Poterunt vero de dominio (i.e. radicale) sive per testamentum, sive, de licentia tamen Superioris Generalis, per actus inter vivos libere disponere (e contra form. sor. exigit licent. sup. gen. etiam pro testamento: quant à la nue-propriété, les soeurs pourront en disposer soit par testament, soit par donation, avec la permission de la Sup. générale) quo ultimo eveniente casu, cessabit concessio ab eis facta quoad administrationem, usumfructum et usum, nisi eam concessionem, tempore eis beneviso firmam voluerint, non obstante cessione dominii.

"Professis vetitum, non est ea proprietatis acta peragere de licentia superioris (form. sor. de la Sup. générale) quae a legibus praescribuntur.

"Quidquid professi sua industria, vel intuitu Societatis acquisierint, non sibi adscribere, aut reservare poterunt sed haec omnia inter communitatis bona referenda sunt, ad communem Societatis utilitatem."

c) Die 28 Junii 1901, S.C. Ep. R. edidit codicem authenticum: "Normae secundum quas S.C. Ep. et R. procedere solet in approbandis no-

vis Institutis votorum simplicium. Caput X prioris partis dicti codicis inscribitur: de voto et virtute paupertatis in eoque obligationes juridicae distincte enunciantur; sane pro futuro.

1) Patres initio definiunt naturam voti simplicis paupertatis in hujusmodi Institutis tamquam renunciationem juri licite disponendi de re quacumque temporali sine venia legitimorum superiorum n. 113, cui renunciationi accedit tq. pars integrans prohibitio ecclesiastica immiscendi seipsum administrationi bonorum propriorum quorumcumque igitur et fundi et fructuum n. 114.

2) Ideoque Patres ulterius per distinctos articulos enunciant qua ratione alumnus horum Institutorum se gerat oportet: ratione fructuum, ratione administrationis, ratione dominii radicalis, demum quoad facultatem testandi.

a) quoad fructus — Ante primam votorum emissionem disponere debent de usu et usufructu redditumm vel fructuum bonorum suorum quo modo ipsis placuerit — non tamen ita ut accrescant sorti — juxta resp. ejusd. S. C. 21 nov. 1902 cfr. Analecta eccl. ann. 1904, p. 248, et etiam si ita existimaverint in favorem sui instituti, n. 115.

b) quoad administrationem omnium bonorum suorum, eam, eodem tempore cedere debent personae, vel personis sibi benevisis, et si libere velint etiam proprio Instituto praemonito et acceptanti.

Utrique cessioni apponi poterit clausula revocabilitatis ad nutum, ipsa vero revocatio et etiam mutatio horum actuum cessionis licite fieri nequit durantibus votis sine licentia superioris generalis — n. 116, 117 emendatur ergo formula Bizzari quae exigebat beneplacitum apostolicum.

c) Quoad dominium radicale. Illud retinent Professi, immo prohibentur eo se abdicare per actus inter vivos, ante professionem votorum perpetuorum — n. 119 — quo dupliciter emendatur formula Em. Bizzarr. qui dixerat — dominium retinere poterunt; et actus inter vivos ex licentià Sup. gen. permittebat.

Ut porro ipsi perpetuo professi licite se spoliare possint dominio rad. omnium bonorum suorum per actus inter vivos, requiritur licentia Sedis apostolicae. n. 121 = distinctio et dispositio nova

d) Quoad facultatem testandi: 1º Convenit ut singuli ante professionem temporaneam primam de suis bonis praesentibus et futuris per testamentum libere disponant.

2º Professi jam, tum ad faciendum, tum ad mutandum testamentum indigent venia Sedis Apostolicae, attamen in casibus vere urgentibus, sufficiet licentia vel Ordinarii, vel Superioris Generalis, vel etiam si aliter fieri nequit superioris localis. — n. 112 = dispositio partim correctiva, partim nova.

3) de Dote Instituto allata Sorores nullo modo disponere possunt. n. 125.

e) Quoad bona post professionem supervenientia: — 1) Quae professis legitimo titulo personali obveniunt: iisdem legibus ac bona tempore primae possessionis possessa subjacent. n. 124.

2) Quidquid vero professi post votorum emissionem, sui industria vel intuitu Instituti acquisiverint, non possunt sibi adscribere vel reservare, sed ea omnia communitatis bonis adjudicanda sunt ad communem Instituti vel domus utilitatem. n. 126. Per hunc articulum et sequentem 127, quo edicitur ut omnia in Instituto communia dicantur et sint quoad supellectilem, victum et vestitum, amputatur omne genus peculii.

f) Demum n. 123 statuunt Patres: Professis vetitum non est ea proprietatis acta peragere quae a legibus (intellige civilibus) praescribuntur, de licentia tamen superioris gen. et si casus urgeat superioris localis.

III. Tametsi votum solemne paupertatis omnes et singulos taliter professos reddat per se proprietatis privatae incapaces, minime impedit quominus ipsi Ordines dominium bonorum temporalium acquirant et retineant, utique moderatum et eorum fini proportionatum. Possunt tamen et ipsi ordines talem in suis constitutionibus amplecti paupertatem quae etiam a communitate et quidem diversis gradibus, proprietatem bonorum excludat. Qua in re attendendum est caput 3 Trid. sess. XXV. rg., vi cujus proprietas communis conceditur omnibus monasteriis et domibus tam virorum et mulierum, etiam mendicantium, ex ceptis domibus Fr. Capucinorum et Fr. Min. de Observantia. — Attende: dictum caput continere concessionem et minime man-

cere obligationem, itaque liberum mansit ordinibus huic concessioni ex toto, vel saltem ex parte, renunciare, ut egit Soc. Jesu ergo quoad domos suas professas. A fortiori Instituta moderna quorum et ipsi alumni retinent privatum dominium radicale, legitime in communi bona possidere valent.

Hinc sequitur religiosum non modo contra paupertatis votum, sed etiam contra justitiam peccare, si bona conventus sibi accipiat ut propria vel de iis pro suo arbitrio disponat, puta ea destruendo, alienando, distribuendo etc. absque competentis superioris licentia.

§ II. De obligationibus e voto castitatis enatis.

1) Votum castitatis, tum solemnis cum simplicis professionis, duplicem gignit obligationem. a) vitandi omnem actum internum et externum sexto decalogi praecepto prohibitum.

b) non contrahendi sponsalia sive de futuro sive de praesenti.

2) Utrumque votum castitatis religiosae sponsalia de futuro, reddit et illicita et invalida.

3) Votum simplex tamen non irritat matrimonium subsequens — modo excipias ex speciali Sedis Apost. concessione votum simplex in Soc. Jesu emissum. — Nullae constitutae sunt poenae contra simpliciter professos, votum castitatis per subsequens matrimonium violantes.

4) Votum solemne e contra irritat subsequens matrimonium, attentansque illud plectitur excommunicatione ipso facto incurrenda et Episcopis reservata: Quod si taliter attentatum matrimonium consummatum fuerit, delinquens incurrit irregularitatem bigamiae similitudinariae. Demum ob suspicionem haeresis denunciandus est S. Inquisitioni aliis poenis ab ipsa puniendus.

§ III. De obligationibus quas gignit votum obedientiae.

"Magna quidem paupertas, sed major integritas, bonum est obedientia maximum si custodiatur illaesa", ut loquitur Joan. XXII, cap. 1. de Verb. sign. Extravag. Jo. tit. 14. Hoc igitur praestantissimum et difficilimum votum, sive solemne sive simplex, importat obligationem pa-

rendi legitimo superiori praecipienti sec. regulas et constitutiones Ordinis vel Instituti.

Superiores legitimi quibus religiosus vi voti obedientiae, sive ob potestatem dominativam in traditione fundatam, sive ob jurisdictionem qua pollent, pareat oportet sunt: Romanus Pontifex, sacrae Congregationes Romanae, superioresque religiosi, juxta hierarchicam eorum subordinationem: Epo, utique pluribus a jure indicatis, Regulares debent non modo reverentiam sed et veram obedientiam, non tamen in vi voti nisi agatur de saecularizatis vel ejectis.

Superior porro subdito voluntatem suam obligandi eum in vi voti obedientiae expresse declarare tenetur; utatur ergo verbis et formis specificis juxta constitutiones variorum ordinum vel Institutorum, puta: "in virtute sanctae obedientiae", vel alia simili; imo nonnunquam requiritur ut hujusmodi praeceptum in Scriptis, aut coram testibus intimetur. Cfr. Normae 136 — Sedulo etiam considerandum quis superior in variis familiis religiosis, hujusmodi praecepta imponere valeat.

Quoad amplitudinem materiae quae "in virtute sanctae obedientiae" praecipi possit, dicendum: a) ea honesta sit et possibilis oportet. b) sit secundum regulam, i.e. saltem implicite in ea contineatur, vel ad eam reducatur sicut medium ad finem: hinc stricta obligatione superior exigere nequit ea quae sunt supra contra, infra regulam. c) Demum, intra ambitum rerum honestarum sec. regulam, quid quisque superior jubere valeat in diversis familiis religiosis accipiendum est e respectivis earum constitutionibus et praxi. Id certe, et Sedes apostolica et DD. semper monuerunt Praelatos regulares, ut tali potestate raro, prudenter et sobrie utantur.

Ad regularum resp. constitutionum observantiam religiosus universim non tenetur vi voti obedientiae, sed virtute, obedientiae et fidelitatis, fundata et libere promissa in traditione sui tali Ordini vel Instituto.

Jure communi nullae poenae sancitae sunt contra violatores voti obedientiae. Videndum igitur quid singulorum Ordinum constitutiones ferant: utrum casus sit necne reservatus, vel aliis poenis vindicatur.

Nota: A praeceptis Superiorum et a poenis (non juxta statuta aut injuste) ab iis inflictis, nunquam datur appellatio proprie dicta, bene vero recursus ad superiores mediatos, et quandoque ad ipsam Sedem apostolicam.

attamen nunquam admittitur recursus, nisi interim pareant et poenas sustineant, vide Bizzar. decretum super recursum regularium in materia obedientiae, op. cit. p. 379.

Art. III. Ex legibus ecclesiasticis et ex constitutionibus Ordinis vel Instituti.

1) Regulares primo et per se tenentur parere dispositionibus juris communis quibus eorum conditio et status definitur. Attendant igitur ad tit. 31, 34, 35, 36, 37, 50 lib. 3 decret., ad sess. XXV Concil. Trid. de Regularibus, ad decreta S. C. Ep. et Reg., ad Constitutiones Rom. Pontificum quibus omnibus Ordinibus, vel tantum proprio, leges et praecepta imponuntur. Imo, licet exempti forte sint, noverint in quibus casibus – de quo infra – legibus et mandatis Episcopi obedire tenentur.

Alumni vero Institutorum ex Const. Conditae a Christo, clare cognoscent quomodo et in quibus jurisdictioni Episcopi dioecesani pareant oportet; ex constitutionibus autem a Sede Apost. approbatis, in quibus et quando pendeant a S. Cgr. Ep. et Reg.

2. Regulares, maxime si clerici sint, ulterius attendant ad illa omnia quae in Jure eccles. jubentur aut prohibentur ad honestatem vitae clericorum in tuto collocandam.

3. Praeter haec officia generaliora, juvat hic potissimum considerare obligationem gestandi habitum, legem clausurae, et obligationem recitandi officium.

I. Gestatio habitus.

Regulares quibus a regula vel a Constitutionibus Pontificiis proprius praescribitur habitus, illum, secluso casu gravis causae, dimittere non possunt.

Nota: habitum dimittere ille censetur qui ad tempus notabile assumit vestem suo ordini non competentem, e contra habitum exuit illum qui ob praesentem et instantem necessitatem illum deponit.

Porro ex Constitutionibus variorum Ordinum scies an et qualis dimissio habitus partialis, puta nocte, vel ad tempus, permittatur, quin dimittens peccare et a fortiori poenas incurrere censeatur.

Regulares qui proprium Religionis habitum non habent, sed habitum clericalem regionis ubi vivunt gerunt, ut Theatini, Barnabitae, Patres Soc. Jesu, vi juris communis, hac obligatione non tenentur; bene vero, si clerici sint, ad habitum clericalem et tonsuram (juxta Constitutiones et ea ratione qua caeteri clerici.

Ab obligatione gestandi habitum proprium, utpote in materia juris communis, solus Rom. Pontifex directe dispensare potest. Cfr. Trid. XXV, rg. c. 16. Superior dispensare poterit indirecte, puta dum ex justa causa praecipit opus ad cujus executionem habitus est dimittendus, aut dum in casu dubio, utrum expediat habitum dimittere necne, legem hic et nunc non obligare pro sua auctoritate declarat.

Poena statuta contra regularem habitum dimittentem est; excommunicatio latae sent. nemini reservata; in cap. 2. ut periculosa. Ne clerici vel monachi, in VI. Quae censura post Const. "Apost. Sedis" profecto adhuc viget, utpote ad regimen internum Regularium spectans, ita cum Ballerini II 1009, d'Annibal. Const. Apost. Sedis n. 211. Communiter –

Ubi observa: ad incurrendam excommunicationem requiritur ut dimittens habitum solemnem emiserit professionem, de iis enim agit cit. cap.; unde professi triennii non attinguntur, licet contra regulam peccare possint; requiritur ulterius, ut habitus temere dimittatur i.e. cum scientia legis et absque rationabili causa. Reliqua accipe a P. Piat. I, 300-308.

Alumni Institutorum in hac materia reguntur iisdem legibus generatim ac clerici regulares. Quod si proprium habitum gerant, obligatio illum deferendi quae ex solis constitutionibus descendit, sanctione juris communis non munitur: Quid sororibus Institutorum observandum sit circa habitus materiam formam et dispositionem videsis in Normis n. 66-70.

Quod historiam habitus religiosi. Cfr. de schemate vel vestitu Monachorum. Dorotheus, P. Gr. t. 88. c. 1631; Dom Besse, t. II sub verbo Kleidung der ältesten Mönch. p. 512; cfr. can. 16, Vidua, c. XX, q. I = (can. Conc. Tolet. 656).

II. Lex Clausurae.

Quoad historiam hujus institutionis et legis in genere vide Alardgazaeum in cap. 4 Collat. XXIV Cassiani P. L. t. 49, col. 1288–1294. Quoad specialem clausuram monialium lege egregiam expositionem D. Hollweck, die Kirchl. Strafgesetze, p. 221 sq. — Cfr. etiam partem narrativam const. "Regularis disciplinae", Bened. XIV, 3 Jan. 1742, apud Vermeersch, II, p. 373.

1) Fundatur ex parte in jure naturali, ideoque aliqua ratione cum ipsis exordiis vitae coenobiticae conserta est, ut videre est in Regula S. Pachomii, deinceps consuetudine et zelo pietatis ob eximios fructus quos monachis attulit corroborata, Cfr. Rufin. de vitis Patrum lib. II, c. 17; a multis conciliis particularibus commendata; vi Regulae SS. Basilii, Benedicti, Francisci et vulg. Augustini religiosis suis imposita; demum inde a saec. XIII a Summis Pontificibus lege publica et universali regularibus utriusque sexus variis cum rigore, injuncta est.

2) Ipsa obligatio servandi clausuram ex diverso fonte, et quidem quadruplici derivari potest; unde DD. quatuor classes discernunt. cfr Hollweck op. cit. p. 224. 1) Clausura papalis quae per se solis monasteriis imponitur in quibus vota solemnia emittuntur; licet rarissime, via indulti, eadem clausura profitentibus vota simplicia concessa sit. Cfr. Bizzar. p. 88 et in opposit. ibid. p. 487 sq.: dicitur papalis, quia lege pontificia imposita et sanctionibus munita. 2° Clausura episcopalis, quam Episcopus sua lege, profitentibus vota simplicia, imponere potest, atque censuris munire. 3) Clausura a Constitutionibus forte praescripta in Institutis, quae per se obligat quidem ut constitutiones in genere; nisi sub determinata aggravatione praescripta sit, non tamen censuris juvatur. 4) Clausura vi voti suscepta, ut in nonnullis Institutis, et ante Const. S. Pii V, "Decori" in religionibus, quartum emittebatur vel emittitur votum de clausura sub determinata forma servanda, puta ea mensura quam taxavit Trid. XXV. rg. c. 5.

3) Finis hujus legis est praecavere scandala, arcere pericula castitatis et Spiritum mundanum, praecipue vero fovere spiritum internum et regularem disciplinam.

4) Demum nota: verbum clausura accipitur modo <u>formaliter</u>, modo <u>materialiter</u>. Priori acceptione idem sonat ac: lex prohibens regularibus egressum indiscretum, extraneis vero temerarium ingressum. Posteriori sensu designat illud spatium quod huic duplici prohibitioni subest, ideoque septis vel muro circumdari debet, ita ut omnis accessus liber extraneis praecipiatur. Ad clausuram sic intellectam necessario pertinent ex jure com. interiora conventus i.e.: claustrum, dormitorium, refectorium, officinae, ita ut superior regularis ea loca a clausurae lege eximere nequeat. Quoad viridaria, hortum etc., ut ad clausuram pertineant plane undecumque sepiri debent, pertinetque ad superiorem determinare amplitudinem, in qua determinatione, pro ratione temporum et locorum necessitate, profecto variare poterit. Ecclesia, sacristia et chorus ubi patet accessus exterior vel per ecclesiam, locutoria prope januam, ita non sunt intra clausuram ut eorum aditus externis liber sit, regulares tamen in conventu manentes non censentur exire clausuram cum illo sine licentia se conferunt. Jam age, ut rerum connexio postulat, hic agemus tantum de clausura quae jure communi votis solemnibus adnexa est. Cum autem jura nostra aliter statuerint circa clausuram virorum et monialium de utraque seorsim agendum est.

<u>A. De clausura virorum qui vota solemnia emiserunt.</u>

Haec lex duplicem imponit obligationem 1) <u>non egrediendi</u> e monasterii septis absque competentis superioris legitima licentia, 2° <u>non admittendi faeminas</u> intra septa monasterii.

a) <u>non egrediendi sine legitima licentia.</u>

1) Trid. XXV, rg. c. 4. "Nec liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint", qui vero sine praescripto mandato, in scriptis obtento, repertus fuerit, ab ordinariis locorum tamquam desertor sui instituti puniatur" — Clem. VIII Const. "Nullus" 25 Jun. 1599 § 19, apud Vermeersch, p. 303 "Nullus e conventu egredi audeat, nisi ex causa, et cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata.. a Superiore qui non aliter eam concedat nisi causa probata". Licentiae vero generales exeundi nulli omnino concedantur... Contravenientes § 20 ad superioris arbitrium plectantur."

2) Non igitur prohibetur simpliciter egressus, sed egressus sine licentia, nec licentia dari potest sine "justa causa". Procul dubio regulares vitae apostolicae dediti frequentius habebunt justam egrediendi causam; rariorem, quae ferme coincidit cum cura gerendi negotia monasterii vel consimili, habebunt stricte dicti monachi. Hinc juxta finem secundarium ordinis, in variis familiis aliter et aliter taxatur "justa causa" egrediendi, et consequenter diversa ratione circumscribitur potestas superioris concedendi licentiam "legitimam", sub mortali, vel veniali etc.

3) Doctrina praevalens admittit violationem hujus legis esse mortalem ex genere suo; ex parvitate materiae, levem. Ratio est quia lex imponitur non tantum a Regula, sed ab Ecclesia cujus leges in materia gravi ex genere suo sub gravi obligant, nisi contrarium aperte dicatur; alia ratio est: quia qui per egressum se subducit superiori nescienti vel contradicenti agit contra obligationem voti obedientiae cujus executionem reddit illusoriam — Censetur levis egressio cum socio, per januam communem et ad breve tempus, sine malo fine; item egressio brevis, sine contemptu superioris et sine scandalo. Gravis vero, egressio nocturna furtiva etiam sine mala intentione; est enim casus reservatus.

4) recte observat S. Piat, t. I, p. 349: "Cum lex superioris licentiam requirat, sequitur illam solos subditos attingere. Si igitur ipse superior absque justa causa exeat, licet alias fortasse peccet, non tamen hanc legem violat.

5) Nullas in contravenientes jus commune statuit poenas latae sententiae; sed delinquentes ad tenorem cit. const. "Nullus" § 20 puniuntur ad arbitrium superioris, et forte etiam juxta Constitutiones.

b) non admittendi mulieres.

1) Ante S. Pium V feminarum ingressus in monasteria virorum moderabatur partim lege naturae, quae vetat et periculum et scandalum, partim exhortationibus SS. Pont. Cfr. epist. S. Greg. 42 P. L. t. 77, p. 717, praesertim vero singulorum ordinum statutis, addita etiam hinc inde ex favore Ecclesiae poena excommunicationis in transgressores. Verum multis in locis matronae nobiles, potentes, benefactrices quasi exemptionem a lege et a censura usu tenebant.

"Hinc zelantissimus Pont. Pius V, const." Regularium personarum", 24 Oct. 1566, (Bull. II, 212) irritavit hujusmodi licentias, addita in faeminas quae praetextu privilegiorum intrarent poena excommunicationis; in regulares vero eas admittentes poena privationis officiorum, inhabilitatis ad ea, et suspensionis ipso facto. Anno deinde 1570, Const. "Decet" 16 Jul., extendit poenam simpliciter ad omnes feminas ingredientes — Greg. XIII ulterius procedens, Const. "Ubi gratiae", 13 Jun. 1575, poenam excommunicationis statuit et in ipsos religiosos qui feminas admitterent — Bened. XIV, 3 Jan. 1742, acriter urgens mandata praedecessorum, Const. "Regularis disciplinae", simul extinxit omnia et quaecumque privilegia admittendi feminas, paucis exceptis quas enumerat, cit. Const. § 8 i.e. Fundatorum — quarum jus reservatum fuit et a S. Apost. recognitum, feminas familiae regnantis in temporalibus illius loci, et demum, quod maximum est, omnibus dignitatibus ecclesiasticis, etiam S. R. E. Cardinalibus et SS. Congreg. facultatem abstulit licentias concedendi, et concedendas ex tunc irritas declaravit, ap. Vermeersch, p. 373, t. 2.

2) Pius IX Const. "Apost. Sedis" excom. latae sent., R. Pontifici reservatam, constituit contra "Mulieres violantes Regularium virorum clausuram et superiores aliosve eas admittentes." dicitur: Mulieres, ideoque communius DD. poenam restringunt ad feminas nubiles, i.e. 12 annum egressas. Alii tamen intelligunt de omnibus quae septennium, seu usum rationis attigerunt: sed ulterius certe vel rigorosissima doctrina procedere non potest, ut patet ex comparatione hujus censurae cum censura in violantes clausuram monialium positam: haec enim attingit omnes "cujuscumque aetatis", cum porro haec verba desint in nostra censura, certe extensio illius minor est. Communiori sent. pondus adjecit resp. S. C. Ep. et R., 1 Jun. 1685, in una Capucin.; declarat enim S. Cgr. excommunicationem incurri a mulieribus adultis, non adultas vero, juxta casum, ab Epo posse puniri; porro sensu communi mulier non nubilis nunquam adulta censetur.

Excipiuntur mulieres etiam adultae quae verificant conditiones a Bened. XIV, const. "Regul. discipl." § 8, enumeratas; item juxta

te communem doctrinam: Imperatrices, Reginae earumque filiae, ratio est quia tales personae, ut excludantur, speciali mentione dignae sunt, quae in bullis cit. non adest.

dicitur: violantes clausuram regularium virorum; ideoque non comprehenduntur domus institutorum; lex poenalis enim strictae est interpretationis — Pariter non comprehenduntur conventus etiam Regularium quamdiu formati non sunt, licet aliquot Patres jam inibi degant ita S. C. Ep. R., die 4 Oct. 1588, ut legere est ap. Ferr. v. Conventus, art. III. 8. — neque clausurae subjacent, grangiae, villae, hospitia etc. quae a monasteriis distant.

E contra in Missionibus, juxta decr. "Cum deceat" S. C. de Prop. Fide. 26 Aug. 1780, una cum declaratione ejusdem decreti 5 Mart. 1787 — in Collect. S. C. Prop. Fide, n. 411 et 412, hospitia et stationes, domus ad missionem pertinentes, in quibus stabiliter manent duo vel tres missionarii regulares, subduntur clausurae legibus, violantesque eam sanctionibus poenalibus subjacent. Cum vero locorum angustia id necessarium facit, permittitur mulieribus ingressus in oratorium internum ad missas audiendas etc., dummodo recto tramite accedant et revertantur.

dicitur: Superiores, i. e. quicumque in monasteriis auctoritate gubernativa potiuntur, rector, minister, etc.

Additur — aliosve, — intellige, regulares, eas admittentes. Prima linea indicatur janitor, sed et quicumque influunt effective, sive ut mulieres ingrediantur, sive juxta paucos ut semel ingressae diutius immorentur, quales sunt invitantes, hortantes, approbantes, auferentes impedimenta, januam aperientes, eas recipientes etc. Et quidem etiam secluso omni malo fine, tum ex parte ingredientium, tum ex parte admittentium, censura enim abstrahit a fine.

Ab hac censura, quamdiu delictum manet occultum, absolvere potest Epus, juxta facult. Trid. XXIV, c. 6 cf. confirmatam in Const. "Apost. Sedis"; secus recurrendum est ad R. Pontificem, vel ad habentem facultatem absolvendi a casibus et censuris R. Pontifici reservatis.

Utrum superiores aliique admittentes insuper incurrant

poenas ante Const. "Apost. Sedis" statutas. Resp. procul dubio cessavit suspensio. Utrum etiam privatio pennis officii et inhabilitas ad ea in futurum: Controvertitur. Id quidem affirmant: Wernz, Jus decret. III, p. 731, et Bollweck op. cit. p. 230, Piat, I, 359, Santi, lib. III, tit. 35, n. 29. eorum ratio est quia praesens excommunicatio, non a Pio IX, sed jam a Greg. XIII, const. "Ubi gratiae" introducta est, non igitur dici potest, eam loco antiquarum poenarum positam fuisse — negant nihilominus: Avanzini, Bertapelle in Const. Apost. Sedis, n. 316 in fine, d'Annibale, Commentar. 112 — Attamen ut alias monui, ut istae poenae sortiantur suum effectum, requiritur sententia declaratoria judicis, et cum poenae hujusmodi non sint reservatae Sedi Apost., superiores, quandiu sententia judicis non intercesserit, ab iis dispensare possunt.

In hac materia Soc. Jesu regitur jure communi, ut declaravit P. Anderledy, 21 Nov. 1891; lege tamen eruditionis causa opusculum rarissimum P. Costa Rossetti: Rationes quibus dubitant societatem Jesu papali clausurae subjici? Viennae, 1892. — Cum vero in collegiis, convictibusque habeatur difficultas non levis quoad clausuram, attendenda sunt quae praescripsit P. Beckx, 31 Aug. 1866, et praecipue quae a R. P. Martin, insistens decreto 20 Congr. XXIV, die 10 Nov. 1893, mandavit.

B. De clausura sanctimonialium quae vota solemnia emiserunt.

Cum, hujusmodi moniales apud nos non existant nisi in Sabaudia et comitatu niciensi, hanc quaestionem breviter expediam, Historiam recte narrat Hollweck, op. cit. p. 222 § 149, nota 1 sq. Haec clausura pro diversis temporibus diversa, quadantenus ad ipsa Ecclesiae exordia ascendit, quippe cum, diu antequam monachae apparerent, adfuerunt virgines Christo sacrae. Nata ex rerum natura, ex zelo perfectionis sacrarum Virginum, ex pastorali prudentia sacrorum Antistitum, sollicitudine conciliorum particularium aucta fuit et passim curae Episcoporum concredita — Demum suprema Ecclesiae auctoritas legislatione universali clausuram monialium determinavit.

Documenta juris communis sunt: c. 8. de vita et honest. cler., III. 1; c. Periculoso, de statu regul. in VI, III, 16; Trid. XXV, rg. c. 5. —

Pius V constitutionibus: circa Pastoralis officii", 29 Maii 1566 (Bull. II, 193) quae urget executionem Conc. Trid. "Decori Virginum", 1 Febr. 1570 (Bull. II, 197) qua determinat tres casus egrediendi, ita ut omnis alius egressus, excommunicatione latae sent. plecteretur: quam excommunicationem incurrebant et licentiam egrediendi concedentes, et concomitantes ei egressas recipientes. Tres casus, demonstrativi potius quam taxativi, erant: incendium, lepra, epidemia, et tunc quidem in scriptis licentia requirenda, quoad fieri possit. — Ex altera parte Greg. XIII, Const. "Ubi gratiae", 13 Jun. 1575, sustulit omnes licentias generales ingrediendi, sublata Epis facultate hujusmodi licentias concedendi, adjecta insuper excomm. latae sent. contra ingredientes et abbatissas admittentes. In casu necessitatis verae tum, et quidem toties quoties manifestandae, Episcopus vel Sup. regul. poterat concedere licentiam ingrediendi, secus praeter excommunicationem latae sententiae, concedens licentiam incurrebat poenas privationis et inhabilitatis ad dignitates beneficia et officia. Idem Greg. XIII, Const. "Dubiis", 23 Dec. 1581, determinavit cur et qua ratione ipsi Episcopi et Superiores Regulares ingredi valeant, adjectis poenis: 1° vice interdicti ab ingressu in Eccl.; 2° suspensione; 3° excommunicatione. — Greg. XV, Const. "Inscrutabili", 5 Febr. 1622, clausuram monialium iterum vigilantiae Episcoporum commendavit, additis facultatibus amplissimis ad eam instaurandam ac tuendam. — Bened. XIV pluribus constitutionibus dispositiones praedecessorum innovavit et ex parte aggravavit, seduloque etiam determinavit quomodo et sub quibus conditionibus puellae educandae, necnon saeculares ancillae admitti possint: "Cum sacrarum virginum", Jun. 1741; "Salutare" 3 Jan. 1742. "Per binos" 24 Jan. 1747, gravissimo 7 Sept. 1749. Cfr. ejusdem Pont. Synod. dioeces. lib. XIII. c. 12.

Tandem Pius IX const. Apost. Sedis, excomm. latae sententiae, R. Pont. reservatam statuit, n. 19, in: "Violantes clausuram monialium cujuscumque generis, aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Const. "Decori" praescriptum.

Haec lex considerat duplicem violationem clausurae mona-

lum. per ingressum scilicet per egressum, utramque excommunicationem exercet.

a) de violatione clausurae per ingressum. Considerantur et ingredientes et eos admittes.

1) Prohibetur ingressus absolute omnibus cujuscumque conditionis, sexus et aetatis. Igitur et pueris rationis usum habentibus, quia isti enim praecepti et doli sunt capaces. Idque independenter a fine ingredientium. Hinc et saeculares ancillae, et matronae, quae inibi perpetuo degere vellent tamquam pensionariae, indigent indulto ipsius Sedis apostolicae S.C. Ep. R., 16 Jul. 1884, et 14 dec. 1887.

Excipiuntur ab hac amplitudine, juxta doctrinam antiquam, et recentem et quidem nonobstante const. Bened. XIV "Salutare", § 3: Imperatores, Reges, eorum uxores et filii cum decenti comitatu; Fundatrices quae verificant duplicem conditionem a Bened. XIV positam, supra alleg. ex const. "Regularis discipl.", modo aliunde non obstent Constitutiones ordinis.

2) Attamen ingressus violationem tantum constituit: si verificetur absque legitima licentia, quae juxta Trid. XXV reg. 5 dari nequit nisi in casibus necessariis. Necessitas porro hujusmodi juxta declarationes S.C.C., se teneat oportet ex parte monialium, non vero ex parte petentium ingressum; insuper sit necessitas actualis et perseverans tempore ingressus.

Considerant DD.

α) Necessitatem spiritualem monialium. hoc titulo ingredi potest:

Episcopus, in casibus iis urgentibus in quibus aliis licentiam dare posset; praeterea si sibi sint subjectae moniales, visitationis canonicae causa quoties urgeat necessitas cum clericis senioribus et religiosis. Si moniales sibi non sint subjectae, semper quotiescumque id rationabile duxerit, inconsulto superiore Regulari, etiam non praemonita abbatissa, visitationem instituere poterit per se vel per Vicarium generalem, attamen tantum quoad clausuram. – Iterum ingredi potest ad impertiendum, in casu, sacramentum confirmationis moniali moribundae quae ad crates deferri nequit, item ad impertiendam moribundae indulgentiam plen. in articulo mortis, dummodo in

hoc casu cum confessario ordinario et tertio sacerdote benevolo ... grediatur. — Cfr. Richter. Conc. Trid., p. 403 sqq.

Superior Regularis, semel in anno, ad visitandum per se moniales sibi subjectas: quoad ulteriores ingressus etiam visitandi causa, et ipse eget licentia Episcopi.

Confessarius ad sacramenta paenitentiae, eucharistiae, extremae unctionis graviter aegrotantibus administranda, ad assistendum morienti, etiam nocte. Saecularis superpelliceo et stola indutus, regularis cum socio incedat, et uterque semper recto tramite accedat et revertatur.

β) Necessitatem temporalem monialium. hoc titulo recte ex licentia generali, certis temporibus, ut romanus usus fert, renovanda, ingrediuntur: medicus domus in omnibus casibus necessariis, chirurgus, syndicus, notarius si adsit necessitas cui aliter subveniri non possit, fabri lignarii, hortulani, bajuli etc. etc.

Quoad ingressum puellarum educationis causa, vide quae fuse et docte disserit S. Piat, I, 371 sqq.

3) Data igitur justa causa, licentiam ingrediendi concedet quoad moniales sibi subjectas: Episcopus potestate ordinaria, quoad S. Sedi subjectas, idem Episcopus tq. delegatus Sedis Apost.; demum quoad moniales Regularibus subditas Praelatus Regularis conjunctim cum Episcopo, nisi forte invaluerit consuetudo, ut et in hoc casu, licentia a solo concedatur Episcopo, ita pluries S. C. C. ut refert Bened. XIV, de Syn. lib. XIII, c. 12, n. 23, cfr. etiam Richter, c. Trid. p. 404 sqq. — Juxta Trid. XXV. rg. 5 licentia danda est in scriptis, utrum id et hodie requiratur — controvertitur. Omnes quidem concedunt hanc viam omnium esse optimam. Plures tamen affirmant, post Const. Apost. Sedis, licentiam in scriptis amplius non requiri, alii concedunt, modo adsit licentia objective legitima, etiamsi non in scriptis consignata, jam non incurri excommunicationem ita: Avanzini, Pertapelle, n. 314, de Angelis, lib. III, tit. 35, n. 7, p. 190; Gonella, d'Annibale, n. 144, Bucceroni; contradicit quidem Hollweck, op. cit. p. 224, sed ipse videat quem adstipulatorem inveniat: legitima licentia enim materialiter adest, eo ipso quod superior competens, ex justa causa eam concedat, formaliter etiam legitima si eam in scriptis det. Verum in lege poenali sequimur

minorum. Ergo.

4) Igitur omnes, quotquot sine legitima licentia ingrediuntur, excommunicationem R.° Pontifici reservatam incurrunt. Caeterae poenae in Praelatos olim statutae, sublatae videntur ob aggravatam excommunicationem, quae hodie R.° Pontifici olim vero nemini reservabatur.

5) Moniales cognoscentes hanc legem, scientesque personas intrantes legitima carere licentia, quotquot physice vel moraliter cooperantur ad introductionem vel admissionem ingredientium, excommunicatione R.° Pontifici reservata plectuntur. Insuper juxta veriorem sententiam, ut dictum est supra de regularibus feminas admittentibus, praedictae moniales incurrunt poenam privationis officiorum claustralium et inhabilitatis perpetuae ad ea: quae poenae effectum suum sortiuntur per nudam judicis declarationem.

b) De violatione clausurae per egressum monialium.

Ex eadem Const. "Sedis Apost." excommunicationem R.° Pontifici reservatam incurrunt moniales e clausura exeuntes, nisi ex casibus ac formam a S. Pio V in Const. "Decori" praescriptam.

Trid. sess. XXV, rg. c. 5 statuerat "Nemini sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque praetextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo determinanda". Has causas justas exeundi S. Pius V, in cit. const. "Decori", determinavit, tresque recensuit: scilicet casum magni incendii, infirmitatis leprae, epidemiae (intellige activ in monasterio ipso saevientis), et insuper omnes de licentia Episcopi, et quidem in scriptis obtinenda (intellige nisi periculum supremum sit in mora). — Admittunt DD. hos tres casus non esse stricte taxativos, sed potius demonstrativos, ita ut comprehendantur alii quae aeque graves, et a fortiori graviores: puta inundatio, incursio bellica etc., minime vero comprehendunt translationem monialis electae in Abbatissam a sororibus alterius conventus, ut expresse declaravit Greg. XIII, quippe cum S. Pius V hac Const. "Decori" correxit cap. 7 sess. XXV rg. Concil. Trid., vide Pontif. p. 208 et cit. decis. S. C. Ep. Reg., 16 Jul. 1884, quam refert Zitelli, Apparat. Juris eccl., p. 235; neque egressum ad fundationem novi monasterii, aut ad reformandum conventum: intrinsece enim semper requiritur licentia ipsius Sedis Apost., adeo ut S. R.

u. J., die 22. Decembr. 1880, negaverit vel immemorabilem consuetudinem Episcopo suffraganeo haurire: Acta S. Sedis, vol. XV, p. 537.

2) Subsistente porro ipsa causa, accedat oportet licentia exeundi, quam non exemptis dabit ordinarius loci; Romano Pontifici subjectis, Episcopus tq. delegatus; Regularibus subjectis respective superior Regularis et ordinarius, hac tamen ratione, ut Episcopus perprius cognoscat et approbet causam exeundi, et superior reg. licentiam communicet.

3) Licentia etiam hodie, ni magnum in mora sit periculum, in scriptis est obtinenda, ratio est quia constitutio "Apost. Sedis" requirit praeter casum etiam formam a S. Pio praescriptam, ipsa vero exigit licentiam in scriptis.

4) Ex Const. Piana adsunt et aliae poenae contra violantes clausuram: "Insuper tam egressas quam praesidentes et alios superiores praedictos, sic licentiam hujusmodi concedentes, dignitatibus, officiis et administrationibus per eos tunc obtentis, privamus, et etiam ad talia in posterum obtinenda inhabiles... decernimus." Quae poenae adhuc vigent, attamen ut dicit, incurruntur tantum post judicis sententiam: Ita ein solvit Summus Pontifex.

De gravissima prohibitione accedendi ad moniales collocutionis gratia, laicis, clericis, singulariter vero Regularibus facta, lege S. Piat, t. I, p. 388-398; Bouix, t. II, p. 615 sq.

III. Recitatio divini officii. Haec dupliciter considerari potest: choralis nempe et privata.

a) De recitatione chorali.

1) Hac obligatione, tum consuetudine, tum praecipue jure scripto adstringuntur omnes regulares tam viri quam moniales illorum ordinum qui ad chorum destinati sunt: ita c. gravis 1, de Celebr. miss. III, 14, Clem. "in... regularibus... ecclesiis, horis debitis, devote psallatur... si Dei et apostolicae sedis indignationem evitare voluerint." Lege causam Cenoman., 19 April 1844, apud Bizzar. p. 495, et resp. S. Sacr. Poenit., 26 Nov. 1852, "Moniales votis solemnibus adstrictas teneri sub gravi quotidie officium recitare ex consuetudine [illegible]." Ad hanc choralem recitationem obligantur per se [illegible]

- ii solemniter professi, declar. Pii IX ap. Bizzar. p. 857 ad 1; decr. "Perpensis", n. 4. - Conversi, etiam solemniter professi, non tenentur ad chorum.

E contra sorores, quae quadantenus spectant ad ordines in quibus vota solemnia quidem emittuntur, sed apud nos vota simplicia tantum emittere possunt, non tenentur jure canonico ad recitationem choralem, sed tantum quia et quatenus a respectivis constitutionibus ea forte praescribitur: ita Carmelitanae, Clarissae etc. Porro alumni institutorum nulla prorsus obligatione tenentur ad recitationem choralem divini officii, quippe cum in Institutis non sacerdotalibus, constitutiones tantum communem recitationem officii parvi B. M. V. vel alicujus partis ejusdem officii, praescribere possunt, et quidem sine obligatione sub peccato. Normae n. 156.

2) Haec obligatio realis et gravis directe quidem afficit ipsam communitatem, unde qui caput est communitatis praecipue curare debet hujus oneris solutionem; afficit porro remote, seu, ut ait P. Piat, I, 311, <u>radicaliter</u> <u>omnia</u> membra communitatis, alias inanis esset communitatis obligatio, cum non appareat cur potius Titius quam Cajus onus sustinere teneatur; <u>actualiter</u> tamen singuli, non tenentur interesse recitationi; excusari scilicet poterunt religiosi a personali chori obligatione per impotentiam physicam aut moralem - Praeterea superior in casibus a Clemente VIII contemplatis, in decr. "Nullus omnino", 25 Jun. 1599, § I, dispensare potest a servitio personali chori, scilicet cum Lectoribus et Praedicatoribus, iis diebus tantum quibus eos legere vel praedicare contigerit, pariter cum aegrotis et studiorum causa legitime impeditis; eodem decreto, cit. §, excusati habentur officiales "pro tempore quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus". Cfirm. decreto Urb. VIII "sacra Congreg.", 21 Sept. 1624, § 1. In reliquis casibus, maxime ad eximendam totam communitatem ab obligatione chori, dispensat solus R.us Pontifex. - Quod si, v. gr. ob infirmitatem etc., saltem quatuor expediti choristae convenire non possint, eo ipso juxta receptam doctrinam, cessat communitatis obligatio.

3) Quoad qualitates hujus recitationis, quae fieri debeat alternatim, vocaliter, alia voce; distincte, integre, ordinate, continue,

juxta rubricas; praesertim et reverenter, devote, attente adeas moralistas, et lege S. Piat I, p. 315-320.

4) Nota: Regulares qui non dioecesano sed proprio utuntur Calendario, tenentur tamen recitare Officium (in die, non autem cum octava) *praecipui loci patroni*, dummodo legitime electus et a S. Sede confirmatus fuerit. S.R.C., 6 Sept. 1845; *Titularis* ecclesiae cathedralis S.R.C., 18 Mart. 1883, ad 1; *Protectoris civitatis*, S.R.C., 15 Jul. 1769; *Patroni principalis* Regni vel Provinciae, modo Apostolica Sedes expresse concesserit ut ab utroque Clero recitetur, 23 Mart. 1683, ac tandem, si in civitate episcopali degant, *Dedicationis* Ecclesiae cathedralis: Hoc ultimum officium, sub ritu duplicis 2ae classis (2dariae), priora vero, sub ritu duplicis 1ae classis — Missae, etiam conventuali, ad normam tamen rubricarum, addant oportet orationem ab episcopo imperatam, nec ab ea cessare possunt antequam ordinarius jusserit, S.R.C. 3 April 1821 — Vide haec omnia et quaedam alia collecta in capite Breviarii edit. Dessain, 1877.

b) *de recitatione privata divini officii.*

1) Ad eam, quatenus in choro suae obligationi non satisfecerint, tenentur ex consuetudine, et quidem sub gravi, omnes regulares solemniter professi, viri, etiam si in sacris non sint, et moniales, exceptis, ut dictum est, conversis, in Ordinibus choro addictis.

2) Professi triennii ad eam non tenentur, nisi jam in sacris constituti, hac ratione obligentur.

3) Professi etiam solemniter in ordinibus choro non addictis, ad privatam recitationem tenentur tantum quatenus sunt in sacris. Idem dicas de alumnis Institutorum. Quoad sorores quae nunc tantum vota simplicia emittere possunt, dicendum eas teneri ad privatam recitationem, prout in Constitutionibus forte praescribitur. Bouix hae generatim loquuntur tantum de recitatione chorali.

Quid valeant Superiores et confessarii ordinarii nostri in ordine ad dispensandum cum nn. super hoc onere aut ad illud commutandum, accipe ex Comp. privil. n. 141, et 315-321.

Caput X. De Religiosis statum mutantibus.

Vi traditionis, in professione factae et a Religione vel Instituto acceptae, nata est mutua obligatio, ob quam, ex una parte, Religiosus in susceptae forma vitae permanere debet, ex altera vero parte Religio seu Institutum eum in familia retinere tenetur. Contingit porro hujusmodi pactum mutuum aliquando dissolvi aut relaxari, et quidem variis modis, puta ob causam necessariam vel licitam, imo quod pejus est, ob causam criminosam. Exponemus igitur ex ordine varios istos casus.

Art. I. De iis qui egrediuntur dispensati a suis votis.

§ I. De solemniter professis.

Cum ex authentica declaratione supremi Ecclesiae magisterii constet solemnitatem votorum non jure divino sed ecclesiastico fuisse introductam, procul dubio Ecclesia poterit, sive quoad singulares personas, sive etiam quoad integras classes Regularium – ut ecce in casu dispersionis eorum violentae – effectus juridicos solemni professioni adnexos moderari. Verum ulterius, ex eodem fundamento sequitur, Ecclesiam posse in ipsis his dispensare votis, et et de monacho facere non monachum.

Quod si Angelicus Praeceptor II, II. 88, XI contrarium doceat, ab ejus sententia pie recedendum est: tum quia ejus tempore nondum existebat authentica declaratio Ecclesiae circa causam efficientem votorum solemnium, secus manifeste respondisset quoad votum per professionem solemnizatum, sicut in corp. ejusdem articuli respondet de voto castitatis per susceptionem ordinis sacri solemnizato: tum quia ea aetate non aderant, seu potius non cognoscebantur exempla praxis contrariae a Sede Ap. usurpatae. In hac quippe praxi et ulterioribus S. Sedis declarationibus maxime fundatur ratio asserti nostri, quia, ut monet Bened. XIV Syn. VII, c. 4, n. 7, "de Pontificis potestate postquam dispensavit dubitare, instar sacrilegii est."

Eadem demonstratio – circa potestatem dispensandi in voto solemni – sequitur ex alio principio superius firmato. Juxta dicta

enim votum solemne et votum simplex perpetuum in sua specie morali non differunt. Atqui sec. omnes Ecclesia potest dispensare in votis simplicibus, cum adsit causa competens. Ergo et in aliis. Nam cum illud quod solemnitas superaddit speciei morali univocae ex facto Ecclesiae provenit, id profecto non subtrahitur universalissimae Ecclesiae potestati ligandi atque solvendi. Per quas causas enim aliquid nascitur per easdem et dissolvitur. Reg. J. 1.

Si quaeras ulterius, cuinam judici in Ecclesia competat facultas dispensandi in his votis, respondendum est: causam hanc esse majorem soli que Rº. Pontifici reservatam. "Sicut potuit R. Pont., ait Suarez, de Stat. Relig. lib. VI, c. 18, n. 1, vota simplicia castitatis et religionis sibi reservare, multo magis professionem religiosam. Quod autem ita fecerit, quamvis nullum esset jus scriptum, sufficienter ostenderet consuetudo."

Ut porro D. Papa licite et valide dispenset, requiritur justa et rationabilis causa, ut tenent omnes DD. Ratio est quia non proprio sed Dei nomine dispensat. Deus autem hanc facultatem non concessit nisi ob justam causam, secus data potestas vergeret non jam ad aedificationem sed potius ad destructionem.

Praeterea, ut supra dictum est de constitutivo formali voti solemnis, ipsa Ecclesia in ejus ortu sua auctoritate positive et efficaciter intervenit, unde et sibimetipsi debet tale votum, quoad fieri possit, sustinere.

Hinc fit ut Rⁱ. Pontifices rarissime et nonnisi ex causa gravissima, ut plurimum boni publici, hac potestate usi sint: vide nonnulla exempla apud Ferrari v. Votum. art. 3, n. 63, et Suarez, tract. cit. l. VI, c. 16, n. 6.

Denum, quicumque solemniter professus talem dispensationem a S. Pontifice obtinuerit, is liber evadit ab omni obligatione contracta erga Religionem per sui traditionem, et erga Deum per sua vota.

§ II. De simpliciter professis.

In hac materia variae classes sunt secernendae. Nam

1) Solus R. Pontifex dispensat cum iis: a) qui in Ordinibus sive virorum, sive mulierum, post expletum novitiatum, emiserunt vota simplicia triennii. Decl. Pii IX, 12 Jun. 1858, ap. Bizzar. p. 856, n. 2;

decr. "Perpensis" n. 5. b) Qui in Institutis votorum simpl. a Sede Ap. comprobatis vota emiserunt sive temporaria, sive perpetua. Const. "Conditae" parte II, n. 2. Clerici taliter dispensati, si fuerint in sacris, attendant ad dispositionem decr. "Auctis admod." 4 Nov. 1892, n. 5: "Qui in sacris ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive perpetuis, sive temporalibus, sponte dimissionem ab Ap. Sede petierint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec Epum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico sibi providerint, secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum. — Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium, qui quovis professionis vinculo jam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerint nuncupata."

2) In Congregationibus dioecesanis, accedente consensu superiorum, Epus loci dispensare potest, in votis etiam perpetuis, excepto voto castitatis perpetuae, nisi forte gaudeat indulto ad effectum. — Idem dicendum in gallia de votis simplicibus et perpetuis illarum monialium quae olim vota emittebant solemnia et inde ab anno 1801 tantum simplicia emittere permittuntur, ut Benedictinae etc. nisi forte, ut quaedam Ursulinae, in Congregationem modernam sub superiorissa generali a Sede Ap. approbatam coaluerint. Cfr. Resp. S. C. Ep. Reg. 2 Jan. 1837 ad Ep. Minat. et ad Ep. Cenoman. 2 Jan. 1836. ap. Battand. Guide canon. n. 167, 168.

Art. II. De solemniter professis saecularizatis.

1) Quaestio de saecularizatione, si presse loqui velimus, et casum anomalum, ex violenta dispersione ortum, seponamus, in rigore respicit tantum solemniter professos; simpliciter professi enim regulariter, ubi opus fuerit, dispensantur.

2) Dictum est modo, Rum Pontificem rarissime uti sua potestate dispensandi in votis solemnibus, hinc pro taliter professis inventa est alia via egrediendi, non quidem e Religione, sed e monasterio, per indultum saecularizationis.

3) Affirmative sumpta. Saecularizatio est actus authenticus quo Rus Pontifex nihil immutans in obligationibus quas Regularis vi

votorum contraxit erga Deum, illum justa et gravi ex causa absolvit ab obligatione quam contraxit vi traditionis suae erga Ordinem: brevius: actus quo, firmis manentibus votis, R^us Pontifex Regulari permittit ut in saeculo degat; terminative saecularizatio est ipsa haec facultas manendi in saeculo salvis votis quoad substantiam.

3) Nuper in Galliis folia quaedam imo et ipsae "Semaines religieuses", ex ignorantia ut puto, multa protulerunt pari injustitia et injuria contra regularem saecularizatum, ideo non abs re erit monere saecularizatum ab ejecto caute esse distinguendum. Hujus enim conditio supponit culpam, imo et incorrigibilitatem non ita conditio prioris qui forte virtute conspicuus ob gravem causam absolutus fuit a superiorum regimine. Praeterea ejectus manet suspensus, non ita saecularizatus, nisi saecularizatio ei intimata fuerit "per modum expulsionis". Cfr. Bouix, de Jur. Reg. t. 2, p. 518.

4) Variae species saecularizationis. Ipsa conceditur:

a) ad tempus, ob negotium determinatum, puta ad necessitatem parentum sublevandam ad sanitatem recuperandam, ad munus quoddam exercendum etc. etc.

Nempe si in his et similibus gravioris momenti casibus regularis Sedi Ap. porrigat supplices preces ad obtinendum indultum saecularizationis S. Cgr. Ep. et Reg., si allegatas rationes admittat, respondere solet: "Si preces veritate nitantur, benigne annuit, et tibi licentiam concedit manendi extra claustrum durante... (ex. gr. parentum asserta necessitate); habitu tamen illico dimisso, caeterisque impositis conditionibus P. Generali benevisis." Imo non desunt exempla. Quandoque permittit ut in saeculo habitum retineat. Qui tali fruitur indulto non tenetur sibi de sacro patrimonio providere modo probet se habere quae decent sufficientem sustentationem S. C. E. R. 13 Sept. 1832, Anal. Jur. P. t. 16, p. 1001. Durante commoratione in saeculo subjacet ordinario loci commorationis, etiam in vi voti obedientiae. Ad monasterium redire poterit quandocumque voluerit, licet tempus in indulto concessum nondum elapsum fuerit, et Ordo tenetur illum admittere ut S. C. E. R. pluries declaravit. Cfr. Anal. Jur. P. t. 14, p. 109, 222, 223; Bizzar. p. 47 sq. Imo rediens jus antianitatis retinet.

b) In perpetuum. Subsistente gravi et justa causa exeundi e monasterio regularis illam Sedi Apost. per supplices preces exponere

poterit, quae causa si sufficiens judicetur a S. C. E. R., simulque ei orator exhibuerit, cum precibus, testimonium de constituto sacro patrimonio, et de Episcopo benevolo receptore invento, obtinebit indultum hujus tenoris: "Attentis informatione et voto P. Procuratoris Gen. Ordinis, nec non litt. testimonialibus Episcopi benevoli receptoris, benigne annuit eidem Epispo qui, constito de congruo patrimonio, vel de alia sufficienti sustentatione esse provisum, ipsi... licentiam concedere valeat manendi extra claustra habitu regulari dimisso quoad vixerit, absque ullo ejus ordinis onere; ita tamen, ut substantialia votorum, quatenus fieri poterit, observet; habitus religiosi memoriale signum intrinsecus deferat; ordinario loci subsit in vim quoque solemnis obedientiae voti. Constitutionibus, Ordinationibus Ap. caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus. Hoc autem decretum P. Provinciali, vel Generali notum illico reddendum, nisi infra sex menses (si intra Italiam), (sin vero ultra montes et maria) infra annum, fuerit executioni demandatum, nullius esto roboris". Cfr. Acta S. Sedis, t. 4, p. 388 sq.

Quicumque hoc modo saecularizatur, ut recte observat Bizzar. p. 720 in not. abscinditur in perpetuum a familia sua religiosa; ideoque illi praescribitur, si laicus sit, ut in habitu decenti, si ordinibus sacris initiatus ut in veste clericali incedat, retento interius aliquo signo sui habitus regularis.

Facta semel hujusmodi abruptione mutui vinculi inter Ordinem et professum, hic, ex una parte, amittit communionem privilegiorum et bonorum tum spiritualium cum temporalium sui Ordinis; aliunde vero non tenetur ulterius ad regulares observantias, puta ad jejunia etc... sui Ordinis, nisi forte non tam vi regulae quam ex voto peculiari ad id teneatur, ut Carthusiani, Minimi, etc... votum enim inhaeret personae, et sic opus erit ulterioris et specialis ad effectum dispensationis.

Manent tria vota cum suis obligationibus substantialibus, et ideo pariter manet status religiosus coram Ecclesia, unde recte concipies hujusmodi indultum ut dispensationem tantum a lege Conc. Later. IV jubente vitam communem. Igitur:

a) Quoad obligationes castitatis, sive laicus sit sive clericus, nil immutatur. Quod si laicus eo devenerit ut a voto suo solemni castitatis liberari vellet, per Ordinarium ad S. U. Inquisitionem recurrat oportet.

b) Quoad obedientiam solvitur quidem a subjectione respectu Superiorum Ordinis, sed omnino subditur Ordinario et quidem in vi voti solemnis, unde etiam ordinarius illi in virtute sanctae obedientiae praecipere potest.

c) Quoad paupertatem permittuntur illi actus civiles necessarii in ordine ad honestam sustentationem, non tamen mente proprietarii sed administratoris tantum. Ideo nihil sibi in proprietatem acquirit, nec per testamentum disponere de bonis quae mortis tempore forte actu detinet, sed de his disponet Sedes Ap. quod maxime attendendum est a haeredibus naturalibus qui citra licentiam Sedis Ap. ei in conscientia minime succedere possunt. Ob eandem substantialem paupertatis firmitatem saecularizatus nec haereditatem adire, nec beneficium ecclesiasticum — eo quod importet jus percipiendi fructus — assequi potest, nisi id expresse in indulto saecularizationis contineatur. Et si permittatur ei beneficii consecutio, id strictissimae est interpretationis, juxta tenorem indulti habilitationis, sub poena nullitatis, juxta decr. S. C. sup. discipl. Reg. 31 Jan. 1899, 21 Febr. 1899, vide Analect. Eccl. 1900, p. 300.

In reliquis saecularizatus plene subjicitur jurisdictioni Epi benevoli receptoris.

d) *Ad annum ... et interim*. Olim sedes Ap. oratori in sacris constituto non solebat concedere indultum perpetuae saecularizationis nisi una cum supplici libello attulisset testimonium comprobans se invenisse Episcopum benevolum receptorem et sacrum sibi patrimonium jam constituisse. Verum experientia docuit quam difficile sit religioso, quamdiu manet in claustro duplicem hanc conditionem praeviam purificare. Ideo S. C. E. R. induxit formulam saecularizationis "ad annum ... et interim" tamquam viam ad perpetuam. Et sane die 16 Aug. 1898 hic S. O. statuit atque decrevit "ut ipsis facultas tribueretur manendi extra claustra, habitu regulari dimisso, ad *annum* quo tempore s. patrimonium sibi constituerent, Epum benevolum receptorem invenirent, atque deinde pro saecularizatione perpetua iterum recurrerent, *et interim* sacra facientes, verbum Dni praedicantes, fidelibus populis pia conversatione prodesse valerent." vide Analect. eccles. 1899, p. 11. Quod si utramque conditionem infra annum adimplere non possunt, S. C. E. R. solet benigne indultum sub iisdem clausulis, ad ulteriorem annum prorogare. Dic igitur:

extra claustra vivere possunt quin suspensionem incurrant, et ab Episcopis cognosci, cumque placuerint, ad obeunda ministeria adhiberi possunt.

e) Saecularizatio ad modum expulsionis. Hic modus extraordinarius nonnunquam usu venit contra Regulares qui ex sua parte dyscolos et pervicaces se exhibent quin superiores contra eos, juris ordine servato, procedere valeant. Recurrentibus eo in casu superioribus ad S. C. haec P. Generali "attentis informatione et voto P. Procuratoris Gen. Ordinis, perpensisque peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus, benigne tribuit facultates necessarias et opportunas qui praefato Religioso licentiam concedere valeat manendi extra claustra, habitu religioso illico dimisso quoad vixerint per modum expulsionis, et absque ullo ordinis onere". Quicumque haec via ab ordine segregatur manet suspensus a divinis.

f) Saecularizatio collectiva ad nutum Sedis Ap. Iniquitas temporum et persecutiones quibus jam ultra saeculum regulares vexantur in multis regionibus aliud genus saecularizationis necessarium fecerunt, quae non jam ad instantiam ejusdam religiosi vel superioris conceditur, sed via auctoritativa, per indultum generale a Sede Ap. Regularibus violenter dispersis elargitur.

Et quidem si quaeras qua ratione Sedes Ap. consuluit Regularibus tempore perturbationis gallicanae saec. XVIII, et XIX ineunte, adeas Vermeersch op. cit. t. 2, qui principaliora collegit documenta: Litteras Pii VI ad Ep. Brunensem, die 12 Sep. 1782, l. c. p. 449; Facultates speciales ab eodem Pontifice factae antistitibus, 19 Mart. 1792, l. c. p. 450. Facultates concessae Epis Belgii, 8 Mart. 1803, l. c. p. 452, et ibidem Decretum Card. Caprara, 4 Jun. 1803, de conditione Regularium Galliae Reipubl.; Litteras Pii VII, 24 Jun. 1810, et declarat. ejusdem Pontificis 29 Jul. 1810, l. c. p. 477. Decretum 22 Aug. 1814, l. c. p. 484, item, 28 Nov. 1814, 1 Jul. 1816, l. c. p. 486.

Quibus omissis, juvat potius exponere quid recentioribus temporibus Sedes Ap. decrevit quoad Regulares dispersos, ut clare dignoscatur quo jure hodie vivant et regantur tot servi Christi Dñi e suis monasteriis iniquissime expulsi.

Hisce dispositionibus occasionem et ortum praebuerunt dirae calamitates quas Sedes Ap. perpessa est inde a medio saec. XIX, donec

20 Sept. 1870 funditus spoliata, absque ullo dominio temporali, ab omnibus derelicta est. Invasionem quippe et spoliationem patrimonii S. Petri e vestigio subsecuta est ordinum religiosorum suppressio et expilatio. Hinc, inde ab anno 1861, Pius IX S. C. Ep. R. mandavit, ut ad limitandos infaustos effectus dictae supressionis, benemeritis religiosis certam agendi normam praescriberet. Quare hic S. Ordo sub die, 15 Aug. 1861, epistola ad Superiores Gen. data, declaravit "Religiosos non gaudere libertate derelinquendi suos Ordines, neque superiores posse eos dimittere et ideo quilibet procurare debet in quantum potest, ut ibi permanere possit, et Superiores ut eos retineant, si scilicet Religiosi in aliquo monasterio, conventu, vel ordinis domo simul manere possunt. Si vero Religiosi vere expulsi sunt et unite remanere et in aliquod monasterium, conventum, vel domum superstitem se recipere non possunt, tunc recurrant quam quam primum ad hanc S. C. ad opportunam licentiam et convenientem instructionem obtinendam". Doc. vide ap. Vermeersch, t. 2, p. 456.

Verum, ut vides, dicta declaratio non multum remedii contulit, eo vel maxime quod spoliationes et expulsiones in dies ferme magis grassabantur. Ideoque instantibus apud Sedem Ap. multis Locorum Ordinariis et Superioribus Ordinum, Pius IX S. Poenitentiariae mandavit, ut ipsis communicaret declarationes et facultates quibus quantum in tanta temporum iniquitate fas est, malis ingruentibus occurri possit.

Emanarunt igitur a dicto S. Tribunali, die 28 Jun. 1866, percelebres "Instructiones" de religiosis dispersis Italiae, quae ad instar fundamenti substruuntur universae legislationi extraordinariae huc facienti. Documentum vide apud de Angelis lib. III, tit. 31, p. 169, vel apud Vermeersch, t. 2, p. 457. — Ad tollenda dubia inde enata processerunt ab eadem S. Poenit. ulteriores declarationes, sub die 18 April. 1867, ap. de Angelis l. c. p. 175, ap. Verm. 460, et iterum die 12 Sept. 1872, in collect. Act S. Sedis t. 7, p. 147, ap. Vermeersch, p. 463. Accesserunt denum varia S. Poenit. responsa, ut 24 Febr. 1873, 18 Jan. 1875, 21 Maji 1880, ap. Vermeersch l. c. p. 466–468. Huc facit etiam decisio S. Cgr. Ep. Reg. in una Neritonensi, 26 Mart. 1897, ap. Vermeersch, p. 477. — Insuper, ex sua parte, S. Congr. s. statum Regularium, referens se ad supramemoratas "Instructiones" tamquam ad fundamentum, varias edidit

litteras ad Sup. gen., variaque condidit decreta ab anno 1872-1876, quae documenta legas ap. Vermeersch, p. 469-476.

Post violentam dispersionem Religiosorum in Gallia, anno 1880, Instructiones et dispositiones S. Paenitentiariae per organum et decretum S. C. Ep. R. 30 Jul. 1881 ad Regulares et ad alumnos Institutorum expulsos extensae fuerunt. Vide docum. ap. Vermeersch, p. 453 — Ad eamdem communicationem, quae caeteroquin Superioribus Reg. ex professo facta est, alludit Leo XIII in sua epist. ad superiores ordinum et Instit., die 29 Jun. 1901, ap. Vermeersch, p. 231, n. 5 — Congregationibus gallicis virorum et mulierum datae sunt a S. Cgr. E. R. peculiares instructiones et facultates "ad annum", ideoque renovandae, 24 Mart. 1903; vide Analect. eccl. 1903, p. 166, sq. Quae ad verbum fere conveniunt cum Instruct. S. Poenit. an. 1866.

Ecce tibi brevem analysim horum documentorum prout viros respiciunt.

Doc. A. Instructiones 28 Jun. 1866. — De speciali et expressa Ap. Auctoritate, Ordinariis Locorum et Superioribus General. cujuscumque ordinis etc., cui suppressionis lex indicta fuerit, sequentes communicat declarationes et concedit facultates quibus, cum suis respectivis subditis, uti licite ac libere valeant.

a) Quoad bona immobilia. 1) Monasteria non esse relinquenda nisi adsit coactio et proximum periculum violentiae, praemissa, prout expedire videatur, protestatione, n. 1.

2) Ad evitanda gravia damna, tolerari, ut, cogente gubernio, — dummodo praemittatur protestatio declarans se nolle cooperari pravis gubernii intentionibus, et soli coactioni cedere — regulares conficiant inventaria rerum monasterii eaque subscribant. n. 4.

3) Bona propriae Religionis, Congreg. etc. a gubernio occupata ad utilitatem ordinis in administrationem suscipere et etiam conducere valent, modo absit scandalum, n. 9.

4) Bona proprii Ordinis, Congreg. etc. a gubernio usurpatis, adhibitis cautelis necessariis, per quascumque personas interpositas acquirere possunt, remoto scandalo. n. 10.

b) quoad personas. 1) Curandum ut regulares expulsi in alias conventus collocentur. n. 5.

2) Quod si id fieri nequeat Superior. Gen. Ap. Auctoritate eis.

dem indulgere poterit, ut valeant manere extra claustra sub obedientia Ordinarii loci tamquam saecularizati ad tempus, ad nutum Sedis Ap. et ipsius Superioris Gen.: si fieri possit, in habitu, secus in habitu presbyteri saecularis quoad sacerdotes; in habitu laicali modesti coloris quoad conversos, retento interius aliquo signo habitus religiosi; servatis quantum fieri potest substantialibus votorum ac relaxatis regulis quae cum novo eorum statu non fuerint compatibiles. n. 7.

c) Quoad expulsorum sustentationem. 1) Titulo compensationis accipere possunt pensiones a gubernio assignatas, quas tamen, quamdiu una cum aliis vitam communem agere possunt, apud superiorem pro necessitatibus communitatis deponant. n. 3.

2) Inter se partiri possunt pecunias communes si quae adsint, et suppellectiles et res usu consumptibiles, ita ut redientes ad claustra, quidquid nondum consumptum fuerit, superiori restituant.

Doc. B. Declaratio "Instructionum" 18 April 1867.

a) Quoad obedientiam. 1) Curandum ut Regulares expulsi, maxime clerici professi, si in aliud coenobium recipi nequeunt, in peculiarem domum a Superioribus designandam conveniant, suam regulam pro posse ibi servaturi, facta cuique, absque debita licentia, discedendi prohibitione. n. 1. Porro juxta decretum cit. S. C. c. st. Reg. 5 Aug 1872, quicumque a superiore in talem domum vocatus venire renuerit eo ipso amittit exemptionem et alia privilegia sibi a Sede Ap. quoquomodo concessa

2) Qui vero in praefatas domos recipi nequeunt et extra claustra tamquam saecularizati ad tempus vivere coguntur, manent sub jurisdictione sui Praelati regularis — si extra propriam provinciam sedem fixerint, sub jurisdictione Provincialis illius territorii, decr. S. C. s. st. R., 5 Aug. 1872 — quoad disciplinam regularem et quoad obligationes quae ex professione dimanant. Quoad politiam vero et disciplinam ecclesiasticam manent sub jurisdictione ordinarii loci commorationis suae. n. 2. Ne vero vagare per mundum praesumant, S. C. s. St. R., cit. decr. 5 Aug. 1872 statuit: ut quisque Regularis infra sex menses post publicationem decreti in certa aliqua dioecesi, de consensu ordinarii, sedem suam ponat, a qua amplius non discedat, nisi ex causa approbata in scriptis, tum ab Ordinario, tum a suo superiore secus suspensus ad beneplacitum S. C. existat.

b) Quoad privilegia et bona spiritualia. 1) Exemptio: hae do-

mus, modo ibi degant 3 Regulares quorum unus sacerdos subjiciuntur jurisdictioni Provincialis, et per specialem reguntur superiorem. n. 3. cfr. causam Neritonen. 26 Mart. 1897. ap. Verm. t. 2, p. 477.

2) Oratorium et SS. Euch.: Quoties in iisdem domibus 4 degunt sacerdotes, Provincialis, positis ponendis, privatum oratorium erigere poterit, in quo Missam celebrent SS. Eucharistiam asservent, et familiares praecepto de audienda Missa satisfacere valeant, n. 4. in iisdem oratoriis fruuntur omnibus indulgentiis suis ecclesiis concessis. n. 5.

3) Privilegia benedicendi ordini propria integra manent. Item indulgentiae personales. n. 6.

4) Usus ordinum, et Liturgia. — Non obstante defectu tituli suos ordines exercere missamque celebrare possunt — Omnes, sive in domibus, sive in dispersione vivant, calendarium sui ordinis retinent, et in propriis ecclesiis vel domibus, omnes juxta ritum ordinis sui celebrabunt. n. 10.

5) Approbati ab Ordinario loci ad audiendas confessiones, nonobstante suppressione, in eo munere perseverare possunt, quamdiu approbatio nec expirata nec revocata fuerit. n. 11.

6) Confessarium legitimum habent omnes expulsi quemcumque proprii ordinis sacerdotem legitime a suo Praelato ad effectum approbatum. n. 13. Imo Superiores Gen. et Provinc. suis subditis, durante dispersione, indulgere possunt ut confiteantur apud quemcumque sacerdotem Regularem vel saecularem ab ordinario loci approbatum, qui confessor etiam a reservatis in ordine absolvere, et super irregularitate occulta ex violatione censurae proveniente in foro conscientiae, dispensare poterit. n. 12.

7) Ordinationes. Clerici solemniter professi, etiam nunc, titulo paupertatis, aut alio titulo proprii Instituti, ad sacros Ordines promoveri possunt ab ordinario loci, vel cum hujus litteris dimissoriis et assensu superiorum etiam ab alio "et in ordine adepto ministrare."

8) Adeptio beneficii. Ad nutum Episcopi et de assensu superiorum beneficium simplex vel curatum administrare possunt, quod tamen dimittere tenentur tenentur statim ac a superioribus ad claustra revocati fuerint. n. 16.

c) quoad paupertatem. 1) Nonobstante solemni voto paupertatis superiores Generales per se — vel per Provinciales subdelegatos, Resp.

S. Poenit. 18 Jan. 1875 ad 2, ap. Vermeersch, p. 468. — Regularibus sibi subditis indulgere poterunt ut bona sibi legitime spectantia, atque etiam hereditates, salvo tamen jure tertii quaesito, recipere, adire, ac retinere, deque iis nedum contractus inire, sed etiam in pios honestosque usus ac praesertim in favorem sui ordinis, per actus sive inter vivos, sive causa mortis disponere valeant, accedente ipsius Ordinarii, vel Superioris Gen. sive ejus subdelegati, aut saltem, in casu necessitatis, confessarii approbatione. n. 17.

2) De mandato Pii IX per organ. S. C. s. st. Reg., 4 Sept. 1876, ap. Verm. p. 474. Superiores dum indulgent regularibus facultatem disponendi de bonis, ut supra acquisitis, mortis causa, seu per testamentum, eos moneant: a) ut ex majori parte, dispositionibus suis, proprio Ordini consulant; b) ut curas et cautelas adhibeant quatenus pars ordini conscripta illico post mortem tradatur superiori ad quem spectat. Is eam ita servabit ut pateat Provinciali, qui ea utetur juxta manda Patris Generalis. c) Quidquid ex bonis Religionis habuerint, eidem Religioni relinquere teneantur.

3) Quicumque vi indulti, modo sub n. 1. allegati, legitime bona acquisiverit, tenetur, quamdiu in communitate vixerit, horum bonorum et redituum administrationem eidem communitati tradere. Si pecunias acquisiverit, poterit eas, de licentia superiorum quae substantialis est S. Poenit. 18 Jan. 1875, in honesto et licito investimento, etiam nomine proprio, collocare; titulos tamen et redditus pecuniae collocatae communitati tradat, neque de illis ullo modo sine licentia superiorum disponere valebit. Superiores pecunias etc. sic depositas minime consumere possunt, tenentur e contra eas caute servare pro quocumque novae dispersionis casu, solum de redditibus pecuniarum uti possunt pro sustentatione communitatis quamdiu Religiosus deponens in eo vixerit. Resp. S. Poenit. 24 Febr. 1873. ap. Verm. p. 467.

Nota. si communitas ipsa canonice possidere nequeat vg. Fratrum Minorum, Fr. Capucinorum, tunc administrationem bonorum, titulos, redditus, de more, alicui tertiae personae committat Regularis. n. 17. 18. Adde resp. S. Poenit. 18 Jan. 1875 ad 3um et 20 Maj. 1880. ap. Vermeersch, l. c. p. 462.

4) Quod si Religiosus ad procuranda sibi post mortem suffragia, quae aliis temporibus a propriis fratribus obtinuisset, summam pecuniae seponere velit, hanc ipsam proprio superiori tradat oportet,

qui eandem Provinciali dabit, ea lege ut piae testantis voluntati accurate satisfiat. S.C.s.st.Reg., 4 Sept. 1876, n.4.

Notabilis est conclusio hujus documenti qua S.Poenit. declarat: "praemissa censenda esse concessa sine ullo praejudicio cujuscumque generalis seu specialis indulti alicui Ordini seu personae a S. Sede impertiti." Qui igitur uberiori facultate potiuntur, caute utentur.

Doc. C. Responsum S.Poenit. 12 Sept. 1872 – et decisio causae Neritonen. 1894.

Utroque hoc documento, ap. Vermeersch, l. c. p. 463, 477, S.Poenitentiaria maxime vindicat perfectam exemptionem parvarum domorum in quibus tres saltem degunt Religiosi dispersi, quorum unus sit sacerdos.

Art. III. De egredientibus transeundo ad aliam Religionem.

I. Professione sua Religiosus vovit Deo observantiam consiliorum non qualemcumque, sed juxta rationem et mensuram Ordinis quem ingressus est, eaque insimul semetipsum huic Ordini in perpetuum tradidit. Transeundo porro ad aliam Religionem, tametsi vota sua substantialiter retinet, eorum tamen mensuram quadantenus mutat, vinculum praeterea, quo tali Ordini ut membrum politicum consociebatur, abrumpit, alteri Religioni se tradens. Ob duplicem hanc innovationem, transitus Regularium ab una ad aliam Religionem in jure odiosus est. cfr. Regul. S. Benedict. c. 61; c. 1. 2. C. XIX, q. 3; cap. 5. de Regul. III, 31. Quandoque tamen non desunt causae graves transitum suadentes. Cfr. S. Thom. II, II. 189, VIII, ideoque sub certis cautelis a jure conceditur.

II. Variae disciplinae. a) Jure Decretalium transitus concedebatur modo Regularis haberet justam causam, ita ut non temere transiret, cap. 5 de Regul., et accederet licentia superioris cap. 7. eod. tit. Imo cap. Licet 18 cit. tit. statuit: Regularem ex studio arctioris vitae ad Religionem strictiorem transire posse, petita sane, licet non obtenta licentia sui Praelati, tametsi Ordo e quo transit gaudet privilegio apostolico ne quis ex ipso ad alium utut strictiorem, eo invito, transire valeat. Quia tale privilegium eo fine tantum concessum censetur, ne quis ex temeritate vel levitate etc. transvolaret.

β) Jure Tridentino 1) Statutum est sess. XXV de ref. c. 19 in f.: ut nemo, cujuscumque facultatis vigore, transferatur ad laxiorem Religionem — Juxta DD. et stylum S. C. Ep. Reg. perfectior et minus perfecta, sive strictior et laxior Religio attenditur in hac materia non praecipue ratione sublimitatis proprii finis singularum, sed potius juxta rigorem et asperitatem corporalium observantiarum, prout hodie et actu in usu sunt. Arctior omnium reputatur Ordo Carthusianorum, deinde Trappensium.

2) Adrescandas occasiones vagandi extra claustrum et consequenter apostatandi, statutum est, sess. XIV de ref. cap. 11, ut nullus superior, vigore cujusvis facultatis translatum, ad professionem admittere valeat, nisi ut in Ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui superioris obedientia in claustro perpetuo maneat, ac taliter translatus, etiamsi Canonicorum Regul. fuerit, ad beneficia saecularia, etiam curata incapax existat. — Attendenda est const. Quaecumque, 14 Oct. 1569, qua S. Pius V omnia privilegia contra tenorem hujus cap. etiam per constitutiones Apost. concessa cassavit, omnem aliter factam receptionem irritam edixit, retentionem translati prohibuit sub poena in recipientes et retinentes amissionis dignitatum etc. inhabilitatis ad eas pro futuro.

3) Hisce igitur conditionibus servatis, mansit utique facultas transeundi, ad tenorem cap. Licet, 18, de Regul. ex zelo virtutis ad Arctiorem Religionem, petita, licet non obtenta licentia Praelati. Verum ex una parte, ut assolet, universi fere Ordines petierunt atque obtinuerunt dispensationem super cit. cap. ita ut, solo transitu ad Carthusiam excepto, pro quocumque alio requireretur jam consensus formalis et expressus superioris a quo. Ex altera vero parte Urb. VIII const. S. Congr. § 3, 21 sept. 1624 ap. Richter, Conc. Trid. p. 433, hanc ipsam facultatem duplici cautela restrinxit, praecipiens quibuscumque superioribus Regul., ne religioso sibi subdito facultatem concedant transeundi ad aliam Religionem, licet arctiorem, nisi prius eis constiterit: a) Religionem ad quam transferendus est, paratam esse eum recipere, et tum b) recta via transferatur sub poena in eosdem superiores privationis officiorum, vocis activae et passivae et inhabilitatis ad talia cujus dispensatio Ro. Pontifici reservatur; decernens insuper irritum et inane etc.

III. Praxis hodierna habet ut viri religiosi qui a laxiori ad

strictiorem Religionem transire cupiunt, rationes suas coram Poenitentiario majori, vel coram S. Congr. Ep. et Reg. deducant et probent, quo praestito, indulgetur facultas et in ipso rescripto fit derogatio super consensu superioris a quo. — facultates Card. maj. Poenitentiarii hoc in re enumerantur in Const. "Pastor bonus", Bened. XIV, 13 Apr. 1744, n. 34, 35, vide docum. apud Giraldi, Expositio Juris Pont., t. II, ad calcem.

IV. Positio juridica Regularis qui transivit. 1) Novitiatum formalem repetere debet ad tenorem cap. 16, sess. XXV de reg. Conc. Trid., ita etiam innumerae resp. S. C. Ep. Reg., S. C. C.

2) Eo legitime expleto professionem iterare debet. S. C. E. R. 11 Nov. 1836, Analect. Jur. Pont. t. 17, p. 89, et pluries. — Nomine professionis, procul dubio intelligitur solemnis. Unde non immerito quaeres, utrum tali professioni praemittenda sit professio simplex triennii, juxta leges Pii IX. Et quidem in rigore juris censeo respondendum affirmative, licet quidam superiores, autument legi Pianae factum esse satis per primum triennium in antiqua Religione emissum, quos redarguit Nervegna, de Jure pract. Regul. p. 213.

3) Quod si quacumque de causa ad professionem non pervenerit ad primaevum Ordinem redire tenetur, a quo recipiendus est sine novitiatus aut professionis iteratione, imo jura antianitatis servantur revertenti, ita de jure communi, sed attendendae uniuscujusque Ordinis constitutiones a Sede Ap. approbatae.

4) Nullus transiens curam animarum per se, vel per alios exercere, aut ad beneficia saecularia promoveri potest.

5) Vocem nullam habet, excepta sola causa correctionis et disciplinae regularis pro quae utique sedem et vocem retinet in capitulo.

6) Mendicans, utut legitime transiens ad non mendicantes, inhabilis fit insuper ad prioratus, administrationes et officia (praedicatio, lectio) quaecumque, etiam tanquam locum-tenens. Vide tamen allegat. Barbosae in Trid. XIV, ref. cap. 11, n. 4, negantis hanc sequelam si mendicans transierit ad Carthusianos.

7) Quicumque in Religione e qua transivit emiserat votum de non ambienda praelatura ut fit apud Fr. discal. S. Aug., Fr. Carmel. excalc., Clericos Minist. Infirm. Societatem Jesu, a dicto voto per transitum non absolvitur, ejus dispensatio pertinet priva-

tive ad S. Apost. ex Const. Urb. VIII "Honorum" 24 Febr. 1643.

8) Bona quae Religioso solemniter professo ante transitum obvenerant, remanent in ditione primaevae Religionis; quae illi post transitum obvenirent pertinebunt ad ordinem in quo nunc degit. Sicubi peculiares incidant difficultates quoad hanc bonorum adscriptionem S. C. Ep. R. facillime concedit ut Superiores utriusque Ordinis, de intelligentia et consensu Assistentium generalium, rem inter se componant.

Scholion I. De transitu monialium. — Quae hucusque exposuimus respiciunt viros solemniter professos, et sane, proportione servata, intelligenda forent etiam de monialibus eadem ratione professis, nisi quod S. Pius V const. "Decori", 1 Febr. 1569 sub gravissima censura illis prohibuit omnem egressum e claustro, citra casum leprae, epidemiae et incendii, sicque evanuit omnis spes transitus e jure communi. — Recurrant igitur data necessitate ad sedem Ap. — Pro monasteriis ultra montes existentibus, subsistente causa legitima, Cardinalis Poenitentiarius Major, id indulgere potest vigore Const. "Pastor bonus" sup. cit. n. 36. — Monialis transiens dotem, quae ob professionem solemnem monasterio incorporata fuit, secum asportare non poterit.

Scholion II. De transitu alumnorum Instituti juris Pontificii. Stylo suo quem demum Normae publice probarunt, n. 61, S. C. Ep. Reg. induxit, ut sine dispensatione Sedis Ap., admitti non possint in Institutum "qui in alio Instituto vota perpetua, sive etiam temporaria emiserunt, iis perdurantibus". Id tamen intelligendum de liceitate tantum. Nec, ut videtur, qui ex uno in aliud Institutum sacerdotale transmigrat imminutionem capitis circa ministeria obeunda, de qua supra, incurrit. Qua ratione bona dividenda sint per se patet, et dos transeunti sorori semper restituenda erit. Normae 95.

Scholion III. In Societate Jesu.

1) Nemo ex Societate, sub poena excommunicationis, vel ad Carthusianos transire potest sive extra, sive intra Europam nisi de speciali et expressa licentia Praep. Generalis. Greg. XIII, const. "Decet Rum Pontificem," 1 Nov. 1579, juncto privilegio Patribus Carmelitis discalc. a Paulo V, 15 Mart. 1616, concesso. Cfr. Comp. Priv. n. 529, 530.

2) Ex litt. Greg. XIII "Exponi nobis", 13 Oct. 1584, quicumque a Praeposito Gen. licentiam accepit transeundi ad Carthusianos, si intra trimestre

utile ingressus non fuerit, aut non receptus, aut non perseveraverit, tenetur sub poena excomm. latae sent. redire ad societatem, nec ei amplius licet respectu Carthusiae, a Societate, sine Praepositi Gen. licentia, recedere. cfr. C. Pr. n. 536.

3) Tandem notabilissima est facultas Praeposito Gen. a Greg. XIII facta, const. "Cum alias", 22 Sept. 1582, vi cujus de consensu Superiorum loci quo mittit, valide dimittere potest ad quemcumque alium Ordinem Mendicantium vel non Mendicantium, paris, laxioris, aut strictioris observantiae. Privilegium ex tenore cit. Const. incommunicabile. Juxta P. Oswald, Comment. n 82 in nota, Praepositus Gen. utitur legitime hoc jure *etiamsi religiosus non deliquerit* !! Sententiam adeo abnormem profecto non evincit ratio a cit. auctore allata, dum ait: datum privilegium ut societas se ab hominibus *sua culpa* inutilibus liberet. Cfr. Suarez de Relig. Soc. J. lib. XI, c. 2.

Art. IV. De egrediente per promotionem ad Episcopatum.

I) Procul dubio Regulares *per se* convenientissime ad statum Episcopalem promoveri possunt: ii maxime qui eximia doctrina simul ac diuturno zeli animarum exercitio fulgent. Afferunt tamen hujusmodi promotiones etiam sua incommoda, et quidem primo Religioni quae viris eximiis privatur, dein ipsi Religioso quem e portu salutis tutissimo quadamtenus extrahunt et in mare procellosum scapulis honorum atque curarum plenum exponunt. Ideoque mirum non est plurimas Religiones, voto peculiari, sibi funditus amputasse omnem spem talis promotionis, aut tot sanctos Religiosos talem dignitatem maxime declinasse.

II. Cum juxta cap. 27, de Elect. in VI, religiosus velle vel nolle non habeat, in talem promotionem suo arbitrio consentire nequit, sed indiget ad effectum licentia competentis superioris.

Et hic quidem distinctione opus est: — Regularis qui emisit votum de non acceptando Episcopatu, nisi ab illo intimetur qui eum sub peccato obligare potest, ex solo mandato R. Pontificis acceptare valet. — Qui vero tale votum non emisit et *motu proprio* R. Pontificis promovetur, *juridice* non indiget consensu cujuscumque sui ordinis Praelati, quippe cum superior minor majoris

provisiones irritas reddere nequit. — In omni alio casu religiosus, sive agatur de sui electione, sive de sui postulatione aut praesentatione semper indiget licentia illius sui Ordinis Praelati qui juxta constitutiones eam dare valeat, qui regulariter est ille superior qui in ordine alium sibi superiorem non agnoscit quocumque nomine designetur, ita ad mentem cap. 2, sess. XXII de ref. juncta interpretatione Greg. XIV const. "Onus apostolicae" § 9, Bull. Rom. V.[1], 270. Vide cap. 27, de Elect. in VI, cap. 8 de Elect. in Clem.

III. Benedict. XIII, Const. "Postulat humilitati", § 5, Bull. R. t. XI[2], 379, innovans et moderans constitutiones anteriores Alex. IV, Clem. IV, prohibuit ne Regulares ad Episcopatum promoti "secum asportare, propriisque usibus applicare audeant libros.... exceptis dumtaxat scriptis, propriis indumentis et breviario."

IV. Quoad positionem canonicam taliter promoti dicendum est:

1º Vota religiosa utpote factum personale, ambulare cum persona, ideoque in suo robore permanere, cum eo sane temperamento quod novus ejus status requirit. — Sic, cum superiorem in ordine amplius nullum habet, vi voti obedientiae subjicitur Rº Pontifici. — Quoad paupertatis observantiam nihil sibi acquirere, vel etiam possidere potest titulo proprietatis. Sed quidquid acquirit, si Epus residentialis creatus sit, Ecclesiae suae i. e. mensae episcopali acquirit, si vero mere titularis sit ut frequentissime in locis missionum contingit, tunc bona quae sibi obveniunt in usus pios convertere tenetur. Demum uterque, residentialis et titularis episcopus fruitur potestate disponendi de dictis bonis ad congruam et honestam sustentationem. — De castitate, ut liquet, nil est dicendum.

2) Obligationes Regulae quae in ordine sub culpa injunguntur manere pariter, prout cum novo statu compatibiles sunt, cujus compatibilitatis ipse judex manet. Sic enim S. C. Ep. Reg. authentice definivit antiquam litem DD. in hac materia. Nonnulli enim nisi constatutum 1. q. 1. c. 18 sentiebant regularem Episcopum "a jugo regularis professionis absolutum", ita ut ad observantias nullo modo teneretur; alii, ut S. Alph. lib. IV. dub. 1, q. 2, autumabant illum teneri solum ex honestatis debito, quod debitum ne sub levi quidem obligaret;

alii tandem, post Const. Benedicti XIII "Custodes" (quae habetur in Bullar. Praedic. VI, 582, quaeque S. Alphonsum fugisse videtur), tenebant cum adnotatore Ferraris: non servantem hujusmodi observantias admittere peccatum mortale et simul incurrere ipso facto juxta verba expressa Bened. XIII suspensionem Ap. Sedi reservatam (quod utique minime verum erat inde a Const. "Apost. Sedis", quippe cum non agatur de interno regimine Regularium). — In hoc ergo DD. dissensu S. C. Ep. Reg., 6 Maj. 1864, declaravit (apud Bizzar. p. 719): "Episcopus regularis tenetur observare regulas suae Religionis quae materiam voti paupertatis determinant; item tenetur alias regulas et observantias Dignitati et officio episcopali non repugnantes eadem obligatione gravi vel levi observare qua tenebatur antequam assequeretur dignitatem Epalem, ita tamen, ut in peculiaribus casibus prudenter judicium ferre possit utrum cum Dignitate et officio episcopali illae conveniant."

3) Episcopus Regularis, cui abdicare permissum fuerit, ex quocunque sit Instituto, etiam specialissima mentione digno, claustra suae Religionis repetere tenetur nisi forte a S. Apostolica expressam in saeculo vivendi facultatem obtinuerit; potest tamen intra fines suae Provinciae eligere monasterium suae commorationis, ibique Superiores ei congruas et honestas cellulas assignabunt. Ita Bened. XIII. cit. const. "Custodes". Cfr. tamen quae edixit S. C. C. die 25 Sept. 1858 in An. Jur. Pont. IV. 1619. — Tandem renunciantes incapaces sunt officiorum ordinis, ita Paulus IV Const. "In Sacra" § 2, Bull. R. IV¹; 363.

4) In Soc. J. talis Epus in congregationibus nec vocem activam nec passivam obtinet, etiamsi Superior Missionariorum fuerit. Cgr. XXII. d. 40. Cfr. ibid. d. 2 — Qui ante ultima vota ad Epatum evehitur, sive fiat ordinarius loci, sive titularis tum. Epus cum Vicariatu Apostolico etc. "durante munere" nec ad Professionem nec ad gradum coadjutorum formatorum admittitur.

Art. V. De ejectis et dimissis.

Tametsi sensu vulgari verba ejectionis et dimissionis promiscue adhiberi solent, sensu juridico, minime sunt synonyma.

Et sane ejectio, ut recte observat Wernz Jus decretal. t. 3. p. 751, est actus quo professus alicujus Ordinis vel Instituti ob culpam gravem, externam, publicam cum incorrigibilitate conjunctam a competenti superiore, servata forma judiciali, e familia religiosa expellitur, ad tramitem decret. Urb. VIII "Sacra Congr." 21 Sept 1624, Innoc. XII "Instantibus procuratoribus", 24 Jul. 1694. – vide utrumque doc. apud Richter, p. 432, n. 21, vel juxta decret. Leonis XIII "Auctis admodum" 4 Nov. 1892.

Dimissio vero, stricte sensu, est actus quo regulariter tantum professus votorum simplicium triennii in ordinibus, vel votis temporaneis in Instituto ligatus, ob graves et justas causas, forte nec culpam, multoque minus incorrigibilitatem involventes, absque forma judiciali, sola facti veritate inspecta, a competenti superiore a communi corpore separatur.

Punct. I. De Ejectis.

§ I. De iis qui ex Ordinibus post solemnem professionem ejiciuntur.

Et quidem ante omnia dubitari posset, utrum liceat vraim ejicere alumnum solemniter professum, eo quod vi traditionis inter ipsum et Ordinem existat contractus mutuus et perpetuus, sicut igitur religiosus religionem derelinquere nequit, ita nec religio videtur posse ejicere professum.

Verum Innoc. XII, cit. decr. n. 1, sententiam, hanc potestatem Ordinibus asserentem, declaravit "sacris canonibus et communiori SS. Patrum menti conformem". Multorum Patrum testimonia affert Bened. XIV, de Syn. lib. XIII, cap. 11, n. 15 sq., sufficit autem allegasse duos Patres quorum alter universo Orienti, alter universo Occidenti monachalem legislationem indixit sel. S. Basilium c. 28 inter regul. fus. tract. P. Gr. t. 31, c. 988 et S. Benedict. in Regul. c. 28, P. L. t. 66, c. 519 sq. ubi ambo, post alia frustra a Superiore adhibita, hoc ultimum denum remedium ejectionis indicant idque tq. legitimum vindicant non modo e. S. Litteris sed ex ipso jure naturali quo pollet omnis organismus et omnis societas amputandi membrum putre quo totum corpus in discrimen vocatur.

Cur autem et qua ratione sententia potestatem ejiciendi Ordinibus vindicans sit sacris canonibus conformis, id patet legenti cap. 7 Relatum, ne clerici vel monachi III, 50, cap. 10, cum in, de M. et O. I, 53; cap. 6. Cum ad, cap. 8. Ea quae, De statu monach. III, 35. Hinc:

1º Decluso privilegio speciali quo Ordo gaudeat, vel indulto peculiari ad effectum, Religiosi solemniter professi sive clerici, sive laici, nonnisi stricte dicta ejectione a Religione expelli possunt, et quidem ad tramitem cit. decr. Urb. VIII et Innoc. XII, juxta quae:

2º Ejici non potest nisi incorrigibilis. Porro incorrigibilis sensu juridico habetur religiosus reus gravis, scandalosi aut Religionem infamantis criminis, puta: furti, homicidii, formalis inobedientiae etc. in quo crimine fuerit deprehensus, vel de eo manifeste convictus, ita ut sit publicum. Insuper cum incorrigibilitas non verificetur nisi cum contumacia sit conjuncta, multi DD. tenent, non unicum tantum requiri delictum, sed plura ejusdem vel diversae speciei; id alii quidem concedunt modo etiam "unicum" non adeo sit enorme, ut morali necessitate, ob enatum scandalum, ejectionem postulet. — Denum ex dispositione decreti Urb. VIII cit., § 8, ad constituendam incorrigibilitatem ad effectum, requirebatur praeterea absolute, ut sic delinquens per integrum annum in carceribus provinciae jejuniis et aliis poenitentiis probatus fuerit, nec sic ejus pervicacia frangi potuerit. Quem annum, instantibus praenatoribus Ordinum, Innoc. XII ad sex menses reduxit, decr. sup. cit. n. 2. Cum autem hodie incarceratio privata auctoritate facta ob legislationem civilem sit impossibilis, S. Congr. sup. discipl. Regul., die 22 Jan. 1886, in causa PP. Capucin., declaravit: "recurrendum esse in singulis casibus ad ipsam, ut obtineantur normae processus summarii."

3) Solemnitates observandae in ipso actu ejiciendi religiosum incorrigibilem enumerantur in cit. decr. Urb. VIII, § 6, 7, juncto moderamine ab Innoc. XII inducto: scilicet:

a) Juxta disp. Urb. VIII potestas ejiciendi pertinet ad solum superiorem generalem et quidem de consilio et assensu sex Patrum ex gravioribus ad hoc munus in singulis capitulis generalibus

eligendis. Innoc. XII hanc facultatem extendit ad ipsos Provinciales sub iisdem cautelis i. e. de consilio et assensu sex Patrum in capitulo provinciali ad hoc munus electorum et accedente approbatione generalis n. 3.

b) Coram enumeratis judicibus processus formalis institui, et causa expulsionis scl. incorrigibilitas ad sacrorum canonum praescriptionem plene probari debet. Quae verba Innoc. sic declaravit n. 4 " in posterum processus conficiatur juxta regulas, constitutiones, ordinationes et stylum cujusque Ordinis et Religionis donec aliter a S. C. fuerit provisum".

c) Sententia ejectionis ferri nequit nisi ex suffragio majoris partis illorum sex Patrum. S. C. C., 21 Jun. 1653.

d) Generalis illico expulsionis sententiam ordinario loci significare tenetur. decr. Urb. § 7.

e) Salva manet semper ejecto facultas appellandi a sententia ad Sedem Ap., decr. Innoc. n. 3, ipsaque appellatio suspensiva quidem est, sed religiosus appellans in carcere formali sua jura experiri debet.

Observa: S. C. C. 1624 declaravit decr. Urbani VIII non obligare Patres Societatis Jesu.

4) De positione canonica ejecti.

1) Tenetur ad vota substantialia religionis, haec enim sola dispensatione, quae minime in potestate est religionis ejicientis, cessare possunt. Hinc.

a) ad castitatem tenetur perinde ac ante ejectionem. Quod si contingeret eum, non obstante sua incapacitate, attentare matrimonium eo ipso subjacerent, tum ipse, tum persona qua cum contrahere praesumeret, excommunicationi latae sent. Epo reservatae. Constit. Apost. sed n. 34, vide tamen Hollweck, die kirchlich. Strafgesetz. in hunc art. p. 300, qui recte exponit verbum "praesumeret", i. e. stante cognitione censurae.

b) ratione voti obedientiae manet ex una parte subjectus suo Praelato regulari qui eum ob crimina determinata in jure excommunicare, ejectum insuper revocare potest sic, ut in vi voti, parere debeat; ex altera parte subjicitur simul — et quidem sec. veriorem sententiam in vi voti — Episcopo loci in iis omnibus in quibus Episcopo subduntur clerici saeculares. Cfr. decr. Urb.

§ 7 "Ordinarii loci jurisdictioni et obedientiae subsint."

c) Ratione paupertatis manet incapax acquirendi sibi dominium, ideoque nec acquisita testamento transferre potest, juxta constit. Greg. XIII "Officii nostri", § 3, Bull. R. IV³ p. 330. Taliter acquisita spectarent ad Cameram apost. Recte tamen observat Ferrari v. Ejecti " acquirit tamen usum facti et jus disponendi de acquisitis prout ejus status exigit et ipse indiget quoad victum, vestitum, habitationem et vitae necessaria, quia hoc non est contra votum paupertatis.

2) Tenetur ad vota alia quae forte una cum professione emisit juxta constitutiones sui ordinis. Id quidem Urb. VIII, Const. "Cum sicut", c. 3, Bull. R. VI², p. 25, juridice declaravit tantum de voto non procurandi, vel non acceptandi aliquam dignitatem extra ordinem, sed eadem ratio valet de omnibus aliis. — Contra plures quos citat et deserit B. Piat, t. I, p. 222, cfr. tamen ibid. I, p. 287. quaer. 10.

3) Nec a Regulae observantiis liberatur nisi quia et quatenus extra consortium vitae communis observari non possunt, aut cum actuali statu incompossibiles sunt. Si enim ad Episcopatum promotus hac mensura ad eas tenetur, nulla ratio solida ejectum ab iis liberare potest.

4) Si vel ordinibus minoribus initiatus sit, tenetur in habitu clericali incedere, id ad minus jubet decr. Urb. § 7, utrum enim tenor hujus § comprehendat etiam laicos, controvertitur, et praxis potius sent. negant favet. Quem habitum si deponat cum animo eum ulterius non assumendi sed laicaliter vivendi, profecto fieret apostata, ipsoque facto incurreret excomm. capitis 2. Ut periculosa, ne clerici vel monachi in VI.

5) Quamdiu degit extra Religionem perpetuo ab exercitio ordinum manet suspensus, suspensione Sedi Ap. reservata, decr. Urb. § 10, innovata in Const. Apost. Sedis. n. 5 inter susp.

6) Vi privilegii, quo vix non omnes gaudent ordines, interdicitur munere concionandi, docendi, confessiones audiendi irregularis tamen non evaderet haec munera exercens, ratio patet.

7) Alimenta a Religione sua nullo jure petere potest.

8) Qui ejectus est ob crimina quae sibi falso imposuit quamdiu fraudem non detegit verus est apostata ideoque excommuni.

catus: ratio est quia ejectio in casu non est voluntaria ex parte Religionis.

9) Jure naturali et obligatione religiosa in professione contracta ejectus tenetur se emendare, ita ut in Religionem admitti denuo possit. Imo ex decr. Urb. § 11, innovante cap. fin. de Regularibus, III, 31, ipsi superiores quamdiu certa spes affulget tenentur hanc emendationem procurare et consequenter emendatum admittere. Verum cum in praxi hujusmodi receptio fere locum habere nequeat sine scandalo innocentium, aut citra ordinis detrimentum, omnes ferme Religiones postulaverunt et obtinuerunt dispensationem ab utraque obligatione. Caeterum, ut monet P. Piat, t. I, p. 224, cum hodie in plerisque regionibus servari nequeant conditiones a SS. Pontif. quoad ejectionem praescriptas, et sic necessarius evaserit recursus ad S. Sedem, haec ad se advocavit hujusmodi causas, et ita ejectus, in suum ordinem redintegrari nequit absque S. Sedis licentia. S.C. sup. discipl. regul., 22 Jan. 1886, ad 2.

10) Demum ejectus qui quomodo cumque denuo admitteretur juxta cum DD. sent. non tenetur iterum profiteri; quid autem de caetero illi juris obveniat v.gr. utrum exercitationibus tyrocinii sit subjiciendus, quemnam ordinem et gradum inter fratres tenere possit etc. id e respectivis Ordinum constitutionibus hauriendum est.

§ II. De iis qui ex Institutis virorum ejiciuntur.

Universa legislatio hactenus exposita, ut ex tenore utriusque decreti manifestum est respiciebat unice solemniter professos iisque solis applicabatur usque ad diem 4 Nov. 1892. Tunc vero vi decreti "Auctis admodum" dispositiones decreti Urb. VIII et Innoc. XII impositae sunt "etiam Superioribus Institutorum votorum simplicium, quoties agitur de aliquo alumno vota simplicia quidem sed perpetua professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in sacris insuper Ordinibus constituto dimittendo, ita ut horum neminem et ipsi dimittere valeant, nisi ob culpam gravem externam et publicam et nisi culpabilis sit etiam incorrigibilis." Unde:

1) Ex Institutis virorum a) perpetuo professi, b) imo et temporaneis votis ligati, si simul in sacris ordinibus constituti sint, hodie nonnisi formali ejectione expelli possunt.

2) Solemnitates in tali ejectione servandae ita moderantur ut a lege civili moderna praepediri non possint perinde ac antiquae dispositiones Urb. VIII. Describuntur autem l. c. n. 3.

a) ejici nequit nisi culpabilis qui simul sit incorrigibilis.

b) Incorrigibilis nemo censeri potest quomodiu Superiores trina monitione et correctione, distinctis temporibus, et quidem incassum in eum animadverterint.

c) Cum constiterit de incorrigibilitate ut ad actum ejiciendi procedere valeant. Superiores debent processum contra delinquentem instruere, et processus resultantia eidem contestari.

d) Debent pariter accusato tempus congruum concedere quo suas defensiones sive per se, sive per alium ejusdem Instituti religiosum exhibere valeat. — Quod si ipse proprias defensiones non praesentaverit tribunal aliquem ex Instituto tanquam defensorem ex officio constituat oportet.

e) Tunc demum Superior cum suo consilio sententiam expulsionis pronunciare poterit.

f) Condemnatus a sententia superioris rite appellare poterit et quidem cum effectu suspensivo, ad S. C. Ep. et R.

g) Quoties ob graves causas hae solemnitates servari nequeant recurrendum erit ad S. C. Ep. R. ut ab ea obtineatur simul cum dispensatione a processu formali, facultas procedendi modo summario.

3) Taliter ejecti, si sint in sacris ordinibus constituti, ex eodem decr. n. 4 perpetuo suspensi manent, donec a S. Sede alio modo eis consulatur, ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint. Duae ultimae conditiones cumulative purificandae sunt, S. C. Ep. R. 20 Nov. 1825 et tunc tantum Sedes Apost. pro relaxatione suspensionis adiri poterit. Hac censura ii praecipue gravantur qui ad sacros ordines promoti sunt, vi indulti Instituto concessi dandi litteras dimissoriales suis alumnis, eosque proponendi ad subdiaconatum titulo mensae communis vel alio consimili. Qui enim ante ingressum in Institutum ordinati sunt subdiaconi,

diaconi etc. ii profecto habent Episcopum benevolum receptorem illum qui eos ordinavit tanquam Episcopus eorum proprius, nec magnam, in nostris saltem regionibus, difficultatem experientur ratione tituli ecclesiastici. Epus enim eos ordinavit aut ad titulum patrimonii, aut ad titulum necessitatis dioecesanae. Si prius, tunc titulus superevit ex eo quod religiosus voto paupertatis simplici proprietatem bonorum non amisit; si posterius, Episcopus nisi sibimetipsi contradicere velit, illi restituit aliquod munus ecclesiasticum in sua dioecesi, sicque redintegratum habebimus antiquum titulum quo fruebatur clericus ante suum in Institutum ingressum.

Punctum II. De Dimissis.

§ I. De iis qui ex Ordinibus virorum durante triennio votorum simplicium dimittuntur.

Cum Pius IX litt. encycl. "Neminem latet" 19 Mart. 1857 ordinibus virorum legem triennii indixisset, anno subsequenti, die 12 Jun. 1858, Apostolica auctoritate declaravit: "haec vota simplicia tametsi ex parte voventis perpetua sint, solvi tamen posse, non modo dispensatione apost., sed etiam ex parte ordinis in actu dimissionis professorum, ita ut data dimissione ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant." Bizzar. p. 850. Igitur:

1) Alumni Ordinum procul dubio durante triennio a Religione dimitti possunt.

2) Facultas eos dimittendi spectat ad Superiorem generalem cum suo consilio, qui cum eodem consilio pro longinquis regionibus dictam facultatem subdelegare poterit tribus probis atque prudentibus religiosis.

3) Ut ad actum dimittendi procedat non requiritur rigorosus processus, aut forma stricte judicialis, sed sufficit sola rei veritas perspecta i.e. causa manifeste justa atque rationabilis onerata graviter, hac ex parte, conscientia dimittentis.

4) Quod si quaeras quaenam causa ad effectum habenda sit tanquam justa ac rationabilis. — Pius IX cit. litt. negative tan-

tum declarat "nemo ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium supervenientis dimitti poterit". Die vero 7 Febr. 1862, idem Pontifex declaravit et omnibus ordinibus indixit "rejectionem (scil., ne profess. solemnem emittat) alicujus professi votorum simplicium a majori parte Patrum in consilio (generalitio), vel totius conventus in capitulo (locali), per suffragia secreto prolata, nulla alia intercedente inquisitione aut informatione non constituere legitimam et justam causam, nec fundare prudens judicium dimissionis." Bizzarri p. 862. — Alias, 19 Nov. 1886, S. C. Ep. R. non agnovit ut causam legitimam aversionem religiosi quod non habeat vel amiserit vocationem religiosam. Tandem ex stylo S. C. Ep. et Reg. authentice declarato "nemo dimitti potest nisi ob culpam gravem, vel ob graves defectus ex ordine morali."

d) Ipso actu legitimae dimissionis relaxantur omnia vincula votorum.

e) Novum decretum "Auctis admodum" hanc legislationem non abrogavit ideoque procul dubio etiam post 4 Nov. 1892 Superiores generales, servatis servandis, alumnos triennii nondum in sacris constitutos dimittere possunt.

f) Utrum autem professos in sacris constitutos adhuc dimittere valeant quin ad formalem ejectionem recurrant? Id quidem plures magis minusve aperte negant cfr. vgr. Wernz jus Decret. t. 3, p. 762, n. 11, sed ut videtur absque ullo fundamento in Decr. "Auctis" subsistente. Etenim a) Petitio Episcoporum Borussiae quae decreto originem dedit sola respiciebat Instituta votorum simplicium. b) Ipse Card. Praef. S. C. Ep. et Reg., die 16 Aug. 1893, authentice declaravit hujusmodi decretum regulares non respicere nisi Instituta votorum simplicium, ordines vero tantum per exceptionem, unde argumentum analogiae hic non procedit. c) Tota vis decreti "Auctis" quoad hanc ejectionis materiam duobus continetur punctis: Innovat scilicet quoad Ordines leges Urb. VIII et Innoc. XII, et eas ex nunc ad Instituta votorum simplicium extendit; de lege autem Piana, vi cujus Superiores ordinum Professos biennii dimittunt, ne verbum quidem facit, relinquit ergo illam immutatam. Atqui ante 4 Nov. 1892 Superiores Ordinum "<u>dimittebant</u>" sine discrimine alumnos

triennii, sive in sacris fuerint sive non. Ergo etiam hodie. d) Id idem ex mente legislatoris sequitur, hic enim volebat quaerelas Episcoporum Borussiae deferre, quaereta porro movebatur de iis qui in Institutis titulo privilegiato ad sacros ordines promoventur. Porro durante triennio nemo in ordinibus — modo societatem Jesu excipias — titulo privilegiato paupertatis etc. ad sacros ordines promoveri potest ideoque quicumque ibi in sacris ordinibus invenitur constitutus, is profecto a proprio suo Episcopo et cum titulo juris communis ante ingressum ordinatus fuerat. Contra tales autem Episcopi Borussiae quaerelam movere non potuissent quin seipsos ferirent, et proinde nec de iis locutus est S. Pontifex — Quaestio igitur moveri posset unice de scholasticis Soc. Jesu ad titulum paupertatis ordinatis; sed et de ipsis donec aliunde afferantur valida argumenta, retinenda est regula enunciata ab Em. Card. Praef. sub litt. b.

8) Hanc demum novitatem invexit cit. decret. "Auctis" n. 4: "Alumni votorum solemnium vel simplicium perpetuorum (tales profecto sunt professi triennii), vel temporalium, in sacris ordinibus constituti qui expulsi vel dimissi fuerint perpetuo suspensi manent donec a S. Sede alio modo eis consulatur ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint." — Nota: ex tenore hujus art. 4, corroboratur sententia sub n. 7. propugnata: agitur enim de ejectis vel dimissis qui sint in sacris. Atqui 1° ex Ordinibus solemniter professi tantum ejici possunt, 2° ex Institutis temporaliter professi in sacris et a fortiori perpetuo professi, pariter nonnisi ejectione expelli possunt. Quis ergo in sacris constitutus dimitti potest? Quis nisi alumnus triennii!

§ II. De dimissione ex Institutis virorum a S. Apost. approbatis

1) Ob gravem et justam causam dimitti possunt ex his Institutis quotquot nec perpetuo professi, nec in ordinibus sacris constituti sunt.

2) Potestas dimittendi pertinet ad Superiorem generalem cum suo consilio.

3) Dimissi non liberantur a suis votis donec expletum fuerit tempus ad quod emissa fuerunt, ut dimissi citius liberentur, egent dispensatione S. Apostolicae, resp. S. C. Ep. R.

Nota: Ex Institutis dioecesanis dimittit Episcopus loci, simulque dispensat a votis, ad tenorem const. "Conditae a Christo."

§III. De dimissione monialium et sororum.

I. Moniales solemniter professae citra licentiam expressam Sedis Ap. ejici non possunt, obstat enim inter alia etiam constit. S. Pii V "Decori" quoad clausuram. Unde occurrente casu ad S. C. confugiendum erit quae dabit normas et modum procedendi juxta circumstantias facti.

Durante triennio votorum simplicium ad dimittendas professas, juxta dispositionem decr. "Perpensis" n. 12, "recurrendum erit in singulis casibus ad S. Sedem distincte exponendo graves causas quae dimissionem suadere vel exigere videantur".

II. Sorores ex Institutis a Sede Ap. probatis

a) Nunquam ejiciuntur, sed tantum dimitti possunt.

b) ad dimissionem sororis votorum temporalium graves requiruntur causae approbatae per majorem partem consilii generalis. Normae 193.

c) ad dimissionem sororis votorum perpetuorum requiruntur: 1) graviores causae exteriores; 2) incorrigibilitas, et quidem experimento demonstrata, ita ut desit spes resipiscentiae et adsit periculum damni pro Instituto. 3) Omnia haec a Consilio generali secretis suffragiis probentur. 4) Recursus ad S. C. Ep. Reg. cui exhibenda est deliberatio consilii ab eaque exspectanda confirmatio, ita ut ante dictam confirmationem actus dimittendi Superiorissae gen. nullum pariat effectum juridicum.

d) attamen in casu urgenti ob grave scandalum externum, soror, episcopo loci approbante, statim dimitti potest, sed et in hoc casu, confirmatio jam peractae dimissionis expenda est.

e) Dimissis per se nunquam dispensat a votis. Horum igitur solutio vel a Superiorissa gen. conjunctim cum confirmatione dimissionis, secus ab ipsa sorore dimissa postulanda.

f) Moniali et sorori quomodocunque dimissae, sive ex ali-

quo Ordine decr. Perpensis n. 13, sive ex aliquo instituto, Normae n. 95, semper restituenda est integra dos quoad sortem exclusis fructibus decursis.

Art. IV. De egressu per apostasiam vel per fugam.

§ I. De Apostatis.

1) Apostasia a Religione, prout contradistinguitur ab Apostasia a fide, vel ab ordine clericali, est discessus veri Regularis ab Ordine, sine licentia Superiorum, cum animo in perpetuum deserendi statum religiosum, sive habitum retineat sive eum abjiciat.

Dixi: a) Discessus, nempe realis et opere completus per egressum e septis monasterii. Cfr. 1um cas. reservabilem inter Clementinas Bizzar. op. cit., n. 9. 46. — Benigniores DD., ratione spatii elongationis a septis, parvitatem materiae admittunt, ita ut discedens non primo passu egressionis poenas incurrat. Si quaeras ab ipsis qualis igitur distantia requiratur, respondent id arbitrio prudentis judicis esse committendum. — Alii vero, ratione elongationis a conventu, nullam admittunt parvitatem materiae eo quod — ut et mihi videtur — hoc peccatum gravitatem suam minime sumat a majori vel minori distantia, sed in sua specie interna totaliter constituatur animo perpetuo deserendi religionem, et ideo in opere externo de facto consummetur qualicumque distantia, vi illius animi interposita, dixi b) Veri regularis, ie religiosi de facto solemniter professi aut qui saltem ex dispositione juris aequiparetur veris regularibus quales sunt v.gr. alumni Soc. Jesu post vota biennii. Hinc alumni Institutorum tametsi culpabili recessu graviter peccent, specificum apostasiae crimen non admittunt, nec poenas ei adnexas incurrunt.

dixi c) Sine licentia Superiorum — haec enim si adesset utut forte coacta, crimen apostasiae non verificaretur; excipias semper casum quo quis culpam eo fine commisisset ut per eam dimissionem a superioribus extorqueret.

d) cum animo deserendi religiosum statum — qui enim derelinqueret monasterium absque licentia, ut ad aliam religionem transiret, a jure quidem communi apostata non reputaretur; e jure

tionem particulari multorum Ordinum, ut vg. Soc. Jesu, Comp. Praev. n. 44, SSmae Trinitatis etc. taliter transiens poenas incurrit ac si verus foret apostata.

f) deserendi statum perpetuo: per hoc enim apostata differt a fugitivo.

g) Nonobstante gravissimo decreto Conc. Trid. XXV, reg. c. 4 contra regulares locum deserentes ut ad superiores majores confugiant, communis doctrina declarat taliter confugientes ex vera et urgente ratione, a crimine et poenis apostasiae immunes. Cfr. de Synod dioeces. lib. XIII. c. 11, n. 18, assentit et ipsa praxis S. C. Ep. Reg. Cfr. vg. decis. apud Analect. Jur. Pont. t. 8, p. 1962.

2) de positione canonica et poenis apostatae.

a) Tenetur omnibus sui status et Ordinis obligationibus ac oneribus. In primis tenetur gravissima obligatione redeundi ad religionem, eumque poenitentem et emendatum superiores, per se loquendo, recipere tenentur, Cfr. Ferraris, v. Apostasia. Quippe cum ex muneris sui omnis pastor oves suas curare, et errantes, quamdiu spes emendationis affulget, reducere tenetur. Et profecto, vi decreti Urb. VIII, Superiores tenentur quotannis apostatas suos perquirere, ad religionem reducere, et si id expediat efficere ut apprehendantur, a fortiori ergo jubentur eos poenitentes recipere. Censeo nihilominus – contra quosdam – Praelatum in hoc officio negligentem, minime poenas in § finali cit. decr. edictas incurrere, ratio est quia poenae statuuntur contra eos qui "contra hanc praescriptionem aliquid quoquomodo facere vel moliri praesumpserint." – Quoad Soc. Jesu recole supra allegatam decis. S. C. C. 1624 – sc. eam hoc decreto non obligari.

b) Amittunt omnia privilegia sui Ordinis, puta exemptionem, imo et privilegium canonis si habitum dimiserint et sententia criminis declaratoria subsecuta fuerit.

c) ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, apprehendi incarcerari et superioribus tradi possunt et debent, sec. regularia instituta puniendi – Obstant hodie fere ubique leges civiles.

d) Ex capite "ut periculosa" 2, Ne clerici vel monachi, in VI, apostata si habitum deponat excommunicationem incurrit ipso facto, utique nemini reservatam. Quae censura juxta veriorem DD. sent., utpote ad regimen internum regularium spectans,

a Const. "Apost. Sedis" non est sublata. de DD. sent. Cfr. Piat I, n. 198. — Durante apostasia nec ad ordines promoveri, nec, si promoventur, eos exercere possunt, manente suspensione etiam post conversionem, donec Sedes Apost. dispensaverit. — Demum si causas nullitatis suae professionis allegare vellet, audiri non potest quamdiu in monasterium reversus non fuerit. Bened. XIV. Const. "Si datam hominibus" § quibus ita. Cfr. Trid. XXV. cap. 19.

e) Jure speciali singulae ferme Religiones decreverunt in apostatas excommunicationem, aut vi indulti, aut vi legum a SS. Pontifice approbatarum, in quibus pariter scissum et [illegible] dicta censura reservetur, in [illegible] aliae etiam poenae [illegible]. In Soc. Jesu excommunicatio reservatur R. Pontifici resp. Praeposito Generali qui facultatem absolvendi communicat Praepositis Provincialibus, cum potestate subdelegandi. Cfr. Comp. Priv. n. 39-43. Excommunicantur eodem tenore religiosi Soc. Jesu qui alteri e Societate ad apostatandum praebent auxilium, consilium vel favorem. Cfr. Comp. Pr. n. 37-51.

f) Bona quae apostata extra Religionem acquisiverit, post ejus mortem spectant ad Cameram Apost. juxta Const. Greg. XIII "Officii nostri" § 3, Bull. R. IV³, 330. Quod si ante mortem redierit ad monasterium, bona quae foris modo clericis per se licito, acquisivit transibunt una cum eo ad conventum proprium.

§ II. De Fugitivis.

1) Fugitivus — non confundendus cum furtive egrediente — ille dicitur Regularis qui a Religione ad tempus sine licentia discedit, causa vagandi, vel extra obedientiam vivendi, cum animo tamen ad monasterium redeundi. In hac diversitate animi stat totum discrimen inter apostatam et fugitivum.

2) Ejus obligationes eaedem sunt ac apostatarum.

3) Poenae. Fuga simplex — merus discessus — nulla poena ex jure communi plectitur, sed jure privato omnium fere ordinum excommunicatione latae sent. punitur.

Fuga qualificata, i.e. juncta cum depositione habitus, aut cum accessu ad studia litterarum, cap. Ut periculosa 2, ne clerici vel monachi III, 50, ipso facto excommunicationem nemini re-

servatam secum trahit, fugiens ad partes transmarinas eadem censura sed R° Pontifici reservata punitur.

Jure speciali in plerisque Ordinibus fugitivi puniuntur poena excommunicationis latae sententiae et aliis. Ita etiam in Soc. Jesu ad tenorem const. Pii V "Aequum reputamus" 1566, et Greg. XIII "Ascendente Dno", quae censura soli R° Pontifici reservatur, nisi forte fugitivus infra octiduum redierit. de his cfr. etiam Constit. lib. II. n. 4, § 4, 5.

Observa. Fugitivis accensentur etiam ii Regulares qui nec missi nec vocati, Conc. Trid. XXV rg. 4, extra casum urgentissimae et manifestae necessitatis a monasterio discedunt sub praetextu confugiendi ad Superiores majores. vide Bened. XIV de Syn. lib. XIII, cap. 11, n. 14 — Quod si Regularis, causa appellationis, vel alias sine licentia, Romam petat, ipso facto, incurrit singularem poenam privationis vocis activae et passivae per biennium. Quam poenam solus R. Pontifex relaxare vel moderari potest. Decret., 10 Mart. 1610, Bull. R. V°, p. 253, § 23. Mansit tamen et in hoc casu, ex Sixti V const. "ad Romanum", exceptio a poena indicata pro Regulari injuste vexato qui ante profectum saltem in scriptis licentiam petierit, licet incassum. Cfr. causam Fr. discal. Sti Aug. apud Bizzar. p. 270.

Caput XI. De Privilegiis Regularium.

Hucusque diximus qua ratione quis constituatur Regularis, et quibusnam obligationibus, vi status religiosi devinciatur. Hanc porro novam et caelestem vitam Regularis non extra sed intra Ecclesiam hierarchicam agit. Unde cohaesione doctrinae deducimur ad quaestionem: qualem et quibusnam in rebus Religiosus, non reverentiam modo, sed obedientiam debeat iis quos Spiritus Stus posuit regere Ecclesiam Dei, maxime si, vitam apostolicam professus, juxta finem proprii Ordinis, saluti et perfectioni externorum procurandae incumbere velit. Et sane hi externi, si fideles sint, ex volunte Christi quasi oves sub propriis constituti sunt pastoribus, nempe sub Episcopo loci et sub Romano Pontifice, unde ex eadem voluntate Christi, quia quae a Deo sunt ordinata sunt, regulares ministeria apostolica exercere nequeunt nisi qui a et quatenus ad ea obeunda a Ro Pontifice deputantur, vel ab Episcopis, sicut et clerus saecularis, tamquam auxiliares assumuntur, de quo infra ex professo.

Jam age si attendas — quod fluit ex dictis de approbatione Ordinum — approbationem et deputationem Ri Pontificis praerequiri antequam Episcopus religiosos tamquam auxiliares regulares assumere possit aut forte debeat; si insuper pensare velis dotes non vulgares quibus Regulares juxta professionem suam viventes potiuntur, mirum profecto non videbitur quod ipsi ad ministeria exeuntes in multis per dispensationem Ri Pontificis a jure communi immunes, particulari jure regantur, seu quod idem est privilegiis fruantur. —

Hinc ordo logicus postulat ut, antequam gradum faciamus ad particularia ministeria quibus Regulares incumbere possunt, aliquid de eorum privilegiis innuamus. — Dicam igitur: 1º quaedam generaliora circa privilegia Regularium. 2º de revocatione privilegiorum a Conc. Trid. facta. 3º de exemptione Regularium, et demum de causis in quibus, nonobstante exemptione, ipsi Episcopo manent subjecti.

Art. I. De Privilegiis Regularium in genere.

Cum lex uniformiter omnibus imposita nonnunquam certis in

P. S.

locis vel adjunctis nimis dura evadere possit, mansuetudo juris ecclesiastici, ex legali legislatoris consensu consuetudinibus populorum rationalibus et legitime praescriptis defert; similiter et ipse legislator, legem omnibus intimans, non se privavit facultate eximendi quandoque a lege subditum in aliquo determinato actu, quod forme per dispensationem efficit, aut immo concedendi subdito vel collegio jus operandi stabili modo contra vel praeter legem, in qua concessione privilegium consistit.

I. Quid sit privilegium. 1) Sensu lato vocamus privilegium omnem praerogativam quae singularibus quibusdam personis, sive physicis sive moralibus privative competit, tametsi illis ordinario et communi jure convenit. Quo sensu jura ordinaria R. Pontificis, Episcoporum, jura singularia clericis, regularibus, minoribus concessa privilegia interdum vocantur.

2° Sensu stricto est exemptio permanens et favorabilis a lege communi. Porro haec exemptio considerari potest:

a) principiative, seu in eo qui eam largitur, et sic privilegium est concessio juris favorabilis, specialis et permanentis, facta a superiore in personam vel rem, contra vel praeter jus commune.

b) objective, in se ipsa, et hoc modo privilegium est: Lex privata specialem favorem, contra vel praeter jus commune concedens: vide Zallinger V, 33 a princ. et Schmalzgr. in tit. 33, lib. V, n. 1-20.

- Dicitur: lex quia, ut monet Pirhing, in tit. cit. n. 5, est norma objectiva stabiliter operandi contra vel praeter legem; aliis imponit obligationem hoc jus speciale non violandi; denum quia hujusmodi concessio a solo legis communis auctore procedere valet.

Dicitur: privata, quia regulariter pertinet ad personam privatam, vel si communitati conceditur, haec ipsa consideratur tamquam pars communitatis superioris quae obligatur lege communi. Schmalzgr. l. c. n. 3.

Dicitur: specialem favorem concedens, nempe aliquid quod non jam a jure communi elargitur. Nam enim indiges privata lege, ut lege communi utar. Ideoque omne privilegium est contra vel praeter jus, minime vero secundum jus: vide tamen observat. Schmalz. l. c. in fine, n. 9.

c) Subjective, sic est jus speciale favorabile et permanens agendi contra vel praeter jus commune a superiore promanans — Facultas

permanenti seu stabili modo agendi est de natura privilegii et per hoc ipsum distinguitur, tamquam species a genere, a beneficio vel gratia principis. Omne privilegium est beneficium principis, sed non e converso, cum beneficium et gratia ad unicum actum coarctari possint, ut ecce, in dispensatione ab impedimento, in absolutione a censura etc.

II. Quotuplex sit. Dividuntur in privilegia:

1) Contra vel praeter i.e. ultra jus commune.

2) favorabilia quae merum favorem nemini nocentem continent et odiosa quae tertiae personae praejudicium afferunt.

3) affirmativa quae facultatem concedunt aliquid operandi; negativa quae ab obligatione communi liberant.

4) personalia et realia: prout immediate et directe personae vel rei conferuntur, puta: ecclesiae, loco, dignitati, officio etc.

5) gratiosa, remuneratoria, onerosa, prout conceduntur ex mera liberalitate, aut propter merita, aut sub onere aliquid praestandi, quo in casu si pactum intercedat dicuntur conventionalia. Huc ferme relabitur alia divisio in absoluta, conditionalia, modalia.

6) Motu proprio vel ad preces, i.e. ad instantiam concessa.

7) Concessa alicui per se, i.e. sine relatione ad privilegium alterius, vel ad instar privilegii alteri jam concessi. Et tunc quidem sive: a) in forma accessoria, quo in casu natura et duratio secundi pendebit plane a priori, b) aeque principaliter, seu pariformiter, et tunc propria vita subsistit et durat, a fato prioris independens.

8) Concessa in scriptis, vel vivae vocis oraculo.

Observa circa vivae vocis oracula. Greg. XV const. "Romanus Pontifex", 2 Jul. 1622, Bull. R. V5 p. 37 omnia revocavit oracula vivae vocis a se vel a suis Decessoribus usque ad an. 1622 Religiosis concessa, praeter ea quae jam suum sortita erant effectum, vel ad instantiam regum concessa fuerant. Hanc ultimam etiam speciem sustulit Urb. VIII Const. "Alias" 20 Dec. 1631, Bull. R. t. VI, p. 299, nova dein Const. "Alias" 1635, Bull. R. t. VI2 p. 24, declaravit valida oracula quae per officiales, qui pro munere quod gerunt fidem facere solent de pontificiis oraculis (Praefecti et secretarii SS. Congreg.; Cardinalis Poenit. Major, Cardinalis Protector quoad ordinem quem protegit) expedita fuerunt — Haec invaliditas respicit profecto forum externum, Ferrar. v. Oracula n. 17, Reiffenst. in tit. 33, lib. V, n. 159, 162, imo sec. veriorem sent. forum conscientiae, Schmalz. tit. et l. c. n. 242. — Praeterea, Clem. XII const. "Romanus Pont.", 12 febr. 1732, Bull. R.,

t. XIII, p. 215, annulavit 14 species facultatum quae cuicumque ordini etiam Soc. Jesu vivae vocis oraculo concessae fuerint, vel aliter quam: per litt. apost etiam in forma Brevis expeditas, vel per rescripta SS. Congr. a S. Pont. approbata, aut denuum per S. Poenitentiariam. Catalogum harum facult. vide loco cit. vel apud S. Piat, t. II, p. 168, ap. Verm. p. 504.

Quicumque vero revocatis a Clem. XII "quoad utrumque forum" oraculis uti praesumpserit, incurret hodie privationem officiorum, dignit. beneficiorum vocis activae et passivae, incurret praeterea inhabilitatem ad audiendas confessiones ad officia, beneficia etc. pro futuro ipso facto; dictae poenae relaxatio R. Pont. reservatur.

III. Quis concedere valeat privilegia et quibus.

1° Quis. — Solus legislator ecclesiasticus et quidem in materia et ditione suae potestati legislativae subjectis. Patet ex definitione, cum sit privata lex contra vel praeter legem communem etc. Et tametsi legislator non eget justa causa ut valide procedat nihilominus concessio temeraria, sine causa rationabili (cujus rationabilitatis ipse judex manet) illicita est dicenda. Schmalz. l. c. n. 16.

Hinc a) solus R. Pontifex sive seorsim, sive cum Concil. oecum. potest concedere privilegia contra vel praeter jus commune — Intellige tamen R. Pontificis potestatem non se extendere ad concessiones privilegiorum contra jus divinum naturale naturale aut positivum, cum ipse non sit supra tale jus, neque contra bonos mores, conservationem et rectam gubernationem Ecclesiae etc., non enim ad destructionem sed ad aedificationem Ecclesiae potestate donatus est a Christo.

Hinc b) Episcopi in suis quidem suorumque decessorum legibus concedunt privilegia, minime vero contra jus commune. Quod si forte ex indulto Sedis Ap. in jure communi aliquando dispensare valeant, non tamen ideo privilegia concedere; dispensatio enim suspendit effectum legis quoad hunc actum, privilegium e contra stabili modo a lege eximit.

2°) Quibus. — a) Privilegia quae sint contra jus, legislator solis subditis concedere potest. ratio est quia privilegium est exemptio a communi lege, qua soli subditi tenentur et a qua sola eximere potest.

b) Privilegia praeter jus legislator, in materia sibi subdita concedere potest etiam non suis; ratio est quia in casu actum liberalitatis, minime vero jurisdictionis, exercet in extraneos quibus privilegium

impendit, aliunde subditos saltem suos legislator obligare potest ne taliter privilegiatum, in usu privilegii disturbent. vide Schmalz. l.c. n.75.

IV. Quibus modis acquirantur.

1) Concessione competentis Superioris directe alicui facta, sive motu proprio, sive ad instantiam petentis. — Ubi nota: privilegium concessum vivae vocis oraculo — nec revocatum — ejusdem valoris est in foro conscientiae ac privilegium in scriptis concessum: arg. cap. Dudum vero fin., de sepulturis, in Clem. et Cap. Etsi dominici, de Poenit. et Remission., tit. 9, lib. V, Extrav. com. Ut tamen in foro externo urgeri possit, scriptura omnino requiritur. Neque, ex stylo Curiae, sufficit appositio verbi "Fiat", supplicationi inscripta, cum judex teneatur Reg. Cancell. 27: de non judicando juxta formam supplicationis, sed litterarum expeditarum, et 52 "ut nulli suffragetur dispensatio, nisi litteris confectis."

2° Communicatione qua privilegium uni vel pluribus concessum, dein ad alios ex voluntate Superioris extenditur. — Haec communicatio ad instar alterius privilegii: "concedo tibi privilegium quod concessi Sempronio", duplici modo fieri potest:

a) minus principaliter, seu relative, accessorie, dependenter ab eo cui fuit primo concessum, quo modo privilegia Regularium saepe communicantur eorum familiaribus, religiosorum monialibus sibi subditis. In hoc casu praevalet Reg. Jur. 42, in VI "accessorium naturam sequi congruit principalis", vivit ambulat et moritur cum priore, non tamen e converso, sic non extinguitur in religiosis cum tollitur a monialibus.

b) aeque principaliter ita ut accipiens illud communicatione, eo uti possit perinde ac si sibi primo et per se collatum fuisset, et propterea non sequitur fata prioris a quo derivatum est, sed utrumque in casu per se stat ut distinctum. Ita quidem DD. passim. Verum — ad minus in materia indulgentiarum — S. Cgr. Indulg., 31 Jan. 1893, Cfr. Acta S. Sed. t. XXV, p. 207, falsam declaravit sententiam juxta quam, sublatis indulgentiis decreto Pontificis Ordini cui primo concessae fuere, manere nihilominus in aliis Ordinibus qui eas ex communicatione habent, nisi revocatio expresse etiam ad eos dirigatur.

3° Consuetudine acquiri possunt privilegia contra vel praeter legem. Licet, strictissimo sensu, privilegium audiat favorem specialem a legis.

latore concessum, quia tamen princeps agnoscit valorem legalem consuetudinis rationabilis et legitime praescriptae, cap. ult. de Consuet. I, 4, nihil obstat quominus hac via acquirantur, idque aperte profitentur cap. 13 de foro comp. II, 2; cap. 26 de Verb. S. V, 40.

4º Praescriptione contra jus tertii, dummodo illud jus praescriptioni sit obnoxium, qualia non sunt vgr. jura consecutiva ex potestate ordinis derivata. Cfr. cap. 4 de Consuet. I, 4; cap. 9, de Consecr. Eccl. III, 40. Quanti in specie valeat praescriptio in materia privilegiata exemptionis, maxime si immemorialis fuerit, egregie tradit Bened. XIV, de Syn. lib. XIII, c. 8, n. 21 sq.

5º Confirmatione in forma specifica quae etiam dicitur "ex certa scientia". Haec enim sanat vitium invaliditatis, si forte in prima concessione adfuerit, exstinctum privilegium resuscitat, sicque prorsus aequivalet novae concessioni, cujus exemplum praebet const. Leonis XIII "Dolemus" 13 Jul. 1886 quoad privilegia Soc. J.

Dixi — Confirmatione in forma speciali — quia confirmatio in forma communi, nullum vitium sanat, nec exstincta privilegia restituit, ideoque effectum juridicum nullum parit, sed tantum moralem in quantum removet oblocutiones et faciliorem reddit executionem vel usum privilegiorum. — A fortiori nuda innovatio authentica diplomatis quo privilegium continebatur novi concedit nihil.

Quaeres: Quaenam sint signa confirmationis privilegiorum in forma speciali.

Resp.: haberi in clausulis documenti: vgr si dicatur confirmatio facta: "ex certa scientia", "ex plenitudine potestatis apostolicae", vel si S. Pontifex addat: "omnes defectus juris et facti supplentes", "quatenus opus sit iterum indulgemus" vel alia verba aequipollentia; pariter si in instrumento confirmationis totus tenor privilegii, vel saltem ejus substantia inseratur. — Quod si omnibus perpensis dubia maneret natura confirmationis, praesumenda est simplex, probanda, si asseratur, forma specifica, est enim res facti, quae probanda est.

Verum et ipsa confirmatio specifica quandoque clausulas continet restrictivas, ut puta: "dummodo sint in usu". Sic confirmantur illa tantum privilegia quae adhuc a communitate actu usurpantur, sive valida, sive etiam invalida ab origine fuerint.

Quandoque adjicitur clausula: dummodo decretis Concilii Trid. non adversentur", vel: "dummodo sacris canonibus et decretis Concilii

Trid. non adversentur", imo: "*dummodo sacris canonibus, decretis Conc. Trid. aut Constitutionibus Apostolicis non sint contraria.*"

Porro in enarranda vi et potestate 2ae clausulae mire variant auctores quorum sententias vide apud P. Piat, de Jure Reg. t. II, p. 111. Etenim ut pauca innuam:

1) sunt qui nomine *canonum* intelligunt reduplicative canones Trid., quasi una eademque res significaretur per verba: dummodo canonibus *et* decretis... Illud *et* accipiunt sensu exegetico = id est. Quae interpretatio – et = id est – cum gratis asseratur gratis etiam recusatur.

2°) alii, conjunctioni *et* sensum copulativum servantes, nomine *canonum* intelligunt quidquid in corpore Juris continetur, per *decreta* Trid. autem universa decreta disciplinaria hujus Concilii – Verum et haec sententia displicet utpote nimia: a) quia multa sunt, in corpore Juris quae ex sui in ipsum insertione vim legalem non obtinuerunt, ut integrum Gratiani Decretum, extravagantes pariter omnes. Imo ipsa denominatio Corpus Juris, ut alias exposui, minime legalis, et a solis bibliopolis inventa est. – b) quia hac ratione interpretandi clausulam admissa, sequeretur omne privilegium *contra* jus commune de medio tolli, nisi illud in collectione authentica, aut in decretis Trid. sanciatur. Hoc porro conciliari nullatenus potest cum doctrina communi admittente passim privilegium *contra* legem, quin opus sit lege id toties quoties sanciente; nec conciliari potest cum textibus juris nostri qui a priori et generatim agnoscunt legitimitatem talis privilegii: Cfr. totum tit. 33, lib. V et comment. ibi.

3) Restat igitur ut verba "dummodo sacris canonibus et decretis Conc. Trid. non adversentur", eo modo exponamus quo passim interpretamur verba "dummodo constitutionibus Apost. non sint contraria" i.e. per tales constitutiones *non fuerint revocata*. Hinc integra clausula sensum parit: modo lege canonica in collectione authentica, vel decretis Trid. vel constitutione pontificia *non fuerint revocata* post eorum primam concessionem. Quousque Sedes Ap. non dederit authenticam interpretationem propositae contrariam, eam quisque tuto cum Schmalzgr. t. 33, l. V, n. 237, Reiffenst. ibid. n. 116; Suarez, de Legib. l. VIII, c. 18, n. 18 amplectetur. Hunc sensum etiam corroborant clausulae adjectae Const. confirmatoriae "Dolemus" Leonis XIII.

Quaeres 2°: Utrum requiratur promulgatio privilegii.

Resp.: negative per se, cum non sit datum toti communitati, sed

personae collegio, universitati, vel classi personarum vgr clericis, regularibus etc. Ita etiam habet praxis constans. — Quod si privilegium tertio prajudicium afferat, puta quia vgr exemptionem ab ejus jurisdictione confert, sufficit authentica concessionis intimatio vel aliud genus probationis concludentis, ut debitus ordo et necessaria reverentia servetur. Cfr. causam Angelipolitanam, Palafox, S.J., ad 3, apud Richter, p. 90. — Eo casu quo legislator concedit privilegium ob bonum publicum, ideoque ab omnibus reverendum, utique hanc suam voluntatem ut legem communitati promulget oportet. Ita egerunt Patres Conc. Lat. II, a. 1139, statuentes canonem 15 "Si quis suadente diabolo etc.", apud Grat., C. 29, C. XVII, q. 4.

<u>Quaeres 3°</u>. Utrum acceptatio privilegii per privilegiatum requiratur ad ejus valorem.

<u>Resp.</u> negative per se. Concessio enim est actus potestatis legislativae, hujus porro valor non pendet a praevia subditorum acceptatione. In praxi vero distinguendum est inter privilegium concessum ob bonum privatum et privilegium collatum ob bonum publicum vgr privilegium canonis "Si quis suadente diabolo etc., item privilegium exemptionis Regularium et similia. In hoc posteriori casu voluntas legislatoris est absoluta, ideoque non attendit, neque exspectat voluntatem privilegiatorum; in priori vero, voluntas ejus conditionata est, invito enim beneficium non obtrudimus. Ita etiam habet stylus Sedis Ap. juxta quem privilegia hujus generis effectum non sortiuntur donec acceptatio significata fuerit.

Hac eadem distinctione solvenda est quaestio utrum privilegiatus <u>teneatur uti</u> suo privilegio. Nempe liber est per se usus privilegii immediate bonum privatum respicientis, minime vero privilegii ob bonum publicum concessi. Cfr. illustre exemplum in epist. Card. Praef. S.C. Ep. R. ad universos Antistites Galliae, n. 4. 10 Jul. 1901, ap. Vermeersch, t. 2, p. 455. Lege etiam cap. Cum tempore, 5. de Arbitris. I, 43.

De caetero, ne quis in usu privilegii sibi concessi excedat, sedulo attendat utrum concessio facta sit absolute vel potius cum limitatione temporis, an restrictio forte adsit ratione loci, qua non exstante, valebit in toto collatoris territorio, ideoque si is sit R.us Pontifex, ubique.

V. <u>De communicatione privilegiorum inter Regulares.</u>

1) Ordines mendicantes qui in Corp. Juris, cap. unic., de Religios. dom., in VI enumerantur, scilicet Fr. Praedicatores, Fr. Minores, Fr. Eremitae S. Aug., Fr. Carmelitae, iis pariter quos S. Pius V mendicantes declaravit, aut mendicantibus assimilavit i.e.: Servitae, Minimi, Societas Jesu, dein

Mercedarii, Trinitarii, Hieronymitae, Fr. S. Joannis de Deo, Ordo religiosus de Poenitentia inter se privilegia communicant aeque principaliter. Currit haec communicatio, juxta declar. Julii II, de Praelatis ad Praelatos qui in alio Ordine sunt ejusdem dignitatis, licet diversi nominis: sic v.gr. si concedatur privilegium Magistro Generali O.P., illud eo ipso acquisitum erit Priori Generali Carmelit., Praeposito Gen. Soc. J. etc., currit dein de fratribus privatis (sine praelatura) ad fratres privatos, de conventibus ad conventus, de festivitatibus ad festivitates.

2) Juridica haec communicatio inter dictos Ordines descendit principiative ex Constit. Rom. Pontificum praecipue Julii II, Leonis X, Pii V. Cfr. Reiffenst. V. 33, n. 55. Ita v.gr. Leo X, Const. "Dudum", 10 Dec. 1519 "Omnes et singulas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, praerogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta tam spiritualia quam temporalia... illaque omnia et singula inter dictorum Ordinum personas, pariter communia fuisse et esse volumus". Bull. R. III³, p. 463.

Porro hae dispositiones valent de Societate J. quae ex ipsa sua primaeva institutione in nobiliori sua parte vere mendicans, ut Pius V Const. "Dum indefessae", 7 Jul. 1571 expresse declaravit, tum quia idem Pontifex cit. const. id uberrimis verbis affirmat, vide Comp. Pr. S.J. n. 94. – Attamen attendenda est peculiaris dispositio qua regitur Societas in hac materia. Omnis scilicet concessio et communicatio privilegiorum jure nostro, ad tenorem const. "Decet" Greg. XIII, 3 Maj. 1575, censetur ipsi Praeposito Gen. facta, et ab eo tantum in socios derivanda, eo modo eaque mensura quam praestituerit. Ipse porro Praepositus Gen. cum nostris communicat tantum ea privilegia quae, et quidem eo modo quo in Comp. Privil. exhibentur. Caeteris, licet via juridicae communicationis ad societatem pertinerent, uti minime licet, sed ad effectum adeundus erit toties quoties Praepositus Gen.: nisi quod in casibus urgentioribus, ubi periculum foret in mora, – dummodo non agatur de privilegio ipsi Instituto repugnanti – Praep. Provinciali, Visitatori, Rectoribus et superioribus facta est potestas iis ad casum utendi, cum onere monendi toties quoties Praepositum Gen. de usurpato privilegio.

Cum vero iste modus participandi privilegiis institutis

sit unice ob peculiare regimen monarchicum quo vivit Societas J., non egreditur ipsam, ideoque Ordines alii qui cum Societate communicant libere tali privilegio utentur absque interventu respectivi sui Praepositi Gen., nisi forte hoc ipsum in litteris Apost. expresse caveatur.

3) Utut amplissima sit mutua haec communicatio non tamen procedit quoties agitur de privilegio 1) alicui personae particulari concesso, imo alicui Ordini sed tantum ad tempus taxatum, 2) exorbitante, puta addendi Litaniis SS. et Confiteor nomen fundatoris. S. R. C. 20 Mart. 1706, ad 3. 3) quod propriis Constitutionibus repugnat, 4) vergente in detrimentum regularis observantiae, vg. habendi peculium, 5) concesso ob causam stricte localem, ut ecce quia heic habetur imago miraculosa, insignes adsunt reliquiae etc. 6) clausula incommunicabilitatis munito, cfr. decr. "Romani Pontifices" n° 4, ap. Bizzar. p. 832.

4) Reliqui ordines regulares, ast non mendicantes, per successivas Sedis Ap. largitiones, eamdem demum quam mendicantes obtinuerunt cum his et inter se juridicam privilegiorum communicationem.

5) Congregationes, seu Instituta votorum simplicium per se nulla gaudent privilegiorum communicatione. Ad hoc requiritur speciale Sedis Ap. indultum cujusmodi est illud vi cujus Clerici SS. Redemptoris pariformiter et aeque principaliter participant privilegiis, exemptioni indultis etc. quibus potiuntur Congr. Doctrinae christ., Piorum operariorum et Clericorum discalc. Crucis et Passionis D. N. J. Chr. — vide celebrem causam Cleric. SS. Red. quoad exemptionem, 16 Sept. 1864, in Act. S. Sed. t. I, p. 91 et apud Bizzar. p. 740; apud quem legas et causam oblatorum B. M. V. contra Epum Pinaroliensem, occasione communicationis privil. Cl. SS. R. eis a Leone XII, 1 Sept. 1826, factae. p. 429.

6) Varii tertii ordines mutua privilegiorum communicatione minime fruuntur, sed neque cum primo, ad quem pertinent, Ordine, excepto casu specialis concessionis, S. C. Indulg., 31 Jan. 1898. Communicationem indulgentiarum et bonorum operum cum 1° et 2° Ordine, concessit Tertiariis S. Dominici Pius VII, 6 Jul. 1806; Tertiariis vero S. Francisci, Leo XIII brev. "Cum dilectus", 7 Jul. 1896. Cfr. Analect. eccl. 1896 ... resp. S. C. Ep. R. 30 Jan. 1905, et S. C. Indulg. 22 Mart. 1905,

ap. Vermeersch, Periodica, p. 147, 152.

VI. De interpretatione privilegiorum.

Doctrinalis interpretatio, quippe quae stat et cadit cum rationibus interpretantis, cuique libera est. Authentica e contra Regularium privilegiorum interpretatio ad nullum Praelatum inferiorem, sed privative ad Sedem Apost., cui reservatur, spectat, ut habet cap. Inter alia, 31, de Sent. excomm. V, 39 "ut unde jus prodiit interpretatio quoque procedat." ita et S. C. C. expresse declaravit, 16 April. 1648, cujus sent. Innoc. X, const. "Cum sicut", 14 Maj. 1653, promulgavit. apud Richter, p. 90 ad IV. Idem dicas in genere de privilegiis a Sede Ap. concessis, juxta regulam ab Innoc. III positam, cap. 12 cum venissent, de Judiciis, II, 1. "cum super privilegiis Sedis Ap. causa vertatur, nolumus de ipsis per alios judicari."

Nihilominus in foro conscientiae et ad quietem subditorum superiores generales Ordinum, ex auctoritate Apost. possunt declarare dubia, si quae super hujusmodi privilegiis oriantur. Ex concessione FF. Praedic. facta a Julio II const. "Considerantes", 4 Dec. 1509.

Dixi – in foro conscientiae – quia juxta veriorem sent. judex in foro externo tali superiorum interpretationi stare non tenetur, siquidem nec ipse successor decessoris sui declaratione tenetur, nisi forte interea in rem judicatam abiverit.

Regulae rectae interpretationis. Si verba clara sint, sta proprietati verborum; si ambigua fuerint, claritatem fere semper afferent verba partis narrativae, quae speciei facti supplicationis respondent et intentionem concedentis manifestant. Privilegia pure favorabilia et remuneratoria late exponas; stricte vero odiosa et juri communi adversantia nisi D. Papa ex "motu proprio" concesserit, tunc enim praevalet supremi legislatoris voluntas; stricte pariter exponas quae sunt contra jus tertii in materia gravi, nisi forte tale privilegium ob bonum publicum sit concessum, juxta ad cultum divinum augendum, ad salutem animarum etc. Quod si privilegium sit in bonum publicum, sed jus tertii pariter in bonum publicum constituto noceat – ut contingit quandoque respectu Regularium et Episcoporum – ordo et reverentia debita postulant ut causa ad Sedem Ap. deferatur. Demum sive lata sive stricta privilegiis apponenda sit expositio: lata nunquam extendatur ad res, personas, loca vel facta in concessione non comprehensa; stricta vero non adeo restringatur ut verba concedentis nihil operentur

imo privilegiato fiant onerosa, monente Reg. J. 61 in VI, "quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum."

VII. De remediis contra violantes privilegia Regularium.

1) Si contingat aliquem in usu legitimo privilegii sui gravari vel impediri, in promptu habet remedium appellationis ad concedentem, praecipue vero ad Sedem Ap. arg. ex cap. 4, 26, de Privil. V, 33. Insuper cum actus contra privilegium attentatus irritus sit et cassandus, cap. 10, de Elect. I, 6, poterit laesus a competente judice postulare sent. declaratoriam nullitatis, aut alias, juxta naturam rei, superiori aliquid contra tenorem privilegii exigenti, non parere, ut expresse tradit cap. 5, de Excessib. Praelat. V, 31, vel demum se tueri actione personali puta injuriarum, sive actione reali vgr. spolii etc.

2) Judex conservator. Regularibus, ut se tueantur contra violatores privilegiorum suorum nec non contra inferentes manifestam injuriam, jus concedit peculiare remedium, dando illis facultatem eligendi judicem conservatorem. Vide Conc. Trid. XIV de ref. c. 5, juncta const. Greg. XV "Sanctissimus" Bull. R. V4; et Const. Clem. XII "Cum omnium", 1762, contin. Bull. R. t. XVIII, p. 632. Cfr. etiam Bened. XIV de Syn. lib. IV, c. 6. — Hanc facultatem tamen omnino ademit. Clem. XII iis Regularibus qui et quamdiu missionibus apud infideles operam navant. Horum enim querelae omnes in materia privilegiorum apud solam Ap. Sedem moveri possunt. cit. const. "Cum õium", § 9.

Reliqui vero dum judicem eligunt, eum juxta const. "Sanctissimus" Greg. XV sub poena nullitatis electionis e judicibus synodalibus assumant oportet. Quod si Episcopus loci nullos designaverit judices synodales, ne hac ratione frustrentur Regulares, eligere poterunt judicem qui dotibus polleat a Bonif. VIII, cap. statutum, 11 de Rescript. in VI enumeratis (dignitatem, personatum habeat, aut certe sit Canonicus ecclesiae cathedr.) cujus dein electio irrita fiet statim ac Episcopus in synodo judices constituerit, ejusque successor ex designatis omnino assumendus erit.

Judex conservator eligi debet antequam lis apud judicem ordinarium moveatur S. C. C., 20 Febr. 1723, apud Richter, p. 91, et sub poena nullitatis actuum subsequentium, persona electa infra 6 menses curiae episcopali in scriptis notificanda est.

Conservatore semel rite constituto, ipsius munus erit Regulares illius dioeceseos qui eum elegerunt, a manifestis violentiis et injuriis ex usu legitimo privilegiorum tueri, facta sibi potestate coercendi delinquentes, etiamsi Epi fuerint vel Vicarii Gen., per censuras et alias poenas ecclesiasticas. Nequit igitur se immiscere in causas criminales aut mixtas Regularium quae judicialem indaginem exigunt, istae enim ad judicem ordinarium sunt deferendae. Imo Regularibus subvenire nequit ubicumque ipsi partes actoris, sed tantum si laesi fuerint manifesta injuria, vel conveniantur ut rei. Vide varias decis. S. C. C. ap. Richter, p. 89, sq., n. 1, 3, 5.

Ejus munus durat per quinquennium infra quod amoveri non poterit, nisi ex legitima causa a Sede Ap. vel ab Ordinario probanda. Greg. XV. cit. const.

Simili jure eligendi Conservatorem pollent Universitates, hospitalia etc., sed ut videtur, hodie eo non utuntur, imo vel apud Regulares ferme in desuetudinem abiit, ea ut mihi videtur ratione, quia auctoritatem talis judicis experientia parum efficacem aut expeditam demonstravit, vel saltem, quia, post natas SS. Congr. Conc. et Ep. et Reg., recursus ad hos sacros Ordines remedium sufficiens praestat laesis.

VIII. De amissione privilegiorum. Amittuntur:

1) per mortem privilegiati, si personalia sint. R. J. 7 in VI.

2) per destructionem legitimam vel naturalem rei, per suppressionem legitimam officii, muneris cui adnexa fuerant, si realia sint.

3) per mortem concedentis, ea quae ad "ejus beneplacitum" concessa fuere; non autem ea quae "ad beneplacitum Sedis Ap.", aut "usque ad revocationem" data fuerint.

4) per lapsum temporis utilis si ad determinatum tempus data, etiamsi eo intervallo privilegiatus ipsis frui non potuit, v.gr. indulgentia. S. C. Indul. Cfr. decr. aut. edit. Pustet, p. 181.

5) per conditionis deficientiam.

6) per usum seu actum si concessum fuerit "pro hac vice", "semel tantum."

7) per cessationem causae finalis, non tantum negative, sed contrarie, si agatur de privilegio successivum habente tractum i.e. pluribus actibus exercendo, ut ecce facultas quaestuandi. — Porro causae finalis dicitur cessare negative, quando, ipsa deficiente, usus privilegii nihilominus manet rationabilis et honestus; contrarie

vero quando ob ejus deficientiam usus privilegii fit injustus, perniciosus, scandalosus etc.

8) per renunciationem libere et legitime factam. Porro privilegiati legitime, i.e. sine assensu concedentis, renunciare nequeunt privilegiis per modum legis universalis concessis, vel privilegio ob bonum publicum collato, vel forte jura Sedis Ap. involventi cfr. cap. 5, de Arbitr. I, 43. — E contra quia nemo juri proprio et de se alienabili prohibetur renunciare, quisque privatus poterit renunciare privilegio principaliter in suum favorem concesso. Pariter collegium privilegio principaliter et privative suo valedicere potest, non quidem per actum personae privatae, sed per actum collegialem, etiam per actum Praepositi de consensu capituli vel consilii. Denum in iisdem adjunctis Praepositus Gen. de consensu capituli generalis renunciare poterit privilegio toti Ordini vel Congregationi facto. In dubiis exspectanda foret acceptatio concedentis.

9) per legitimam revocationem. Ubi observa: revocatio tacita, quae fit per meram promulgationem legis privilegio oppositae, nocet quidem privilegiis in jure clausis, non autem privilegiis concessione particulari datis, juxta doctrinam cap. Licet, de Constit. in VI ob paritatem consuetudinis et privilegii in jure non clausi. Nec ipsa revocatio expressa generalis semper per se sufficit ut tollantur privilegia, et sane specifica derogatio, aut mentio expressa requiritur ad abroganda privilegia: a) regularibus specialia, species enim derogat generi, b) quae contractus naturam induunt uti sunt onerosa. c) quotiescumque legislator concessit ne revocentur privilegia nisi expressa eorum mentio et de verbo ad verbum fiat, talia igitur non tolluntur per clausulas etiam fortissimas, quamdiu legislator ea non nominatim exprimit, saltem hac vel aequipollenti clausula: "Revocamus etiamsi in eo reperiatur clausula requirens expressam de eo mentionem", aut quacumque verborum forma concessa sit."

Cum autem peculiaris controversia moveatur circa revocationes Conc. Trid., sit:

Art. II. An et quaenam Regularium privilegia Conc. Trid. revocavit.

§ I. Principia solutionis.

Dico 1) Concilium sane non praejudicavit privilegiis futuro concedendis a R. Pontifice.

dico 2) Falsum est Concilium Trid. omnia Regularium privilegia sustulisse e contra certum est Conc. plura expresse servasse, ut legere est in fine cap. 20, XXV de reg. "In caeteris omnibus praefatorum ordinum, privilegia et facultates, quae ipsorum personas, loca et jura concernunt, firma sint et illaesa."

dico 3) Certum est revocata fuisse omnia privilegia quae adversantur decretis sess. XXV de reg., ita enim expresse statuit ipsum Conc. in cap. finali 22, cit. sess.

dico 4) Certo pariter revocata sunt privilegia quae adversantur aliis ejusdem Conc. decretis quae clausulis irritantibus muniuntur ut ex gr. sess. VII. ref. c. 7; sess. XXIII ref. c. 15 etc. et profecto utraque series revocationis attendenda est aeque in foro conscientiae ac in foro externo.

dico 5) quoad privilegia vero quae procedunt contra leges Trid. non tamen clausula revocatoria munitas: Duae circumferuntur adversae sent.

1) affirmat et haec privilegia sublata fuisse: ejus argumenta sunt: a) quia clausulae revocatoriae cap. 22 sess. XXV rg. extenduntur ad omnia et singula Trid. decreta: sed hoc argumentum fatuum est, nulla clausula enim operatur ultra constitutionem, legem etc. cui apponitur, apponitur porro sess. XXV, ergo; tum quia Trid. expresse quaedam privilegia contra sua decreta agnovit. cit. sess. c. 20; demum quia inutiliter PP. Trid. certis quibusdam cap. addidissent clausulam irritantem. Et ut omnia candide fatear: Venerandae sunt profecto leges Trid. manent tamen, sicut reliquae, leges Ecclesiae: porro principium juris publici nostri est quod lex nova non aufert consuetudines, privilegia etc. nisi earum mentionem faciat. arg. c. Licet, I, 4 in VI. Ergo. — b) alterum arg. deducit ex Const. Pii VI "in principis Apostolorum", 17 Febr. 1565, ap. Richter, p. 485 qua dictus Pont. "motu proprio etc... omnia et singula privilegia... in his omnibus et singulis in quibus illa decretis Conc. Trid. contrariantur, ipso jure revocata, cassata et annullata..."

declaramus ac etiam statuimus". — ad hoc resp. cum Reiffenst. V, 33, n. 146. Hac constitutione Pius IV urget perfectissimam Conc. Trid. observantiam et exsequutionem, sed non in alio sensu quam in quo observari vult ipsum Conc. nam lex corroborans praecedentem necessario debet interpretari juxta mentem et sensum legis quam corroborat. — Ulterius dico, ab auctoribus hujus arg. ostendendum foret quod privilegia, non revocata ab ipso Trid. sint contra Trid., nempe non mere materialiter, sed formaliter et juridice, seu quod idem est quod Trid. revocavit ea quae non revocavit. Noverant profecto PP. Trid. doctrinam cap. Licet. Ubi ergo privilegiorum nullam faciunt mentionem, ea, etsi suis decretis opposita, admittunt et sic dicta privilegia ipso tenore decreti, in suo robore servantur. Nec quisquam ad inscriptionem Bullae "Revocatio quorumcumque indultorum etc etiam Regularibus concess. in his quae Conc. Trid. adversantur" confugiat ut inde sententiam corroboret: scite enim observat P. Piat, t. II, p. 143[1], eam esse non a Pontifice sed a collectore praefixam.

2a sent. et communis inter Regul. negat revocationem horum privilegiorum ita Reiffenst. prae omnibus in hac materia legendus l. c. n. 135-148, Schmalzgr. V, 33, n. 237, Pichler V, 33, n. 26; Ferrar. v. Priv. art. III, n. 58; Suarez, De Legib. l. VIII, c. 18 in fin; Bouix, de Jure Reg., t. 2, p. 81, quorum tota doctrina fundatur in cap. Licet.

Huic sent. favent quaedam resp. S. C. C., eam corroboravit peculiaris Congr. a Bened. XIII instituta, cujus decretum, 16 Maj. 1725, refert. P. Piat, t. 2, p. 143, eam amplexus est ipse Bened. XIII in Conc. Rom. 1725, eamque extra aleam probabilitatis ponit consuetudo, "optima legum interpres", juxta quam Regulares libere utuntur suis privilegiis, nec a Conc. Trid. expresse revocatis, nec per posteriorem constitutionem pontif. sublatis.

§ II. In specie.

Sess. V, de ref., c. 2, tollit privilegium exemptionis a jurisdictione episcopali quotiescumque regularis praedicando haeresim seminaverit.

Sess. VI, de ref. c. 3, episcopus regularem extra claustrum degentem et delinquentem punire potest, revocato privilegio. Cfr. sess. XIV, de ref., c. 4.

Sess. VI, de ref., c. 5, episcopus etiam regularis neminem in aliena dioecesi ordinare potest, nisi de expressa licentia Ordinarii loci — Remoto privilegio et inflicta suspensione non reservata in contravenientem.

Sess. VII, de ref., c. 7, episcopus visitat beneficia curata monasteriis unita, remoto privilegio — Ibid. c. 8, pariter visitat ecclesias quomodocumque exemptas, curam animarum habentes, remoto privilegio. Cfr. complementi causa, sess. XXI, de rf., c. 8; XXV de reg. c. 20.

Sess. XIV, de ref., c. 2, adimit Episcopis titularibus omne privilegium ordinandi alterius subditum, suspensione ad annum statuta in contrafacientem.

Sess. XIV, de ref., c. 11. Translati ex una in alteram religionem ad beneficia omnino sunt incapaces. S. Pius V, ut supra dixi, cassavit omne privilegium contrarium huic dispositioni, tributa ordinario facultate procedendi contra recipientes et receptos, const. "Quaecumque" Bull. R. IV³, p. 49.

Sess. XXI, de ref., c. 2, prohibuit ne ullus clericus saecularis ad sacros ordines promoveatur, nisi prius constet eum congruum ad honestam sustentationem beneficium pacifice possidere. Porro Pius V, const. "Rom. Pontifex", 12 Nov. 1568, revocatis quibuscumque privilegiis, dispositionem Trid. extendit: a) ad clericos regulares non professos, intellige solemniter — nam ex declar. Pii IX, 20 Jan. 1860, professi triennii constitutione Pii V tenentur, in caus. Mexic. ad 1um, ap. Bizz. p. 858; b) et ad saeculares more religiosorum in communi viventium (ie. congregationum). — Excipiuntur ex posteriori beneficio Sedis Ap. clerici Societatis Jesu (Greg. XIII et Greg. XIV); clerici saeculares Doctrinae christ. et qui cum eis communicant clerici SS. Redemptoris.

Poena hodie vigens contra aliter ordinantem est — si tamen intercesserit pactum ut ordinatus non petat alimenta ab ordinante — suspensio triennalis a collatione ordinum, ipso facto; secus, qui clerico in Congregatione viventi, aut religioso nondum solemniter professo, absque titulo beneficii vel patrimonii sacros ordines confert, ad annum tantum a dicta collatione, ipso jure, suspensus manet. Const. Pii IX "Apost. Sedis" tit. de suspens. n. 2 et 4.

Sess. XXI, de ref., c. 9. Quaestorum eleemosynarum nomen et usus tollitur, revocatis cunctis privilegiis – de quo infra, art. 4, huj. cap.

Sess. XXII, tolluntur omnia privilegia quae forent contra decretum "de observandis et evitandis in celebratione missarum".

Sess. XXII, de ref., c. 8. Tollitur exemptio, revocanturque privilegia ita ut omnia *loca pia*, quocumque nomine vocentur, pateant visitationi Episcopi – de quo infra art. 4.

Sess. XXIII, de ref., c. 8. Tollit privilegium quo fere omnes Religiones ante Trid. gaudebant, liberae scilicet promotionis ad sacros ordines a quocumque antistite, imposita ex nunc obligatione suscipiendi ordines a proprio Epo (intellige juxta plures S. C. C. decis. episcopum loci commorationis), adjectis poenis ut infra.

In hac materia praecipue attendenda est const. "Impositi nobis" Bened. XIV, 4 Mart. 1747, ap. Richter, p. 538, qua universa hujus quaestionis historia enarratur et disciplina vigens sancitur. Scilicet Clem. VIII, decreto suo, 15 Mart. 1596, approbans interpretationem S. C. C., statuit: superiores regulares tunc tantum ordinandis suis posse dare dimissorias ad *alium* Episcopum, quando episcopus loci statuto tempore ordinationem non haberet, aut absens foret (item, sede vacante, S. C. C. 21 Aug. 1619) et modo candidatus ab eo Episcopo qui ordines conferet examinetur quoad doctrinam. Ulterius vero juxta Bened. XIV, cit. Const. absentia Episcopi, aut ejus determinatio non habendi ordinationem authentice attestari debet a Vicario Gen., vel a Cancellario, vel a Secretario Epi, sine hoc enim instrumento eis adnexo, litterae dimissoriales forent *nullae*. Juxta S. C. C., 18 Aug. 1888, Act. S. Sed. t. XXI, p. 364 nulla admittitur consuetudo liberans a necessitate attestationis aut generatim a dispositionibus const. "Impositi nobis".

A decretis Clem. VIII, Bened. XIV illi tantummodo liberantur Ordines qui *post* Conc. Trid. obtinuerunt a Sede Ap., et quidem *directe* – sublata omni mutua communicatione in hac parte – privilegium eximens a dispositione hujus cap. 8, sess. XXIII, de ref., ut post alios, quos refert, Pontifices, statuit Bened. XIV, const. cit.; vel quorum privilegia Concilio Trid. anteriora a Sede Ap. in forma *specifica* et *directe* confirmata fuerunt.

[1] Hujusmodi privilegio fruuntur: Societas Jesu ex concessione Greg. XIII "Pium et utile" 22 Sept. 1582; Clerici Reg. Ministri Infirm. (Greg. XIV); Fratres Min. de Observantia (post unionem sub Leone XIII factam, ut

conjicio, omnes Fratres minores) in Indiis occidentalibus existentes (Urb. VIII); Fratres S. Aug. discalc. hispani in Philippinis et Indiis occid. commorantes (Id.) demum alumni S. C. Prop. Fidei, concedente eodem Urb. VIII. Varias decis. S. C. C. legas ap. Richter ad cap. 10, sess. XXIII, p. 197.

Poenae — a) Episcopus: Suspensionem ad annum a collatione ordinum ipso facto incurrit Epus ordinans regularem sine dimissoriis sui superioris, Const. Apost. Sedis. tit. de suspens. n. 3. Ibi enim, juxta unanimem DD. expositionem, verba "sine dimissoriis sui Epi", stant pro "sui Ordinarii" quales sunt superiores respectu Regularis. — Episcopus ordinans Regularem, in sua dioecesi domicilium non habentem, ne eamdem poenam incurrat (licet quidam aliter sentiant; idem enim mihi videtur non habere dimissorias et habere dimissorias ministerio juris nullas) attendat ad dispositionem const. Bened. XIV. cit. juxta quam "nullius sunt roboris ac momenti" dimissoriae, nisi eis adjungatur authentica attestatio de absentia Epi loci, aut de ejus determinatione non habendi ordinationem.

b) Superior obnoxius decreto Clem. VIII, eique non satisfaciens, incurrit privationem officii, dignitatis, vocis activae et passivae, et quidem ut declarat Bened. XIV. l. cit. "ipso facto".

c) Ordinatus ab Epo non suo et dimissoriis destitutus, incurrit suspensionem ad arbitrium proprii Ordinarii. Trid. hoc cap. Cfr. S. C. C. ap. Richter p. 198, n. 3.

Sess. XXIII, de ref., c. 10, Revocat amplissimum privilegium quo Abbates gaudebant ante Trid. conferendi ordines minores, imo et quandoque subdiaconatum, illudque quoad Abbates regulares — de his enim tantum hic agendum — coarctat dupliciter: ita ut in futurum a) tantum primam tonsuram et ordines minores conferre valeant, et quidem b) solis regularibus sibi subditis. — Item, tametsi sint Abbates "nullius", eis aufert privilegium concedendi dimissorias suis subditis saecularibus, hoc enim, juxta S. C. C. spectat ad Epum viciniorem, et qui secus egerit (quoad dimiss.) incurrit suspensionem ab officio et beneficio per annum.

Abbates vero regulares, ut dictos ordines conferre valeant, 1) sint presbyteri, ab Epo benedicti, vel ex privilegio aut juris aestimatione aequiparati benedictis Cfr. S. C. C. apud Richter, p. 198, n. 14; 199, n. 18, vel tandem privilegium Apost. ad effectum habeant. Cfr. ibid. p. 198, n. 12.

2) Suis subditis regularibus eos conferant; hinc neque novitiis, neque oblatis, multo minus subditis saecularibus, sed tantum professis. De

Angelis quidem, Tit. XI, lib. I, p. 197, ait "tantum professis trium votorum solemnium, idem repetit Bargilliat t. I, 2ª edit. p. 236. — Id sane verum erat olim, sed talis limitatio post legem Pii IX de triennio votorum simplicium juncta declar. 12 Jun. 1858, ap. Bizzar. p. 850, n. 6, et solut. ad 1um et 2um causae Mexic. 20 Jan. 1860, ibid. p. 858, jam falsa est. a) quia ex ipsis votis triennii vera nascitur subjectio regularis. b) quia in decl. cit. n. 6, professi simplices expresse participes fiunt omnium privilegiorum quibus solemniter professi in Ordine legitime utuntur. Ergo et hujus. c) quia superiores hisce professis dimissorias ad tonsuram et ad ordines minores concedere valent, si igitur Superior dimittens aliunde facultate gaudeat hos ordines conferendi, profecto per se ordinare poterit, quos ad alium dimittere potest.

Quaeres: Quid igitur si abbas regularis, non obstante decreto Trid. primam tonsuram vel ordines minores conferat Regularibus sibi non subditis, vel saecularibus in suis privilegiis non comprehensis, puta quia superiores regulares, vel etiam Episcopi dimissorias ad ipsum dederunt et Episcopus loci consentiat. Hujusmodi ordinationes, in his adjunctis, suntne licitae, suntne validae?

Resp. 1° quoad liceitatem S. C. C. olim affirmativam amplexa est verum die 23 Nov. 1641, a priori sententia discessit, negans liceitatem actus etiam in citatis circumstantiis, quam responsionem Urb. VIII, 15 Febr. 1642 "approbavit et publicari ac inviobiliter observari jussit", quam sententiam iterum confirmavit S. C. Ep. et Reg. et Pius IX servari mandavit in una Sti Hippolyti (St. Pölten) 20 Aug. 1852, adeas Bizz. p. 128 ubi una cum causa prostat decret. Urb. VIII et legas Bened. XIV de syn. l. II, c. 11, n. 11-13.

Resp. 2° quoad validitatem, eam vindicat Bened. XIV, l. c. n. 13 al. legans plures decis. S. C. C. conformes, vide etiam Richter, p. 198, n. 17; 199, n. 19, 22. Illam negat Lucidi, de Visit. t. 1, c. 6, § 1, n. 31; rem in ancipiti relinquit de Angelis, l. c. p. 198, illam iterum propugnat, et ut videtur rectissime, Santi lib. I, tit. XI. n. 26, 27, nec est cur ab hac affirmatione validitatis quam ipsa denuo probavit S. C. Ep. R. in cit. causa Sti Hippol., vel minime discedamus. Juxta varias resp. S. R. U. Inq. 15 Jul. 1903, S. C. Rit., 14 Dec. 1904, Abbates titulares manus undequaque vacuas habent. Vern. Period. p. 18, 128.

Sess. XXIII, de ref., c. 11. Quoad interstitia servanda, regulares quidem non nominantur, verum S. C. C. declaravit eos comprehendi.

Unde requiritur privilegium Concilio Trid. posterius — et quidem directe concessum — Cfr. cit. const. Greg. XIII "Pium et utile" ut superiores dispensare valeant, vide Richter, p. 200, n. 4, juncto Bened. XIV, de syn. l. IX, c. 16, n. 6, secus dispensatio, spectat ad Epum ordinantem quam unice ob causas a concilio in hoc capite expressas — necessitas utilitas ecclesiae — dabit; ipse tamen quoad existentiam causae debet deferre judicio et attestationi superiorum. S. C. C. ap. Richter, p. 200, n. 5. Unde S. C. Ep. R., superioribus ad quaerendam dispensationem, sequentem proposuit formulam: "Rogamus te, R^ma^ Dñe ut dispensare digneris super interstitia, sicut et nos dispensamus". ap. Bizzar. p. 342. — Haec potestas dispensandi transit quidem ad Vicarium capitularem, ea tamen — exceptio arctatio — uti nequit ante annum vacationis revolutum. S. C. C. ad tenorem cap. 10, sess. VII, de ref. et cap. 10, sess. XXIII, de ref.

Sess. XXIII, de ref., c. 12, requirit in Regularibus ad ordines majores promovendis eamdem ac in saecularibus aetatem, simulque eos subjicit praevio examini Episcopi "privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis". Hoc examen, juxta receptam DD. sent. spectat unice doctrinam, reliquas candidati dotes Episcopus dignoscet ex litteris dimissoriis superiorum. Cfr. S. C. C. apud Richter, p. 198, n. 4.

Ut ergo Regulares jure immunes sint ab examine Episcopi, requiritur concessio Sedis Ap. Tridentino posterior, qualem Societati Jesu indulsit Greg. XIII cit. const. "Pium et utile" 22 sept. 1582. Dixi — Jure — quia de facto, Episcopus cum voluerit stare poterit attestationi superioris regularis quoad competentem ordinandi doctrinam, et praeterea hodie, quoad observatum decr. "Auctis admodum", 4 Nov. 1892, § fin. circa tempus taxatum pro studio S. Theologiae. Cfr. causam Camadul., 13 Jul. 1730, ap. Bizzar. p. 341. — Quicumque in tali examine doctrinae defecerit, non poterit a superioribus ad alium Epum dimitti, ut ab ipso ordinetur. S. C. C. ap. Ferr. v. Ordo, art. 3, n. 67.

Sess. XXIII, de ref., c. 13: "Duo sacri ordines non eadem die, etiam Regularibus conferantur, privilegiis non obstantibus quibuscumque".

Sess. XXIII, de ref. c. 15. Tollit privilegium audiendi confessiones saecularium sine praevia Episcopi approbatione — de quo infra cap. seq.

Sess. XXIV, de ref. matr., c. 1. Si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiam si id sibi ex privilegio licere contendat, alterius parochiae sponsos, sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere ausus fuerit, ipso jure suspensus maneat ad arbi-

trium illius Ordinarii cujus subditus est proprius sponsorum parochus.

Sess. XXIV, de ref., c. 11. Tollit privilegium exemptionis a famulis Regularium, nisi forte eis actu serviant, intra eorum septa ac domos resideant, subque eorum obedientia vivant.

Sess. XXV, decr. "de veneratione SS... de sacris imaginibus". Nemini licere in ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere imaginem, nisi ab Epo approbata fuerit.

Sess. XXV, de reg., c. 22. Revocantur omnia privilegia quae decretis hujus sessionis contraria forent.

Sess. XXV, de ref., c. 4. Tridentinum sicut Episcopis ita et Abbatibus et Generalibus ordinum in suis capitulis generalibus facultatem dat, reducendi ex justa causa onera missarum. Verum hanc facultatem eis abstulit Urb. VIII, decr. d. 21 Jun. 1625, et iterum Innoc. XII decr. 23 Dec. 1697, "quoad onera post concilium Trid. aut in limine fundationis imposita" cit. d. Urb VIII, § 3, vide utrumque decr. ap. Richter, p. 141, 146.

Art. III. De privilegio exemptionis.

De hac quaestione agit lib. III, tit. 36. De religiosis domibus ut Episcopo sint subjectae. Vide Commentatores ibi.

Exemptio definiri potest: privilegium quo persona, coetus, vel etiam locus subtrahitur a jurisdictione Ordinarii ut immediate altiori auctoritati subjiciatur puta Primati, Patriarchae praecipue vero — secundum praesentem disciplinam — ipsi Romano Pontifici. Tali privilegio gaudent quandoque ecclesiae, capitula collegiata (St. Dyonis) universitates, etc. Praelati saeculares, imo ipsi Episcopi respectu Metropolitani (Argentin. Meten.). Quibus omnibus omissis, agendum nobis est unice de exemptione Regularium a jurisdictione Episcopi dioecesani, dicturi in articulo proximo de causis in quibus regulares, non obstante exemptione, auctoritati sive ordinariae sive a Sede Ap. delegatae sui Episcopi subsint oportet.

I. Momentum historicum. Quodnam institutum ecclesiasticum acriores habuerit detractores, difficile est dictu. Voces prorsus inconditas extulerunt innumeri: perinde ac si regularium exemp-

tione, quae manifeste partim in ipsa rerum natura, partim in justissima Ri. Pontificis voluntate fundatur, omnia jura divina conculcarentur, et filii, ut asserunt, in patres armarentur. Verum odii effusio utut eloquens non est veritatis demonstratio. Nemo, quod sciam, negavit veros et luctuosos in hac materia excessus, tum ex parte regularium, tum ex parte Episcoporum, et sane hujus rei testem habemus ipsum Corpus juris in cujus libro V stat tit. 31: de excessibus Praelatorum et iterum tit. 33: de privilegiis et excessibus privilegiatorum. Sed quid inde? Continuone universa quibus homines male abusi sunt de medio auferemus? Quid supererit? Igitur non ipsa regularium exemptio abroganda est, sed excessus compescendi sunt, quod praestitit Conc. Trid. ita ut justae querelae de excessu exemptionis hodie vix moveri possint, idque articulus proxime sequens manifestum reddet.

Quod si eruditi Janseniani et Gallicani asseruerunt exemptiones Regularium felicioribus antiquitatis saeculis fuisse ignotas, adscribendas vero falsis decretalibus et ambitioni R. Pontificum monachorumque per saecula ferrea medii aevi, id inepte dictum est erroremque historicum continet duplicem, ut statim patebit.

Ut supra capite III habitum est: vitae monasticae exordia ad medium saec. IV referenda sunt, ejusque terra natalis fuit Aegyptus. Monachi illius aetatis, non tantum omnes erant laici, subjiciebantur Epis ut laici, minime vero more clericorum quod ipse Van Espen confiteri cogitur, Jus eccl. univ. Part. III, tit. 12, cap. 1, n. 2-5. Nulla tunc temporis exemptio, difficultas exinde nata nulla. Missas enim facio quibus nimis fidunt Bouix t. 2. p. 88 et D. Chamard, de l'exemption monastique, Revue des Quest. hist. 1877, p. 449, epistolas ad vel contra Joannem episc. Hierosolym. a S. Epiphanio (390) P.L. t. 22, 517, a S. Hieron. ibid. col. 470, n. 6 in causa ordinationis Pauliniani scriptas. Cfr. etiam P.L. t. 23, 393. Hic enim, meo judicio, nec vola nec vestigium exemptionis habetur sed qualescumque facti insoliti excusationes.

Vertente saeculo V prodiit e coetu monachorum orientalium genus vaferrimum gyrovagorum et Sarabaitarum: haec verissime luxuriatio in Christo: inquieta, jugi impatiens, barbam et sordidum cultum ultra modum amplificans, pietate destituta, aliorum vero pietatem astute expilans, ordinem insuper socialem exturbans dum servos pro lubitu a subjectione herili solvebat. Ambulabant bini vel terni insimul, sine magistro, absque duce, modo hic, modo in alia civitate

sedem figentes. Cum porro haec pestis ipsam Constantini civitatem invasisset Marcianus imp. Patres Concilii Calced. rogavit ut remedium tanto malo velint afferre, vide action. VI h. concil. ap. Mansi t. 7. p. 174. Id praestiterunt Patres can. 4 et 8, l. c. p. 359, 362 (ap. Grat. c. 12, C. XVI, q. 1 et c. 10, C. XVIII, q. 2) in quibus primo honorem deferentes iis qui vere pureque solitariam vitam agunt, deinde contra gyrovagos decernunt: "placuit neminem aedificare monasteria sine conscientia ipsius civitatis Epi — qui canon hodiedum viget — eos que qui per singulas civitates in monasteriis sunt, placet Epo subjectos esse". — Haec fusius retuli ut celeberrimi canonis occasio et genuinus sensus rite perspiciantur. Per ultimam dispositionem nihil innovatum est pro veris monachis, id enim ab initio observaverant, nec demum per priorem quamdiu monasterium nec in civitate nec in suburbiis erigerent.

Utramque legem strictius ediderunt in galliis, saec. VI, varia concilia ut Agatense (an. 501) can. 27 et 58 = can. 12, 18, C. XVIII, q. 1; Aurelianense (an. 511) = l. c. can. 16; et Arelatense V (an. 554) = l. c. can. 17, ita ut abbates qui tunc ut plurimum augebantur sacerdotio, hoc ipso, ut conjicio titulo "in potestate Episcoporum consisterent", "monachi autem Abbatibus omni obedientia subjacerent". Abbas nempe a monachis electus, si recte sentiam, ut parochus monachorum ab Episcopo instituebatur et hanc ob rationem, sicut reliqui sacerdotes curam animarum exercentes, ab Episcopo pendebant, minime autem monachi, quippe qui laici sunt; nec abludit Conc. Toletan. IV (an. 633) = c. 1, C. XVIII, q. 2.

Qua ratione in Oriente exemptiones natae sunt indicat post Bolland. Acta SS. Aprili. t. 3, p. 49, Mabillon, Annal. benedictin. t. 1. p. 390. et late prosequitur Thomassin Discipline de l' Eglise. I Part., Liv. 3, chap. 31. Scilicet inde a saec. VII Patriarchae Constantinopolitani nonnullis monasteriis concesserunt ut nulli alii episcopo subjecta forent, sed sub unica patriarchali viverent jurisdictione. Monachos hoc ratione exemptos Patriarcha per specialem exarchum visitabat atque curabat. Hoc exemplum reliqui Orientales Patriarchae in propria ditione mature imitati sunt, infigentes in signum concessae exemptionis crucem patriarchalem in fundamenta monasterii = stauropegium. Quod jus stauropegii consuetudine introductum Germanus Patriarcha Cnst. ineunte saec. VIII accurate definivit et ca-

nonizavit, vide Thomass. l. c. et cfr. Balsamon P. Gr. t. 137, col. 93. Accesserunt dein et monasteria imperialia quae nulli archiepiscoporum vel episcoporum dominio subjecta erant.

Auctoritas concilii Calc. ob reclamationes Sedis Ap. contra intempestivum can. 28 (de patriarchatu Const.) non statim indubia fuit, et omnibus perpensis, ut videtur, ejus canones disciplinares nonnisi post vulgatam versionem Hispanam, vel Dyonisii Exigui in Occidente practice recepti sunt. Quam conjecturam corroborat aetas conciliorum gallicanae ecclesiae quae superius citavi — etiam de in occiduis partibus monachismus nonnisi saec. V (400–450) vivescere coepit. Jam si quaeras qua conditione libertatis vel subjectionis respectu Episcoporum primi apud nos monachi vivebant, id tibi manifestum erit ex dispositione celebris concilii Arelat. I. Ravennius metropolita illud congregavit an. 451/452 ad sedandam litem inter Theodorum episc. Forojuliensem et Faustum tertium Lirinensem Abbatem obortam. Utriusque contendentis gesta fuse narrat Mabillon Anal. Bened. t. 1. p. 16, Mansi t. VII, 907. Punctum controversiae in eo erat quod Theodorus, contra conventionem inter proprium decessorem et S. Honoratum (supra p. 63) Lirinensis coenobii fundatorem initam nova jura in Lirinenses vindicabat, Fausto ipsi refragante. — Sententia PP. fuit: "Placuit … ut Theodorus Faust… in pace reciperet … hoc sibi tantummodo vindicaturus quod decessor suus s. m. Leontius episc. vindicaverat: i. e. ut clerici et altaris ministri a nullo nisi ab ipso, vel cui ipse injunxerit ordinentur; chrisma nisi ab ipso speretur; neophyti si fuerint, ab ipso confirmentur: peregrini clerici absque illius praecepto in communionem vel ad ministeria non admittantur. Monasterii vero omnis laica multitudo ad curam abbatis pertineat neque ex ea sibi Epus quidquam vindicet, aut aliquem ex ea clericum ordinare, nisi abbate petente praesumat. Hoc enim et rationis et religionis plenum est, ut clerici ad ordinationem (male D. Chamard vertit: à l'ordination t. quest. hist. l. c. p. 454) si debita subjectione respiciant. Laica vero omnis monasterii congregatio ad solam ac liberam abbatis proprii quem sibi ipsa elegerit ordinationem pertineat; regula quae a fundatore ipsius monasterii dudum constituta est, in omnibus custodita." Lege egregium commentarium Mabillon, l. c. p. 17.

Canonem cit. ex toto retuli, tum quia id quod quaerimus cumulate exponit, tum praesertim quia, ut sapienter monet Mabillon l. c., cito-

P. S. 36.

sequentibus monasteriorum exemptionibus formam dedit: et sane multa concilia sequioris aetatis hanc normam probarunt.

Saec. VI videmus Primates carthaginenses, probante Conc. Carth. 525, sibi vindicare jus assumendi in propriam tutelam, et ideo eximendi a jurisdictione cujuslibet Epi suae ditionis, quotcumque id postulaverint monasteria. Unde statuunt PP. laudati conc. "Erunt igitur omnia monasteria sicut semper fuerunt a conditione clericorum libera omnibus modis (clericis quippe invito Epo propris ad alium transire fas non erat), sibi tantum et Deo placentia. et sic habes novam radicem exemptionis. Occasionem et historiam hujus concilii legas apud Mabillon t. cit. p. 38 sq. Mansi VIII, 653. — Hoc factum prima fronte singulare, si penitius inspicias, resolvitur in applicationem peculiarem cujusdam principii universalissimi quo tota haec materia exemptionis usque ad tempora Mendicantium, saec. XIII, regitur. Videlicet: quicumque fundat monasterium ex propriis bonis et in loco qui non pertineat ad aliquam ecclesiam, modo insuper ipse fundator nullius episcopi subditus sit ratione clericatus, monasterium subjicere potest auctoritati cujuslibet Epi quem elegerit. Nonne hac ratione Petrus Venerabilis exemptionem Cluniacensium vindicat contra Cisterciensium impetus: eam nobis contulerunt RR. Pontifices "a fundatoribus qui eam (eccles. Cluniac.) <u>in propris alodiis</u> construxerant rogati", P. L. t. 189, col. 138 — Apposite Thomassin l. c. c. 31, n. 9. "Il n'y eut jamais de fondement plus légitime d'un privilège que la volonté des fondateurs qui sont libres de donner leurs biens et de se donner eux-mêmes à qui il leur plait."

Accessit eadem saeculo VI, an. 534, alterum Concilium Carthag. confirmans allegatum agendi modum Primatis Carthag. et praeterea statuens "Caetera monasteria etiam ipsa plenissima libertate fruantur servatis limitibus conciliorum suorum in haec dumtaxat: ut quandocumque voluerint sibi clericos ordinare, vel oratoria monasteriis dedicare, Episcopus loci... hanc gratiam compleat, salva libertate monachorum, nihil sibi in eis praeter hanc ordinationem vindicans, neque ecclesiasticis eas conditionibus aut angariis subdens. Oportet enim in nullo monasterio quemlibet Epum cathedram collocare... nec aliquam ordinationem quamvis levissimam facere, nisi clericorum, si voluerint habere. Esse enim debent monachi in abbatum suorum potestate." electio abbatis spectat privative ad monachos. Causarum judices in prima instantia sunt abbates in enim

congregati, judex appellationis Primas etc. Mabillon, l. c. p. 40 – Mansi VIII, 841. – Porro quicumque auctoritatem qua ubique gaudebant Concilia Carthag. perpendere velit, jam videt ex allegatis qua ratione in Occidente exemptio monachorum ortum et progressum habuit.

Saeculo VII in Occidente, maxime in Gallia frequentes occurrunt monasteriorum exemptiones. Cujus rei signum manifestum habes in formulis Marculphi monachi Landerico Meldensi chorepiscopo + c. Epo dedicatis. Prima omnium tradit paradigma concedendae exemptionis, in eaque dicitur" monasteria modo innumerabilia per omne regnum Francorum sub libertatis privilegium (sic) videntur consistere." P. L. t. 87, 697; cfr. ibid. col. 869 vetustissimam formulam "qualiter privilegium condatur" a Baluze editam. Attendas porro quomodo ea aetate non modo laici fundatores monasteria a se erecta Epo beneviso subjiciebant, sed et ipsi Epi monasteria quae erigebant, aut in sua dioecesi inveniebant, ut plurimum exemptione modo parciore modo ampliore, donabant. Cfr. v. gr. in actis Concil. Carth. sup. cit., exemptionem quam Bonifacius Primas Byzacenus contulit sanctimonialibus, Mabillon l. c. p. 39 et S. Fulgentius Ruspensi suo monasterio etc., ib. p. 40. Tunc persaepe hac aetate (saec. VII–IX) Epi, ne a successoribus exsufflari possit, privilegium coenobio concessum, in tutelam synodi provincialis reponunt. Cfr. inter innumera diplomata specimen elegantissimum anno 658 ab Emmone confectum, a 27 Epis subscriptum, a Mabillon editum, Analect. Ben. t. 1. p. 412.

Et tametsi libenter concedam exemptiones hujus aetatis nondum attigisse illum amplitudinis et efficaciae gradum quem saec. XI invexit; cfr. v. gr. exemptionem a Greg. VII Cluniacensi monasterio an. 1077 concessam: "volumus ut nulla persona... non archiepiscopus, non episcopus, nec etiam aliquis legatus meus supra illum locum... unquam buccam suam aperiat aliquamve exerceat potestatem", P. L. t. 159, col. 188, minime tamen audiendi sunt Thomassin op. cit. liv. 3, chap. 26-31 et Van Espen loc. et tit. cit., c. 2, utrque suo modo exemptionibus infensus, dum ad nauseam objiciunt: privilegia hujus aetatis monachos a nulla jurisdictione Episcoporum solviase, sed universe pacificae rerum temporalium possessioni consuluisse. Cfr. Bouix t. 2, p. 109. Haec enim habeat in aliquo casu peculiari, generaliter autem assertio veritati non congruit. Ut enim monachi, universe a jurisdictione Epi liberati, sub abba-

tis auctoritate consistebant; ipsi porro Abbates in causis tantum a jure expressis (cfr. supr. cit. conc. Carth. an. 534), quarum numerus sensim sine sensu per privilegia imminuebatur, Epis subjiciebantur. Confitendum igitur est: consuetudinem appositam dispositioni can. 4 Conc. Chalced. et disciplinae a syn. Aurelianensi an. 511 = can. 16, 29, C. XVIII, q. 2 innovatae, jam hac aetate praevaluisse, inconcusso manente principio SS. Chalced. de tollendis monachis ἀκεφάλοις, ut egregie habet epist. Paschalis II = can. 18, cit. C. et q.

Alia radix exemptionum per haec saecula VII–XI, et quidem fecunda, erat pia regum liberalitas, quippe cum omnia monasteria a familia regia erecta – monasteria regalia – eo ipso jurisdictioni Episcoporum subducebantur et visitationi archicapellanorum subjiciebantur. Cfr Fleury, Hist. eccl. t. IX, liv. 43, p. 396 et Du Cange, gloss. lat. s. Monasteria regalia.

Ex hucusque dictis, quaeque brevitatis causa delibare tantum datum est, jam apparet quam putido mendacio nonnulli contendunt exemptiones a R. Pontificum ambitione originem duxisse. Nonne b. Petri successores, et meliori prorsus jure, sibi vindicare poterant, quod nemine reclamante, Primates Carthag. et orientales Patriarchae jam dudum agebant. Accipe porro quanta moderatione R. Pontifices in hac materia processerunt. Primis quidem temporibus id tantum concedebant ut privilegia ab Epis, a synodis provincialibus, a regibus coenobiis jam concessa sua auctoritate corroborarent: ut Hormisdas preces S. Caesarii Arelat. in favorem monasterii monialium suscepit, ut Vigilius libertatem coenobii Montis majoris in agro Arelatensi a. 550 confirmavit, P. L. t. 77, 1042, cfr can. 9, C. XXV, q. 2, ut S. Greg. magnus ad preces reginae Brunechildis Augustodunensi xenodochium an. 602 libertate quadam donavit, vide can. 39, C. XVI, q. 1 et P. L. t. 77, p. 1259, ep. 6, 7. Cujus R. Pontificum rationis agendi testem habes omni exceptione majorem, Librum scilicet Diurnum formulis Marculphi fere suppares, lege ibi, P. L. t. 105, n. 1–12, col. 105–111, formulas privilegiorum, ultima tantum veram ab Episcopi jurisdictione exemptionem concedit.

Ulteriorem et necessarium gradum fecerunt R. Pontifices ad defensionem monachorum contra usurpationes, vexationes et exactiones Eporum, saec. VI et sequentibus. Horum enim non pauci monachos et monasteria graviter laedebant, sive immixtione in electionem Abbatis et regimen societatis, sive temeraria monachorum ordinatione ex coenobio avocatione,

utut Abbas contradiceret; sive demum vexatione multimoda: reali; pecuniaria ob ordinationem, chrisma etc.; personali angariantes monachos ad episcopalia servitia; locali invadentes monasteria et ecclesias cum clero et populo etc. Contra hos vitae regularis perturbatores praecipue incessit S. Greg. magnus, ut videre est ap. Grat. C. XVI, q. 1, can. 18, 22, 34, 37; C. XVIII, q. 2, can. 4, 2, 5 (= can. 24 concilii Rom. an. 601, quem ut ejus vim effugeret, frustra prorsus addubitavit van Espen, l. c. c. 2. n. 8), 6, 19 etc., neque negabo majorem monachis libertatem ex hac tuitione Sedis Ap. enatam.

Saeculo VII–IX Ri Pontifices pauca quaedam monasteria exemptione donarunt: ut Honorius I. Bobbiense an. 628, P. L. t. 80, 483; Zacharias Casinense 748, et Fuldense 751. P. L. t. 89, 954 (diploma pluribus suspectum, Sickel in sua edit. Libri Diurni p. 216, genuinum demonstravit; cfr caeteroquin testimonium fere coaevum P. L. t. 105 p. 440). Cave tamen, cum apud historiographos illius aetatis legeris aliquod monasterium Sedi Ap. annuum censum persolvisse, ne statim inferas ejus exemptionem; multa enim censum annuum solvebant tantum in testimonium protectionis Sedis Ap. sibi specialiter vel impertitae, vel promissae, ut clare expressit Alex. III, cap. 8 de Privil. V, 33, cfr ibid. c. 18, et cap. 10. eod. tit. in VI. Pariter, neque formulae quae saepius in bullis occurrunt: "monasterium... sub tutela, sub tuitione, defensione, protectione, patrocinio b. Petri vel S. R. Ecclesiae suscipimus" per se sonant in exemptionem, sed tunc tantum ubi modus ipsius "susceptionis" exponitur per verba excludentia omnem aliam jurisdictionem in dicta loca. Vgr "nec ibi cujuslibet Ecclesiae sacerdotem praeter Sedem Ap. ditionem aliquam habere permittimus; sub nullo alterius jure vel potestate consistat; nunquam dono-xium sit servituti alterius ecclesiae etc." Cfr. Phillips, Kirchr. t. 7, p. 954.

Demum Ri Pontifices absolutissimam exemptionem concesserunt monasterio Cluniacensi, sive munus ab initio, cum ineunte saeculo X Guillelmus Aquitaniae dux et ejus uxor Ingelberga, monasterium condidum in jus b. Petri transtulerunt, saltem paucis subsequentis, vide bullam Bened. VIII an. 1016, Bull. R. t. 1, p. 532. Et sane, ut optime ait noster Greg. VII in dipl. confirm. concessionis an. 1075: "nam... ecclesia Cluniacensium sub tuga Sedis Ap. mirabilis in illis turbationis temporibus, tum quia ... tum nullus unquam abbas ibi fuit qui sanctus non esset" vide ... P. L. t. 148, col. 490. ... tibi initium plenae exemptionis ... emergunt ...

Quod multi saec. XI–XII Abbates ... sed potius ex ambitione subjectionis vitandae, quandoque ...

num falsarii consimile sibi privilegium quaesiverint, id confitendum, et humanum dico, id non omnino demirabitur quicumque conditionem illius temporis perspexerit. Ea quippe aetate primor Europae juventus claustra petiit, ad dignitates ascendit, insimul hac ipsa aetate abbatibus coeperunt indulgeri insignia: chirotecae, sandalia, infulae etc hucusque solis Episcopis propria. Inde succrevit saepius plenae independentiae aviditas.

Hac monitione praelucente legas jam duas in hac re acerrimas Petri Blesensis epistolas, priorem ad fratrem P. L. t. 207, col. 281, posteriorem ad Alex. III circ. 1180 P. L. t. 200, 1456, quae, licet verba b. Bernardi tumenti rhetorica amplificet, nihilominus confitetur "scimus quod ob quietem monasteriorum et episcoporum tyrannidem has exemptiones plerumque Rⁱ Pontifices indulserunt."

Id porro longe gravius: — et hanc difficultatem praeterire nec volo, nec possum — ipse b. Bernardus exemptiones, quas passim "emancipationes" notat, acerbissimo insectatus est calamo: in epist. ad Henricum Archiep. Senon; alias opusc. de morib. et officio Eporum, c. IX, n. 33, 35, 36, script. 1126/27, P. L. t. 182, 830, et iterum lib. III, c. 4 de Consid. script. c. 1152. Hic tamen, juxta promissionem alias Innoc. II factam, P. L. t. 182, col. 382 dedit "zelo suo temperamentum"; melioraedoctus, ut conjicio, a Petro Venerabili qui simultates Cisterciensium ob causam exemptionis suaviter quidem sed fortiter repressit, P. L. t. 189, col. 137. Hinc doctor mellifluus l. c. de Consid. approbat exemptiones ex utilitate publica vel ex voluntate fundatorum concessas: "aliud enim est quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio impatiens subjectionis."

Respondeo igitur ad auctoritatem b. Bernardi, quae nobis in dies objicitur: 1) Sᵗᵘᵐ Doctorem recentiori hac restrictione corrigere et ad tramites aequitatis reducere priorem vehementiam, quae propterea tota effunditur contra pravam mentem petentium ut supra exposui. — Si quid ulterius vellet, adderem statim: 2) cum Petro Ven. l. c. col. 139: impossibile est tot R. Pontifices scientia et sanctitate fulgentes" aut decipi in talibus potuisse, aut contra conscientiam suam talia agere voluisse". 3) addam ulterius, quod acute Viollet post D. Géa observat: "Si les premiers Cisterciens ne jouissent pas de l'exemption proprement dite, ils en ont l'équivalent." Viollet, Hist. des Institut. polit. de la France 1898, t. 2, p. 380. Id scilicet in moribus habebant, ut quotiescumque Epus loci recusaret subscribere eorum "chartam charitatis", vide supra p. 70, ipsi recusabant

aedificationem coenobii; ideoque fruebantur de facto ea quam sibi utilem et necessariam reputabant exemptione. Respondeo 4) quod plures fugisse videtur: ipsum S. Bernardum Claravallensi et Cisterciensi abbatiis efflagitasse et amplissimas obtinuisse exemptiones a jurisdictione cujuscumque archiepiscopi, Epi... Testem invoco ipsum Innoc. II qui in diplomate concessionis an. 1131 ait: "Tuis justis desideriis accommodantes assensum.... Prohibemus ne aliquis archiepiscopus vel Epus, te vel successores tuos .... etc. P. L. t. 182, p. 555. Quae ratio agendi abbatis Claravallensis mea sit perfecta liberatio a facie incante objicientium.

Alia exemptionis causa enata est ex dispositione can. 13 Conc. Lat. IV = c. ult. de relig. domib. III 36, juxta quam approbatio novae religionis Sedi Ap. tanquam causa major reservabatur. Sicut enim hodie videmus congregationes modernas ex approbatione S. Sedis aliquam ab ordinariis reportare independentiam, ita et tunc ordines. Demum eodem tempore, 1217, orti sunt Mendicantes, et cum ipsis exemptio novi generis, amplior, efficacior, afficiens non jam unum alterumve coenobium independens, aut domum principaliorem cujusdam congregationis, vg. Cluniac., sed integrum ordinem, nova ratione in provincias distributum et sub Praeposito generali constitutum (cfr supra p. 80, 83, praesert. 121). Mendicantes licet ex parte vitam monachalem retinerent, votum tamen stabilitatis localis, quo usque tunc monachismus passim regebatur, abrogarunt, profecturi ad labores apostolicos in varias mundi plagas. Ordinibus porro ita constitutis, aut mors in incunabulis, aut ampla exemptio ab ordinaria Eporum jurisdictione necessaria erat. Cfr Bouix, t. 2, p. 111. Quapropter RR. Pontifices, ex laboribus bb. PP. Dominici et Francisci futura filiorum merita praesagientes, omni cunctatione seposita novis ordinibus necessariam ab Epis locorum libertatem contulerunt, qua medicantes tunc temporis minime abusi sunt, sed potius innumeras ex parte Eporum vexationes sustinuerunt. Testis earum sit tibi Greg. IX in binis epist. encycl. quas vide cap. 16, 17 de Excess. Prael. V, 31.

Abusus ea aetate arguuntur nominatim Templarii et fratres Hospitalis i.e. Sti Joannis, contra quos "vehemens Eporum conquestio" facta est in Conc. Lat. III, 1179, cfr. de Privil. et excess. priv. V, 33, cap. 3, adde 5, 7, 10, 15, 20 ut nihil reticeam, non omittas c. 4 eod. tit. quod inscriptione sua et dispositione enumerata statum quaestionis nostrae, quoad illa tempora, satis manifestat. Vide pariter c. 13, 26, h. tit. in quo Cluniac-

censes exponunt Honorio III "judicium Judaeorum" sibi ab Epis reservatum.

Concilium Viennense 1312 huic dissidio qualecumque remedium attulit, dum cap. 2, de Privil. in Clem., jura Eporum non nihil extendit, et cap. 1, eod. tit., religiosis sub poena excommunicationis lat. sent. Sedi Ap. reservatae interdixit ac imperavit ne clericis aut laicis sacramentum extremae unctionis vel Eucharistiae ministrarent, matrimonia solemnizarent sine licentia parochi, vel etiam a canone excommunicatos pro libitu absolverent, etc.

Necessitas pecuniaria in causa fuit cur post Viennense Conc. Pontifices Avenione sedentes, sicut reservationes, ita et exemptiones in dies multiplicarent. Orto dein schismate occid. quo perinde ac Ecclesia universi ferme Ordines religiosi in duas partes scissi sunt, omnis auctoritas, omnis prudentia vacillare coepit, et abusus privilegiatorum ultra modum excrevere. Quapropter composito exitiali dissidio, Patres Conc. Constant. sess. 43, probante Mart. V (1417), universas exemptiones inde a morte Greg. XI, 1378, i.e. durante schismate concessas revocarunt.

In concilio Lat. V Epi novas contra exemptos moverunt querelas, quibus satisfecit Leo X, Const. "Dum intra" 1516, Bull. R. t. III, 3, p. 447, declarans Epo loci subjectum omnem regularem qui et quatenus curam animarum tamquam parochus exercet.

Opportunum et salutare remedium attulerunt demum Patres Tridentini qui firmum retinentes principium et favorem exemptionis pro regularibus, ejus tamen extensionem ad sanos reduxerunt terminos, minuentes ipsam amplitudinem illis calamitosis temporibus [illegible] collegerunt auctoritatem, ita ut, stante exemptione, nihilominus in determinatis casibus ordinarie, in quibusdam a Sede Ap. delegati, vel etiam utraque simul fungentes potestate [illegible] Regularium.

Despicientes [illegible] hanc legislationem, RR. Pontifices variis constitutionibus [illegible] atque in dies dilatare non dubitarunt. Ita Pius IV "In Principis", 18 Febr. 1564, ap. Richter, p. 485. Sane Pius V Regularibus multa privilegia de novo concessit, Const. "Etsi mendicantium", 1567, Bull. R. t. IV², p. 378 et Const. "Ex supernae", 1567, l. c. p. 379: verum Greg. XIII, Const. "In tanta rerum" 1578, B. R. t. IV³ p. 251 has largitiones ad limites juris Tridentini revocavit; insuper Const.

"Inscrutabili" 1624, una cum decreto S.C.C., ap. Richt. p. 543, regularium jura et obligationes quoad sacra ministeria abunde circumscripsit. Huc spectant pariter const. "Superna" Clementis X, 1670, ap. Richt. p. 546; "Speculatores" Innoc. XII, 1694, l.c. p. 535; const. "Romanus Pont." Clem. XII, 30 Mart. 1732, revocans 12 constitutiones benignissi Bened. XIII, vide Ferrari v. Privil., art. III, n. 64. Benedictus XIV const. "Apostolicae servitutis" Bull. B. t. 2. p. 60, 1743, praesertim const. "Firmandis", 1744, ap. Richt. p. 588, vigentem disciplinam more suo doctissime exposuit et accurate determinavit. Ultimam demum manum apposuit Leo XIII, const. "Romanos Pontifices", 8 Maj. 1882, Collect. S.C. Prop. Fid. p. 152, qua exemptionem Regularium in locis missionum, vindicavit et definivit.

Abusus ergo de medio sublatos voluit Ecclesia, minime vero abrogatam exemptionem "cujus utilitas, ait Greg. XVI, ecclesiasticis sanctionibus longaque saeculorum plurium experientia et vel ipsa haereticorum et incredulorum in illam odio comprobata est." Hinc cum in Conc. Vatic. non pauci Galliarum Epi postularunt: "exemptiones regularibus de novo non concedi et jam concessas ita moderate temperari ut supprimantur quantum possibile erit", Coll. Concil. Lacens. t. 7, p. 836, Leo XIII in cit. const. "Rom. Pontifices" declaravit "Quo melius in religiosis ordinibus omnia essent inter se apta atque connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur, denique ut esset incremento et perfectioni religiosae conversationi, haud immerito R.i Pontifices quorum est dioeceses describere ac suos cuique subditos sacra potestate regundos adtribuere, clerum regularem Eporum jurisdictione exemptum esse statuerunt."

Ideo demum rem suam reputat Sedes Ap. exemptionem regularium, et hi, juxta leges canonicas, nec licite nec valide ei renunciare illamve deminuere possunt. Cfr. c. 5, de Arbitris I, 43; c. 2, de integr. restit. I, 41; atque epist. Card. Praef. S.C. Ep. R. ad Epos Galliae diei 10 Jul. 1901, occasione legis civilis de associat., doc. ap. Vermeersch, t. 2, p. 455.

<u>Scholion</u>. Hactenus de exemptione quae respicit Ordines proprietales. Hujusmodi privilegio per se non fruuntur Congregationes modernae, non dioecesanae ut in terminis evidens est, et clare exprimitur in const. "Conditae" part. I; verum in rigore neque illae quae juris dicuntur Pontificii, quippe cum juxta stylum Sedis Ap. approbantur "salva Ordinariorum jurisdictione ad praescriptum SS. Canonum et Apostolicarum constitutionum." Nihilominus adeo evidens est necessitas unitatis disciplinae, regiminis et actionis in his etiam Institutis quae

que salvari minime posset, si singuli, per quorum dioeceses diffunditur Institutum, Epi in has causas internas auctoritate sua se immiscerent, ut Sedes Ap. quasdam Congreg. jam dudum quoad regimen et disciplinam internam ab auctoritate Eporum absolvit: ita Innocentius X, 30 Jul. 1647, Patres doctrinae christianae, Alex. VII, 22 Sept. 1655, sacerdotes Missionis (Lazaristes), Benedict. XIV, 21 Jan. 1758, Patres Oratorii, tres congregationes saeculares, hac immunitate donarunt. Ulterius progediens Leo XIII, constitutione sua "Conditae", 8 Dec. 1900, parte II, n. 1, 2, 9, 11 presse circumscriptam immunitatem constituit pro universis Congregationibus juris Pontificii, ita ut non immerito diceris eas hodie partiali exemptione donatas. Haec autem talis est, ut Epus nulla gaudeat quoad haec puncta potestate Sedis Ap. delegatâ; unica exceptio n. 2 indicata est, qua Epus tq. Sedis Ap. delegatus praesideat, in Congr. mulierum, capitulo generali "ad munerum assignationem" i.e. ad electionem Superiorissae generalis, assistentium etc. convocato. Demum nonnullae Congregationes ex indulto specifico Sedis Ap. obtinuerunt exemptionem eamdem quae Regularibus propria est. Ita Passionistae, Clerici SS. Redemptoris.

II. Causae concedendi Regularibus exemptionem plures sunt et quidem graves quae partim ex ipsa rerum natura, partim ex justissima R. Pontificis voluntate oriuntur. Eas paucis enumerat Leo XIII, in Const. "R. Pontifices" modo allegata et fusius evolvit Bouix t. 2, p. 110-115.

α) Ex natura rerum: ut consulatur unitati sociali, regiminis et actionis Ordinum; hoc enim statim corrueret si sodalitas religiosa tot haberet capita, et quidem ut est episcopus respectu coepiscopi, ab invicem independentia — ut consulatur quieti et paci regularium — ut spiritus constitutionum et regularis observantia subsistere valeant; qui enim vitam regularem nunquam vixit vel sub alia regula militabit, quomodo id praestaret. cfr. Petrum Bles. lib. III, epist. 28. P. L. t. 207.

β) Ex justissima R. Pontificis voluntate: Quia per exemptionem vita religiosa commendatur et facilior efficitur — Quia hac ratione R. Pontifex dum jura Primatus a Xto accepti exercet, efficacius ad manum habet milites qui jura Sedis Ap. tuerentur, efficacius praeservat Regulares siqui ad errores vel schismata deflecterent ipsi ecclesiarum Praelati. Recte omnino P. Piat, t. 2, p. 7. "per regulares

exemptos servata est fides in Anglia et in Batavia".

III. Quotuplex esse potest:

1º Personalis, quae directe afficit personam eique inhaeret et ambulat cum ea.

2º Localis quae directe afficit monasterium, ecclesiam etc., indirecte tantum personas, quia et quatenus sunt in loco exempto, unde personae extra illum locum sunt de jurisdictione ordinarii ratione delicti, contractus rei sitae etc.

3º Mixta quando simul et locus et personae ordinariae jurisdictioni subtrahuntur. Porro id variis gradibus verificari potest: a) ita ut personae quae in dicto loco, monasterio vel ecclesia consistunt et eorum Praelati gaudeant tantum passiva exemptione a jurisdictione Epi, ut sunt generatim Regulares et eorum superiores. vel b) ita ut Praelati acquirant insuper aliquam jurisdictionem activam in clerum vel populum extra monasterium, quin tamen locus censeatur a dioecesi avulsus, seu ut alii loquuntur loco manente in, licet non de dioecesi, quales sunt frequenter ecclesiae abbatiales. c) demum ita ut Praelatus acquirat jurisdictionem activam in clerum et populum loci, oppidi separati a cujuscumque Epi dioecesi, unde fit iste locus quasi-dioecesis, cum proprio Ordinario, et dicitur "Nullius", nempe dioeceseos. Exstant hujusmodi loca "Nullius" praelatis regularibus vel saecularibus subdita 20, quae recense cl. Battandier, Annuaire Pont. 1906, p. 322 ss. Cfr. Bened. XIV de Syn. l. II, c. 11, n. 2-4.

4) Exemptio esse potest tam in capite quam in membris, ita ut exempta sit non tantum domus principalis, sed et capellae, oratoria, beneficia etc. quae pendent ab ipsa; vel potius in capite tantum, nempe cum solus locus principalis eximitur, accessoriis sub jurisdictione Epi remantibus. Exemplum habes in cap. Ex ore, 14 de Privil. III, 33.

5) Veteres distinguebant partialem et totalem exemptionem, verum post Trid. nulla remanet totalis exemptio, neque in iis Praelatis qui dicuntur "Nullius".

IV) Quibus modis acquiratur.

1) Privilegio Apostolico.

2) Consuetudine immemoriali, qua, si vestiatur requisitis conditionibus, acquiritur etiam exemptio activa ita ut locus vere sit „Nullius."

3) Praescriptione 40 annorum, acquiri potest passiva exemp-

tis puta Regularium ab Episcopo. Id non repugnat ex parte Epi, "qui enim usucapi patitur, alienare non videtur". Neque obstat ex parte Regularium, quod contra obedientiam praescribi non possit. C. 12 de Praescript. II, 26, nam ut observat Schmalzg. lib. V, tit. 33, n. 259, hoc solum intelligi debet de praescriptione qua, manente subjectione, tolleretur obligatio obediendi praelatis, vel qua fieret ut monasterium nemini esset subjectum.

4) Juxta plures auctores, concessione Epi qui partialem exemptionem tribuere possit monasterio in limine fundationis, eo quod tunc temporis nullum adhuc jus quaesitum in dictum monasterium habeat et propterea nihil de juribus suis alienet; imo juxta eosdem auctores: etiam post fundationem, de consensu tamen capituli sui ob alienationem. Esto rem ita se habuisse ante Conc. Trid., dato etiam quod casus non sit undequaque chimericus, profecto Episcopus, juxta dicta art. 1. huj. cap., nequit eximere nisi à lege propria, minime a jure communi, hinc non potest monasterium eximere in iis in quibus Conc. Trid. illud ordinario voluit subjectum. Restat igitur tantum ut eximat illud a juribus quae ipse sibi acquisiverit in sua dioecesi in regulares praeter vel ultra jus tridentinum. Verum et in hoc casu concessio facienda erit cum solemnitatibus juris, secus successores illam revocare poterunt.

V) De probatione exemptionis. Cum ex una parte Ordinarius habeat intentionem in jure fundatam circa administrationem totius dioeceseos, aliunde vero exemptio sit res facti, profecto qui allegat exemptionem illam probare tenetur. c. Cum personae, 7, de Privil. in VI; V. 7, in quo capite Bonif. VIII simul determinat modum probationis secundum quod exempti provocant ad privilegium, ad praescriptionem, vel ad utrumque titulum.

Excipitur casus quo privilegium sit in corpore juris relatum, vel alias notorium: tum enim allegans illud non tenetur nec probare, nec deferre citationi ad probandum cum ipsa jure nulla sit utpote a judice incompetente promanans.

Interpretatio privilegii Regularium uti supra art. 1 huj. cap. dictum est non ad Epum sed privative ad Sedem Ap. spectat.

Oborta lite eaque pendente super factum exemptionis: si regulares se tueantur nuda praescriptione, Epus ob suam intentionem in jure fundatam sua jurisdictione legitime utetur donec prae-

scriptio legitime probata sit: si vero regulares allegent privilegium tanquam fundamentum possessionis suae, Episcopus adversus eos procedere nequit, bene vero postulare exhibitionem privilegii super articulum controversum, nisi forte exemptio sit notoria: demum si regulares se defendant praescriptione cum titulo et hac ratione in possessione sunt, Epus pendente probatione praescriptionis contra eas sua jurisdictione uti nequit. Vide cit. cap. Cum personae de Privil. in VI.

VI. De numero religiosorum requisito ut domus exemptione fruatur.

Non continuo omnes domus, Ordinum etiam exemptorum, eximuntur a jurisdictione Epi loci, sed ad effectum requiritur praesentia Religiosorum a jure taxata, adesse porro censentur quotquot de domo sunt, licet forte ad breve tempus absint mox reversuri. Taxatio haec jure posttridentino per varias RR. PP. constitutiones invecta est.

1) Urbanus VIII, 21 Jun. 1625 per decretum S. C. C. innovavit legem Greg. XV de duodenario numero religiosorum in erectione novi conventus requisito, simulque declaravit ut omnis nova domus visitationi, correctioni jurisdictioni Ordinarii loci subjecta maneat, quousque 12 religiosi ibi actu non inveniantur — nulla distinctione facta inter sacerdotes et conversos. Unde conventus erecti ante 21 Jun. 1625, nec 12 continentes manebant exempti vel non exempti prout coaluerant vel non, ad formam cap. 8, sess. XXV. de ref., in congregationem.

2) Hanc Urb. VIII dispositionem aggravavit Innoc. X celebri sua const. "Instaurandae", 15 Oct. 1652, Bull. R. t. VI³, p. 233, — directe et expresse pro Italia et insulis adjacentibus edicta, stylo Curiae dein, ut narravi supra p. 115, ad omnes regiones extensa — dum ad erectionem cujuscumque domus, monasterii imposuit obligationem requirendi beneplacitum Apost. sub poena nullitatis erectionis et privationis cujuscumque exemptionis. Eadem pariter const. in Italia et insulis innumera suppressit parva monasteria. Verum postea quasdam domos suppressas restituit, unde nova ordinatione "Ut in parvis", 10 Febr. 1654 B. R. t. c. p. 270 decrevit: a) hujusmodi domus suppressas et restitutas, vel posthac restituendas mansuras sub potestate Epi tanquam Sedis Ap. delegati donec 12 inibi religiosi commode sustentari valeant et de facto adsint. b) domos ant.

const. Urb. VIII 21 Jun. 1625 fundatas, nec ab ipso Innoc. suppressas fieri de jurisdictione Ordinariorum ubicumque non adsint saltem 6 religiosi quorum 4 sacerdotes. c) Demum sub potestate ordinariorum manere omnes conventus post 21 Jun. 1625 fundatos in quibus 12 religiosi actu non praesentes sint.

Restat igitur quod in omni conventu fundato post 21 Jun. 1625, et in omni suppresso ab Innoc. X et deinde restituto ad effectum exemptionis requirantur actu 12 religiosi, in aliis sufficiunt 6 quorum 4 sacerdotes.

3) Haec disciplina duravit usque ad diem 1 Mart. 1714 qua S. Congr. E. R. declaravit exemptos conventus in quibus sustentantur 6 Religiosi — nullo discrimine facto quoad numerum sacerdotum — et iterum eadem S. C. die 12 Maj. 1741 decrevit et declaravit "Epum posse visitare solum quando actu non adsint sex religiosi", ut refert Bizzar. p. 354.

4) In Anglia, in Scotia et generatim in Missionibus ad quas ferme universas extenditur const. "Romani Pontifices" Leonis XIII, 8 Maj. 1881, "in praesenti conditione" domus Missionariorum exemptae manent tametsi ibi Regulares tantum terni, vel bini imo et singuli commorentur. Vide Collect. Prop. Fid. p. 153-154.

5) Tandem huc spectant Instructiones. Declarat. S. Poenit, una cum decis. S. C. Ep. R. supra p. 132-135 allegatae, vi quarum, in casu actualis dispersionis in Italia, et extensive in Galliis, domus in quibus actu vivunt tres religiosi dispersi quorum unus sacerdos a jurisdictione Epi exemptae sunt; ipsi vero Regulares de licentia superiorum singuli, ad modum saecularizatorum ad tempus, viventes: Epo subsunt quoad politiam et disciplinam ecclesiasticam; soli vero Superiori Provinciali quoad disciplinam regularem et quoad obligationes ex votis profluentes.

VII. De amplitudine exemptionis.

a) Quoad personas. Ea fruuntur omnes professi alicujus ordinis vel monasterii exempti, item novitii, oblati, imo et aliae personae quae in monasterio sub obedientia Regularium vivunt eorumque continuae sunt commensales, puta ratione famulatus, arg. ex cap. 11 sess. XXV, de reg. C. Trid. juncta const. "Superna" § 4 ap. Richt. p. 547.

b) Quoad loca. Comprehenduntur omnia monasteria, do-

nus etc. ordinis exempti quae sint legitime erecta, juxta dicta supra cap. V, art. 1, p. 112, et in quibus actu habitent tot regulares quot a jure requiruntur, ut modo n. VI. diximus.

De pleniori exemptione qua pollent monasteria in quibus Abbates generales vel capita ordinum sedem habent ordinariam, vide cap. 11, sess. XXV, de reg. C. Trid.

c) Quoad causas — dicendum quod Regulares exempti liberi sunt a jurisdictione Epi in omnibus causis a jure non exceptis. Has porro exceptiones juvabit speciali articulo exponere.

Art. IV. De causis in quibus Regulares exempti Episcopo subsunt.

Observa I. Cum Regulares per se non pertineant ad sacram hierarchiam, imo — saltem generatim — nulla gaudeant exemptione activa respectu saecularium exercenda, sed mere passiva, ne in sua propria vita passim jurisdictionem Eporum experiantur: hinc, si facultatem demas eis a Trid. sess. XXV, de reg., c. 11 concessam et a Greg. XV Const. "Inscrutabili", ap. Richt. p. 543, et iterum a Bened. XIV Const. "Firmandis", l. c., p. 528, confirmatam, Regulares hodie nullam habent potestatem sacra fidelibus ministrandi ab episcopo independentem. Cum igitur, ut has facultates sibi impetrent, ad Epum recurrant oportet, nulla habetur exemptionis derogatio ideoque cohaesio doctrinae postulat ut omnem causam dependentiae Regularium ab Epo, ratione ministerii sacri erga saeculares exercendi, a praesenti articulo amandemus, acturi de hac materia in capite proximo.

Observa II. Jurisdictio quam, nonobstante exemptione Episcopi quandoque in vitam propriam Regularium explicare possunt, si fontem unde derivatur respicias, triplex esse potest: Ordinaria; a Sede Ap. delegata; etiam delegata, i. e. ordinaria et insuper delegata, ita ut praelatus alterutra procedere valeat.

Prima indicatur a Trid. sess. XXV de reg., c. 4, 14, 16 etc.; altera ibid. c. 5, 8, 9 etc.; tertia recensetur a Trid., licet in materia diversa, sess. VI de rf., c. 4; XXII de rf. c. 10, frequenter vero ponitur in decretis et decis. S. C. C. et S. C. E. R.

Circa varias hujusmodi jurisdictionis species, nota:

a) Jurisdictio ordinaria, in ipso munere fundata, transit, sede vacante, ad Vicarium capitularem; delegari potest; ab ejus exercitio damnoso patet appellatio ad metropolitanum.

b) Jurisdictio delegata a Sede Ap. non praesumitur, ubi non ab ipso jure conceditur, probanda est; ejus exercitium stricte intra limites concessionis contineatur oportet. Quae a jure conceditur ipsi Episcopo, sede vacante, minime transit ad Vicarium capitularem. Secus dicendum de delegatione facta a SS. Congr. quippe quae, juxta stylum hodiernum, delegationem deferunt Ordinario cfr. Decret. S. Offic. 22 Apr. 1898, Analect. eccles. 1898, p. 230. Subdelegari potest juxta cap. 62 in fin., de Appellat., II, 28 "delegatus a Principe, causam valeat aliis delegare", servatis sane cautelis a jure in casu praescriptis, ut exponunt commentatores ad tit. 29, de Judice deleg., lib. I. Cfr. vgr. de Angelis l. I, tit. cit., p. 120. Ab ejus exercitio, cum opus fuerit, ad solam Sedem Ap. datur appellatio.

c) Jurisdictionis etiam delegatae naturam fuse exponit Fagnan. in C. Ad audientiam, de Eccl. aedif. n. 45, 46: ea generatim data est ut, remotis excusationibus quas exempti contra potestatem ordinariam inevidentem proferre possent, Episcopi ex sua parte firmiori jure procedere valeant, et tamen exemptio, quam delegata auctoritas minime violat, non tollatur.

Cum igitur jurisdictio etiam delegata detur tantum ad corroborandam potestatem ordinariam, ab ejus exercitio, ut pluries S. C. C. declaravit, recte appellatur ad metropolitanum, tametsi Epus expresse declaravit se procedere auctoritate delegata.

Hinc cum Epus contra Regulares procedere intendit insimul declarare debet qua potestate fultus incedat, ut ipsi sciant ad quem superiorem judicem, in casu appellationis se convertant oportet.

Observa III. Quaerunt DD. utrum Episcopus Regulares non obedientes in casibus in quibus sibi subjiciuntur, etiam per censuras compellere valeat.

Resp. 1) Affirmative quoties inobedientia tantae poenae proportionata est et praeterea dictus regularis non pertinet ad ordinem cujus membra, ex privilegio apostolico, vel in his casibus censurari non possunt ab Episcopo, licet aliis poenis maneant obnoxii, quales sunt: Ordines mendicantium et qui horum privilegiis directe fruuntur.

Resp. 2) Si agatur de Regulari pertinente ad Ordinem mendicantem Episcopus in reluctantem censuris animadvertere poterit:

a) Quoties Regulares impediat Episcopum quominus jurisdictionem suam exerceat nec facilis pateat recursus ad S. C. Ep. R.: arg. ex cap. Dilecto, 6, de sent. excom. in VI, juncto cap. Sacro, 48, eod. tit. V, 39, cum expositione Fagnani in cit. cap. n. 13, cap. quia 1, de offic. jud. deleg. I, 29. Hodie porro sic delinquens incurreret, ipso facto, excomm. latae sent. speciali modo R. Pontifici reservatam. C. Ap. Sedis, n. 6.

b) Quoties Episcopus talem potestatem expresse obtinuerit: vel a Sede Ap., ut vg. quae datur ei in Const. Greg. XV "Inscrutabili", §6, 13 Febr. 1622, contra indebite praedicantem, ap. Richter, p. 544, cfr. etiam §2; item in Const. Innoc. X, "Cum sicut" §3, 14 Maj. 1648, ap. Ferrar. t. 2, p. 581 contra audientem confessiones saecularium absque Epi approbatione; item in Const. Urb. VIII "Sacrosancta" §2, 26 Jul. 1642 contra exponentes imagines SS. vetitas, Coll. auth. S. C. R. t. 1. p. 171; vel etiam a Concilio, ut a Trid. in contravenientes dispositioni cap. 5, 16, sess. XXV. de reg. etc.

c) Quoties Concilium vel Sedes Ap., quin expresse de censuris ferendis sermo fiat, Episcopo in genere facultatem dedit, tanquam Sedis Ap. delegato, procurandi legis executionem, ad eam cogendi, contravenientes regulares puniendi. Id enim ratio aperte suadet et constans praxis SS. Congr. tenet, quarum resolutiones vide ap. Richter, p. 415, n. 5, 437, Bened. XIV, de Syn. lib. IX, c. 15, n. 5, et consule S. Pial. t. II, p. 11, nec possunt in casu a suis superioribus absolvi S. C. C. ap. Richter 437.

Hisce praelibatis afferemus casus in quibus juxta hodiernam disciplinam Regulares exempti Episcopis subsunt, initium facientes ab iis quorum mentio in superioribus jam habita est, et ablegatis, ut monui, ad caput subsequens quaecumque ad dictam subjectionem ab curam animarum saecularium exercendam pertinent.

1) Quoad erectionem novae domus, p. 112. An et quomodo quoad aedificationem ecclesiae p. 116.

2) Visitationi Epi subjiciuntur domus in quibus non habitant actu sex religiosi, p. 293. Excipitur casus violentae dispersionis, p. 233; excipiuntur pariter qui in locis missionum reguntur Const. "Romanos Pont." 8 Maj. 1881, p. 294, n. 4.

3) Quoad renunciationem bonorum faciendam ante professionem ad tenorem cap. 16 sess. XXV. de reg., junctis declarationibus Pii IX, 1 Aug. 1862, et decreto "Perpensis" n. 11, p. 161 sq.

4) Ex eodem cit. cap. 16 Trid. Episcopus per censuras compellere potest Regulares ad restituenda novitio abeunti omnia quae sua erant.

5) In causa nullitatis professionis, Epus una cum superiore judex constituitur, p. 185.

6) Quoad sacram ordinationem qua ratione ab Epo pendent novitii p. 168, n. 6; Professi triennii, p. 172, n. 6; Professi in Institutis p. 192, n. 6. De jure Tridentino, sess. XXIII de ref. c. 8 quoad obligationem dandi litteras dimissoriales ad Epum loci commorationis, p. 274 sq. De Abbate "Nullius" regulari ordinante regulares sibi subditos, p. 275 sq. De interstitiis et de examine regularium ab Epo, p. 277. Denium de ordinatione dispersorum p. 234, n. 7.

7) Ejecti et apostatae subsunt jurisdictioni et obedientiae Epi, p. 245, 254. Pariter ab Epo tamquam sui Instituti desertores puniri possunt regulares sine licentia scripta peregrinantes. p. 212 et Trid. sess. XXV de reg. c. 4.

8) Quoad punitionem delinquentium extra claustrum.

a) Degentes extra monasterium, si deliquerint, ab ordinario loci, tamquam super hoc a Sede Ap. delegato, visitari, corrigi et puniri possunt. Trid. sess. VI de ref. c. 3, incolumi manente facultate superioris qua et ipse delinquentem puniat, S. C. sup. st Reg. 1655, ad 1; 1640 ad 2 et 3 ap. Bizzar. p. 258, 268. — Dicitur autem degere extra monasterium qui extra illud permanentem sedem habet, vgr. studiorum causa; minime vero qui ad tempus, puta causa praedicationis, valetudinis etc. extra conventum moratur.

b) Degens in monasterio extra vero notorie delinquens cum scandalo fidelium, Episcopo instante, a suo Superiore intra tempus ab Epo praefigendum puniatur, et Epus de punitione imposita certior reddatur, secus ipse delinquentem punire potest. Trid. XXV de reg. c. 14. Delinquens qui ad aliam dioecesim impunitus migraverit, debet revocari ad monasterium in quo degebat tempore delicti admissi, ibique puniri, juxta Const. Clem. VIII "Suscepti muneris" Bull. Rom. V², 94, cfr. etiam Richter ad cit. cap. Trid. p. 415.

Dictum est supra, hoc art. obs. 3, qua ratione Episcopus possit punire regularem impedientem exercitium propriae jurisdictionis cfr. resol. S. C. C. ap. Richter, p. 416 et 440, n. 2.

Regularem, qui publice commiserit crimen secum trahens excommunicationem latae sententiae, Epus poterit tanquam excommunicatum denunciare, i.e. "praecipere suis parochis et subditis universis, ne eum admittant intra ecclesias sibi subjectas." S.C.C. 2 Dec. 1719, ap. Richter, p. 440, n. 1.

9) Quoad censuras et interdicta ab Episcopo promulgata.

Ad tenorem cap. Ex frequentibus, 1, De sent. excom., in Clem., et cap. 12, Trid., sess. XXV de reg. "Censurae et interdicta non dum a Sede Ap. emanata, sed etiam ab Ordinario promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum ecclesiis publicentur et serventur". Manet tamen in casu interdicti servandi, facultas celebrandi modo atque diebus a jure ipso concessis in cap. Alma Mater, 24, De sent. excom. in VI; accessit ex concessione Mart. V etiam festum Corporis Dni.

Contravenientes privantur voce activa et passiva, c. Is qui, 18, De sent. excom. in VI. Quod si specialiter interdicti, vel in loco specialiter interdicto celebrent, aut etiam in loco generaliter interdicto aliter ac illis in c. Alma Mater, conceditur, irregularitatem incurrunt: c. Is qui, 18; Is cui, 20, De sent. excom. in VI. Quamvis excommunicatio latae sent. indicta in cit. cap. Ex frequentibus, Clem. V per constitutionem "Ap. Sedis" obsoleverit, manent tamen, juxta veriorem sententiam, poenae indicatae. Assentiunt Bucceroni, de Censuris 136; Lehmkuhl II, 914 etc.

10. Quoad crimina quorum vindicta, exclusis superioribus, privative pertinet ad S. Officium, Episcopus tanquam inquisitor natus denunciationes recipit, et de facto criminoso judicialiter cognoscit.

Fundamentum hujus delegatae potestatis habetur in Trid. sess. V de ref. c. 2, quam deinde pressius determinarunt Paulus V Const. "Romanus Pont.", B.R. t. V³, p. 227, removens quodcumque privilegium in hac parte; et Alex. VII Const. "Licet alias" B.R. t. VI⁵, p. 81.

Porro crimina hic contemplata, cfr. decr. S.R.U.I. coram Urb. VIII, ultimum inter legenda a Regul. in publica mensa, sunt:

Primo et per se crimen haereseos. ... Ulterius quae cum ipso sunt connexa, ut est: haereticis favere, eos recipere, defendere; Episcopos, Inquisitores, officiales S. Officii in munere inquisitionis perturbare, impedire, iisve reale aut personale nocumentum inferre. vide etiam in Const. "Ap. Sedis" 2am excom. nemini reservatam. — Tertio demum, illa crimina quorum auctores ex praesumptione juris

tanquam haereseos suspecti habentur, ut: sollicitantes ad turpia in actu vel praetextu confessionis, Bened. XIV, Const. "Sacramentum poenit.", § 2, Bull. Bened. edit. Mechlin. t. I, p. 104; comminantes denegationem absolutionis nisi poenitens revelaverit complicis nomen, habitationem etc., const. "Ubi primum" ejusdem Pontificis op. cit. t. IV, p. 122; missae celebrationem aut sacramenti paenitentiae administrationem attentantes, licet presbyteri non sint, Id. const. "Sacerdos" op. cit. t. II, p. 257; vide P. Piat. t. 2, p. 65 sq.

In istis et similibus casibus, delinquens denunciandus est aut S. Officio, aut Episcopo, superiores enim se intromittere nequeunt, nec ullum privilegium quoad hoc agnoscit praxis hodierna S. Officii, quod, die 15 Maji 1901, monitione omnibus Ordinibus communicata, hanc legem iterum inculcavit. Cfr. etiam causam Capucin. 29 Jan. 1901, Analect. eccl. 1901, p. 154.

11) Quotquot Regulares in sacramentorum administratione saecularibus facta delinquunt, ab Epo loci, tanquam a Sedis Ap. delegato, puniri possunt. Greg. XV. const. "Inscrutabili", § 4, 1602, ap. Richter, p. 543; Bened. XIV. Const. "Firmandis", § 3, op. cit. p. 588.

Attende sedulo: non agi hic de Regularibus parochis, vel de iis quibus curae animarum commissa est, de horum enim ad Epum relatione dicetur capite sequenti; sed agi de aliis religiosis, quibuscumque sacramenta ministrantibus.

12) Quoad eorum ecclesias. Nota: an et quandonam requiratur licentia pro aedificatione ecclesiae regularium, dictum est supra p. 116. — Porro quae ecclesiam regularium parochialem respiciunt, dabuntur cap. seq.

a) Earum consecratio pertinet ad Epum loci qui eam intra missarum solemnia — ab ipso personaliter vel a presbytero ab ipso designato celebranda — peraget. S. C. R. Quod si, ter submisse rogatus, consecrationem, sine legitima causa, ultra quatuor menses denegaret, vi const. Leonis X "Dum inter", § 12, Mendicantes, etiam Societas Jesu, ex const. "Licet debitum" Pauli III, possunt ad effectum vocare quemcumque Episcopum cum Sede Ap. communicationem habentem. — Nec obstat dispositio Trid., sess. VI de ref. c. 5, prohibens sub poena suspensionis a Pontificalibus, ne quicumque Epus cujusvis privilegio prae-

textu, pontificalia in alterius ecclesia exerceat, nisi de Ordinarii licentia expressa: quia, ut cum communiori sent., recte argumentatur G. Piat, t. II, p. 350, statuta a Leone X in Conc. Lat. V non erant proprie privilegia, sed potius declarationes juris communis; cui opinioni favet praeterea doctrina generalis titulo De supplenda neglig. Praelat. I, 10, comprehensa. — Ita theoretice, practice tamen quisque sapiens superior talem extremitatem devitabit, benedictione potius contentus suae ecclesiae. Nam

b) Benedicere solemniter proprias ecclesias, oratoria, et paramenta "in usum tamen Fratrum exclusive" possunt superiores, etiam locales ordinum qui cum mendicantibus in privilegiis communicant, ex concessione Leonis X. Cfr. G. Piat, t. 2, p. 351; Reiffenst. tit. 31, de Regul. n. 131.

c) In eorum ecclesiis Epi Pontificalia, quae nullum jurisdictionis exercitium includunt, exercere valent: cap. Archiepiscopo, De Privileg. V, 7, in Clem., et Coll. auth. S. C. R. 1900 n. 121. Imo juxta decr. S. C. E. R. editum jussu Clem. VIII, 10 Jun. 1603, tenentur regulares, quoties opus fuerit, in solio Episcopi baldachinum attollere, cfr. Decr. auth. S. C. R., n. 1290, ad 1. Inobedientes vel contumaces in hac parte, Episcopus, vi cit. decreti, per censuras compellere potest.

Speciatim in regularium ecclesiis, etiam non parochialibus, possunt Episcopi libere sacramentum confirmationis conferre, Bened. XIV, Const. "Firmandis", § 6; item, vel invitis regularibus praedicare, ut habet sent. communior. Actum vero jurisdictionis, invitis exemptis, in eorum ecclesia exercere nequit; hinc, juxta multos, nec ordines conferre. De his consule G. Piat, t. 2, p. 61-64.

d) Extraneum Episcopum advocare, qui in eorum ecclesia pontificalia exerceat, Regulares — secluso casu sub a) contemplato — non possunt, nisi forte eorum territorium fuerit "Nullius" dioec., S. C. C. 16 Sept. 1682. Alias requiritur licentia Ordinarii loci. Vide etiam, in Collect. Prop. Fid. p. 43, n. 95, decretum hujus S. O. quo recessit ab antiqua severitate vetante Vicariis Ap. quodcumque Pontificalium exercitium in ecclesia non sua.

e) Campanarum benedictio ad Epum pertinet, quam, sine venia Sedis Ap. delegare nequit. Coll. auth. S. C. R. n. 3015, 3360. Regulares omnes parere tenentur mandato Ordinarii, cum in quibusdam solemnitatibus, aut in casu peculiari pulsationem campanarum

omnium ecclesiarum praecipit. Coll. cit. S. C. R. n. 2613, ad 9. Eas pulsare non licet, sabbato Sto, priusquam in ecclesia cathedrali, vel alias dignori pulsentur. Coll. cit. n. 337 et multoties.

13) Quoad missae sacrificium. Nota: quaecumque respiciunt in hac parte fideles ad ecclesias regularium concurrentes, amandantur ad cap. seq.

a) In vi decreti Trid., sess. XXII, De observandis et evit. etc., Regulares subsunt correctioni et punitioni Episcopi, si commiserint prohibita vel indecentia in ecclesiis, etiam suorum Ordinum, circa missae sacrificium, et Episcopus per censuras procedere valet. S. C. C. 14 Nov. 1648 et pluries. Lege Bened. XIV, de Syn. lib. IX, c. 15, n. 5.

b) In eodem decr. praecipitur, ut singuli Epi in suis dioecesibus interdicant, ne cui vago et incognito sacerdoti missas celebrare liceat, item in sess. XXIII, de ref. c. 16, in fin. — Igitur Regulares, stante prohibitione Epi, prout passim usu venit,

α) Nequeunt admittere vagum aut ignotum ad celebrandum, quin correctioni Epi fiant obnoxii.

β) Pariter nequeunt admittere sacerdotem saecularem litteris commendatiis sui Ordinarii destitutum; nisi, ut observat Bened. XIV, const. "Quam grave", § 10, B. B. t. 2 (edit. Mainardi) p. 329, et generalissima habet consuetudo, "ibi sit plane cognitus". — Imo potest Epus, et quidem sub censuris, prohibere, ne sacerdotes saeculares etiam notos, etiam litteris sui Ordinarii munitos, recipiant, antequam ipse has litteras inspexerit, aut licentiam dederit. cfr. S. C. C. decis. ap. Richter, p. 208, n. 10. Verum tanto rigore Epi extra casum extraordinarium procedere non solent, potius concessa interim facultate celebrandi, infra triduum inspectionem litterarum exigunt; vel quandoque majori benevolentia utentes in hac re, ut loquitur Bouix t. 2, p. 191 "non minus fidunt superioribus regularium quam Vicariis suis Generalibus".

γ) Non tamen egent licentia Epi ut legitime recipiant sacerdotes proprii ordinis: hoc fatente Bened. XIV, cit. const. "Grave", § 12, spectat ad superiores. Idem dicas de regulari sacerdote diversi Ordinis, quamdiu hic litteris sui superioris commendatur, et aliunde non viget lex generalis Episcopi de non recipiendis exteris, etiam litteris munitis absque ejus licentia: apposite

S. Piat "non enim pejoris conditionis est regularis ac saecularis", t.2, p. 239.

c) Regulares admittentes eleemosynas manuales pro celebratione missarum tenentur stare taxae ab Epo determinatae. "Quemadmodum enim ipsi, veluti membra communitatis, obstringuntur in contractibus servare aequalitatem statutam a legibus loci ubi degunt, ita et in hoc quasi contractu" vide Bened. XIV, de Syn. l.V, c.9, n.2, ubi et varias decis. S.C.C. affert.

d) Tenentur recitare in canone nomen Epi loci, secus puniendi. Coll. S.C.R. n.194.

e) Collectae ab Ordinario praescriptae etiam in ecclesiis regularium dicendae sunt, nec ab iis cessare possunt antequam Ordinarius jusserit. Coll. cit. n. 2613, ad 1 et 2.

f) In interioribus monasterii oratoriis, ut expresse cavet Trid. sess. XXII, decret. de observ. et evit., Regulares quicumque sacrum facere prohibentur, quamdiu Ordinarius ea "non designaverit et visitavit", non obstantibus privilegiis, exemptionibus consuetudinibus quibuscumque. Requiritur adeo, ut libere procedant, privilegium Tridentino posterius, quale Greg. XIII br. "Decet", 3 Maj. 1575, Societati concessit, transferens munus oratorium designandi et visitandi ab Epo ad Provincialem, quodque tractu temporis tantum non omnibus concessum fuit Ordinibus. Cfr. Comp. Pr. nn. 400, 402, 435, 437, 439.

De facultate erigendi oratoria tempore dispersionis dictum est p. 234.

14) Quoad asservationem SS. Eucharistiae. Regulares delinquentes contra c. statuimus, De custodia Euch. III, 44, praecipiens accuratam SS. Eucharistiae custodiam "clavibus adhibitis", juxta varias decis. S.C.C. quas refert Bened. XIV de Syn. l. IX, c.15, n.4, puniri possunt non modo a suis superioribus, verum et ab Epo.

15) Quoad SS. Sacramenti expositionem, infra, capite sequenti.

16) Quoad processiones cum requisiti et vocati fuerint. Trid. sess. XXV, de reg., c.13, jubet: "Exempti omnes ... regulares quicumque etiam monachi, ad publicas processiones vocati accedere compellantur; iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt." Et quidem, juxta celebre decretum a peculiari Congr. cui interfuerunt Cardinales trium Congr. Conc. Rit., Ep. Reg. [illegible] respecti-

vis secretariis, confectum, jussu Urb. VIII publicatum, 27 Jul. 1628, compelli possunt ab Epis "poenis sibi bene visis", juxta S. C. C. 16 Apr. 1638, ap. Richter p. 415, n. 5, "etiam censuris"; exceptis Carthusianis et regularibus ultra medium milliare a civitate distantibus, non obstantibus quibuscumque privilegiis etc., firma tantum maneant privilegia Apost. Tridentino posteriora. Vide hoc decr. in Coll. auth. S. C. R. n. 1096, t. 1, p. 225.

Privilegio Tridentino posteriori fruuntur PP. Soc. J., Const. Greg. XIII, B. R. IV³, p. 317; FF. Carmelitae discalceati, Clerici Reg. S. Pauli Decollati (Barnabites); PP. Theatini; Clerici Matris Dei scholarum piar. In praesenti materia non procedit communicatio privilegiorum, ut ostendit Giraldi ad cit. cap. 13 Conc. Trid., Tom. II, p. 1041.

Enumerantur porro in cit. decr. Urb. VIII processiones ad quas regulares ab Epo vocari possunt, nempe: "in die Festo SS. Corporis Christi, in Litaniis majoribus, in Rogationibus ac in quibusvis aliis publicis et consuetis, vel pro bono, causa et honore publico ab Epo indictis."

Incedunt familiae religiosae singulae sub propria cruce, servantes legem praecedentiae quae computatur juxta approximationem ad SS. Sacramentum, respective ad celebrantem. Regula generalis est ut clerus saecularis praecedat clerum regularem. In clero saeculari dignior locus ideoque immediate ante sanctissimum, compelit capitulo ecclesiae cathedralis, cui succedit seminarium episcopale et dein reliquus clerus. In clero regulari primo loco incedunt canonici regulares, dein clerici reg., posthac monachi, demum Fratres Mendicantes. Quamnam regulam praecedentiae singulae familiae uniuscujusque seriei vgr. canonicorum reg. inter se servent oportet, non vacat exponere. Verior, ubi possessio nomini favet, ea est, ut incedant juxta antiquitatem incolatus in loco. Mendicantibus autem in specie modum praecedentiae indixit Greg. XIII, Const. "Exposcit", B. R. IV⁴, 38. cfr. Dt. S. C. R. t. V, v. Regulares quoad praecedentiam, p. 425; Pial, t. 2, n. 42-46 — Caeteroquin, oborta contestatione quoad praecedentiam, Episcopus eam judicialiter componit, vi cap. 13, sess. XXV de reg. "Amota omni appellatione", nempe suspensiva.

Considerandum hic ulterius, quod regulares libere instituunt et ipsi processiones in ecclesiis suis, et intra claustra, aut deficiente tali spatio, circum muros ipsius ecclesiae; verum si ulterius eam deducere velint — excepta processione in festo Corporis Christi quae libera

est — indigent licentia; sufficit consensus parochi, sufficit pariter licentia Epi, etiam renuente parocho. Vide resol. S.C.C. in hac materia apud Richter, p.235; S.C.R. in cit. Coll. auth. t.V, p.402 sq.

17) Pro publicatione novarum indulgentiarum Regulares indigent licentia Epi, siquidem stylo suo S.C.C. extendit ad ipsos dispositionem Conc. Trid. "indulgentias.... deinceps per ordinarios locorum.... publicandas esse", sess. XXI, de ref., c.9.

18) Pro expositione publica novarum reliquiarum quae ab Epo recognosci atque approbari debent, ex decret. Trid. De invocatione etc. sess. XXV.

19) Quoad expositionem imaginum sanctorum insolitarum in ecclesiis, vi ejusdem decret. Trid. Item si contravenirent Const. Urb. VIII, "Sacrosanctae", §7, 26 Jul. 1642, de sacris imaginibus sub novis habitibus non exponendis, quo in casu Epus, tanquam Sedis Ap. delegatus, per censuras quoscumque Regulares compellere potest. Cfr. Coll. auth. S.C.R., t.1, p.171.

20) Quoad librorum editionem tenentur regulares praeter licentiam sui Praelati — quae et quatenus a Trid. sess. IV, decret. de edit. et usu librorum sacrorum, et a respectivi Ordinis constitutionibus praescribitur — etiam Epi loci, in quo libri publici juris fiunt, licentiam obtinere. Const. Leonis XIII "Officiorum et munerum" 25 Jan. 1897, n.36, utraque concessio in principio vel in fine operis imprimenda est. ibid. — Censurae episcopali regulares subjiciant oportet libros qui divinas Scripturas, S. Theologiam, Historiam eccles., jus Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen aliasve hujusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt. cit. Const. n.41. Et quidem firma semper manet excommunicatio Tridentina, nemini reservata, sess. IV decr. cit., a Const. "Ap. Sedis" confirmata, § ult. inter excom., "Contra imprimentes vel imprimi facientes libros de rebus sacris sine Epi approbatione."

Quaerenti porro quinam libri veniant nomine "librorum de rebus sacris" in cit. decr. Trid., non eodem modo respondebant commentatores dictae const. "Ap. Sedis". Et sane, severior sent. quam propugnat commentator Patavinus edit. 2, n.461, p.320, intelligebat omnes libros quodcumque argumentum theologicum vel canonicum versantes; extreme opposita sent. cum Ill. Mauro (Reatino) edit. 3, n.175 bis, p.105 assignabat exclusive "sacrae scripturae libros"; media tandem sent. cum Avanzini, n.33, ponebat hos libros S. Scriptu-

rae nec non eos in quibus continentur adnotationes et commentarii S. Scripturae, ut et ipsa S. U. R. I. decr., 22 Dec. 1880. Hanc porro mediam sententiam suam fecit Leo XIII cit. Const. "Offic. et mun." n. 48. In isto igitur tantum casu procedit excommunicatio.

Juxta eamdem const. "Officiorum", n. 29 "Ordinarii, etiam tanquam delegati Sedis Ap., libros aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant."

Hinc procul dubio Ordinarius regularium libros, si opus fuerit, jure proscribit. Utrum vero ab iisdem exigere possit ut abstineant a legendo libro quocumque quem ipse proscripserit, controvertitur. Plures AA. quos citat et sequitur P. Verm. t. 1, p. 222, id negant, quae sententia suam probabilitatem mutuatur ex possessione exemptionis generalis regularium, haec enim firma manet donec certo limitetur. — Quod si oppositam sent. tuendam putares, eo quod Ordinarius munitur potestate delegata Sedis Ap. quae ei frustra concederetur in hac sent. negante, cum nemo clericus saecularis in praesenti materia potestatem ordinariam declinare valeat; respondeo: Potestatem delegatam sortiri posse suum effectum proscribendo librum scriptoris regularis, quod autem non debeat extendi ad prohibendam regularibus lectionem, id ipse textus legis insinuare videtur — e manibus fidelium auferre studeant — sub qua generali et absoluta denominatione, regulares, in materia odiosa, non censentur comprehendi.

21) Quoad quaestuationem. Ob pravos quaestorum eleemosynarum abusus et scandala fidelium inde enata, Trid. sess. XXI, de ref., c. 9, edixit ut "nomen et usus quaestorum penitus aboleatur", uni Episcopo manente facultate subsidia charitatis colligendi, sublatis quibuscumque privilegiis etc.

Verum S. Pius V, const. "Etsi Mendicantium", § 2, authentice declaravit dictum cap. 9 nullo modo respicere ordines mendicantium; "quin potius cum eleemosynis vivere cogantur" eas profecto libere per se colligere possunt. Quod iterum declaravit atque confirmavit Clem. XI, const. "Exponi Nobis", 8 Jul. 1717, B. R. t. XI, p. 112.

Hinc a) Regulares non mendicantes ad effectum quaestuandi indigent profecto licentia Epi loci.

b) Regulares mendicantes in locis ubi sunt eorum monasteria, per se quaestuare possunt absque licentia Epi. — Si ad alia ejus-

dem dioecesis loca quaestuationem extendere velint, tenentur suorum superiorum licentiam Epo praesentare. — Demum si in dioecesi in qua nullum conventum habent stipem quaeritare velint, indigent et ipsi licentia Epi illius loci. Ita juxta varias decis. S. C. C. et S. C. E. R. apud P. Biat, t. 2, p. 36, qui insimul p. 38 recte observat: regulares hujusmodi leges transgredientes nullam poenam latae sent. incurrere, et Epum non aliter contra eos procedere posse, nisi prout generatim contra delinquentes extra monasterium ei datum est.

22) Quoad erectionem et aggregationem confraternitatum. Fundamentum subjectionis in hac materia habetur in Conc. Trid. sess. XXII, de ref. c. 8: "Epi, tamquam Sedis Ap. delegati, ... habeant jus visitandi confraternitates laicorum." Quae in erectione et in aggregatione confraternitatis a regularibus sunt observanda, ita ut non procedant sine ordinarii consensu et litteris testimonialibus praeviis, determinavit Clem. VIII in Const. "Quaecumque", 7 Dec. 1604. Hanc ipsam legislationem innovavit Pius IX, 8 Jan. 1861, per organum S. C. Indulg., addita, 19 Oct. 1866, formula servanda in substantialibus. Accesserunt dein plurima decreta ejusdem S. C. Indulg. Universa haec monumenta prostant ap. P. Verm. t. 2, p. 725–750.

Quo dicenda clarius perspiciantur tene: Nomine confraternitatum veniunt corporationes fidelium praesertim saecularium, in aliqua ecclesia, capella, etc. canonice erectae atque gubernatae, ad promovendam vitam christianam per opera pietatis erga Deum, et praeterea forte per opera charitatis erga proximum. Posteriori medio utebantur maxime vetustiores confraternitates, operibus pietatis magis insistunt modernae. Dividuntur autem:

a) in confraternitates simplices et in Archiconfraternitates, cfr. Coll. Prop. Fid. n. 463, p. 189, quibus nempe Sedes Ap., tamquam capiti et centro unitatis, tribuit facultatem alias particulares et ejusdem instituti confraternitates, legitime jam erectas, sibi aggregandi, sicque privilegia, indulgentias, facultates etc. sibi concessas eis communicandi.

b) in confraternitates stricte tales, ad modum organici corporis vera interna hierarchia colligatas et cum sacco, in ceremoniis publicis, vgr. Romae, incedentes; et in confraternitates latiori vinculo sociali cohaerentes, ut non tantum omnes apud nostra-

t. o.: Priores induunt rationem propriissimae corporationis canonicae, posteriores ut plurimum nonnisi sodalitatem, congregationem sub moderatore ecclesiastico exhibent, licet quandoque non nihil ob postulatum, ceremoniam admissionis, insignia etc. ad priorem speciem accedant.

c) In confraternitates quarum erectio vel saltem aggregatio ex indulto apostolico reservata est Generalibus nonnullorum Ordinum, et in confraternitates quarum erectio spectat ad jus ordinarium Episcopi. — Inter confraternitates Generalibus Ordinum reservatas recensentur: Confraternitates SS. Trinitatis; B. M. V. de Monte Carmelo; B. M. V. Perdolentis seu a septem doloribus; SS. Rosarii; Congregatio B. M. Virginis, item Bonae Mortis, B. M. V. a salute; S. Camilli de Lellis; B. M. V. de Perpetuo succursu et S. Alphonsi Lig.; B. M. V. in caelum assumptae. Cfr. Piat. t. 2, p. 51.

Jam age 1) ad erectionem — etiam in ecclesia Regularium — cujuscumque piae unionis, societatis, congregationis etc., superiori respectivi ordinis minime reservatae, requiruntur praevie consensus et litterae testimoniales Epi, quibus institutum, pietas et officia charitatis quibus sodalitas incumbere vult, commendentur. dixi: Epi: nam vicarius generalis incompetens est, nisi mandatum speciale, in instrumento exprimendum, obtinuerit. Vicarius porro capitularis juxta decis. S. C. Indulg., ab hoc negotio" abstineat". — Ad eundem Epum spectat statutorum moderatio atque approbatio, et, si quas obtinuerit sodalitium, indulgentiarum publicatio. Item requiruntur consensus et litterae testimoniales Epi in causa aggregationis.

2) Cum regulares confraternitatem proprii Ordini reservatam, v.g. Fratres Praed. quoad confr. SS. Rosarii, in ecclesia aliena erigere volunt, requiruntur praevie Epi consensus et litterae testimoniales, ut supra. Iterum quoad aggregationem nisi uterque actus per modum unius fiat. Catalogus indulgentiarum, saltem in prima erectione, durante munere ipsius, Epo submittendus est.

3) Cum regulares confraternitatem sibi reservatam in propria ecclesia erigere volunt, quotiescumque agitur de confraternitate stricte dicta i.e. juxta declar. S. C. Indulg. " ad modum corporis organici et cum "sacco" constituta", requiruntur eaedem solemnitates.

4) Ut autem Regulares in propria ecclesia confraternitatem late dictam simulque proprio Ordini reservatam erigant, non requiritur interventus Epi. Censetur quippe satis provisum per consensum praestitum ab Ordinario pro erectione conventus Ordinis in dioecesi. S. C. Indul. decr. gen. 25 Nov. 1897.

5) Universae confraternitates laicorum, [illegible] ipso privilegio apost. Tridentino posteriori, subjacent visi[illegible]ni Epi, ad tenorem cap. 8 sess. XXII de ref., etiam quoad bon[illegible] administrationem.

23) Quoad executionem piarum voluntatum, ut statuunt cap. Tua nobis, 17, De testam. III, 26; cap. Religiosis, unic. eod. tit. in Clem. et cap. 8, sess. XXII de Ref. vi cujus Epus procedit etiam tamquam Sedis Ap. delegatus, non obstante quacumque consuetudine etc.

Occurrunt nonnullae aliae causae in quibus regulares Epo subduntur, eas tamen consulto omittimus, cum apud nos nullum habeant usum.

Scholion I. — De causis in quibus Instituta juris Pontificii Epo subsunt.

Quaestio haec, olim admodum incerta et controversa, authentice definita est const. Leonis XIII, "Conditae", 8 Dec. 1900, ita tamen ut, juxta hanc ipsam Const., Institutis minime pereat uberior exemptio quam forte privilegio apostolico, consuetudine immemoriali vel centenaria acquisiverint, aut quae in Constitutionibus a Sede Ap. probatis contineatur.

Nomine Episcopi intelligendus est semper Epus ille in cujus dioecesi domus aliqua Instituti sita est, et non tantum Epus cujus dioecesis domum principem includit. Hic enim suam jurisdictionem ultra fines proprios extendere nequit, et intra fines suae dioecesis, post Constit. "Conditae" jam nullo pleniori jure potitur in Institutum ac reliqui Epi in dioecesi cujusque suae. Haec igitur Instituta, salvo privilegio, Episcopo loci subjiciuntur.

1) Quoad personas, scilicet universa membra ejus potestati subsunt quoad forum internum. In foro autem externo eidem subsunt sicut reliqui fideles quoad censuras, reservationes casuum, votorum dispensationem quae Ro Pontifici

non reservantur, dispensationes, concessiones etc. cap. II, n. 5.

2) Quoad domos, Epi est permittere vel prohibere novas domos Instituti in sua dioecesi condi, item nova ab illo templa excitari, oratoria publica vel semipublica aperiri, l. c. n. 3.

3) Quoad sacras functiones: In iis, quae ad spiritualia pertinent, Instituta subduntur Epo, n. 8; ipse designabit sacerdotes a sacris, concionatores probabit, sacrum fieri in domestico sacello permittit, item expositionem Sanctissimi coram populo, preces et supplicationes publicas injungit et ordinat. l. c. n. 3.

4) Quoad promotionem ad sacros ordines, vide supra, p. 192.

5) Quoad sacramentum paenitentiae: Cuilibet domui Instituti laicalis aut muliebris Epus assignabit confessarium ordinarium et extra ordinem, ad normam Const. "Pastoralis" Bened. XIV, et decreti "Quemadmodum" n. 4, § 2 (i.e. plures in civitate idoneos) 17 Dec. 1890. – n. 8.

6) Quoad bonorum administrationem, non quidem eorum quae propria sunt Instituti, haec enim ubique et semper ad superiores generales privative spectat, sed eorum quae vi fundationis ad causas pias referuntur.

Hinc a) Quodcumque Institutum titulo donationis, legati etc. obtinuit fundos ad Dei cultum vel charitatem eo ipso loco exercendam, eos Episcopo manifestos facere tenetur, eidemque rationem plenissimam de eorum administratione reddere. Episcopus ne sortes minuantur, redditusve perperam erogentur curabit.

b) Institutum laicale aut muliebre Epo insuper rationem reddet de fundorum legatorumve administratione quae sacris sunt attributa, aut dioecesis incolis juvandis, n. 11, § 2.

7) Quoad opera quae domui adjecta sunt, ut gynaecea, orphanotrophia, valetudinaria, scholae, asyla pueris erudiendis, Episcopus invigilabit religionis magisteriis, honestati morum, exercitiis pietatis, sacrorum administrationi, salvis privilegiis Ap. collegiis, scholis etc forte concessis.

8) Quoad quaestuationem, Instituta quae mendicato vivunt, tenentur decreto S. C. Ep. R. "Singulare quidem" 27 Mart. 1896, vi cujus indigent licentia proprii Epi ad stipem quaeritandam sive intra, sive extra dioecesim, et in hoc ultimo casu indigent praeterea licentia Ordinarii illius loci. Docum. vide ap. Verm. t. 2, p. 547.

9) Cujuscumque Instituti Epus visitat pleno jure

a) templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentum paenitentiae.

b) universa opera Instituto adjecta ut scholas, asyla, valetudinaria etc.

c) Asservationem et administrationem bonorum quae Instituto eo fine tributa vel legata sunt ut beneficentiae illius loci applicentur. n. 9.

d) In Instituto laicali vel muliebri cognoscit praeterea de fundationibus vel legatis pro missis celebrandis, pro piis operibus in dioecesi exercendis.

e) In iisdem Institutis, et in iis tantum, cognoscit de integritate disciplinae doctrinae, pietatis, de sacramentorum frequentia, de clausurae custodia ubi opus fuerit. n. 11.

f) Ubi correctione opus est, per superiores provideat, iisque negligentibus, per se agat. In casu urgentiori statim procedere poterit, sed decretum S. C. E. R. submittat oportet. l. c. n. 11.

10) Speciatim in Congregationibus mulierum, Episcopus per se vel per alium

a) explorat voluntatem puellarum ante habitus susceptionem et iterum ante primam professionem. cap. 2. n. 1.

b) Praesidet tamquam Sedis Ap. delegatus in sua dioecesi capitulo generali in quo et quamdiu agitur de electione Superiorissae generalis, assistentium, secretariae et Oeconomae generalium. ibid. junct. Norm. n. 224.

c) Clausurae, si qua constitutionibus praescribatur, ipse est custos natus. Imo si Instituti natura et causae opportunae id suadeant vel exigant poterit clausuram episcopalem instituere eamque censuris munire, l. c. n. 4.

Scholion II. Moniales antiquorum Ordinum, quae apud nos vota emittunt simplicia, profecto subjiciuntur Episcopo in iis omnibus in quibus subduntur Congregationes mulierum juris Pontificii, sed et insuper quoad universam bonorum administrationem ad normam Const. "Inscrutabili" Greg. XV, § 5, ap. Richter, p. 543, non tamen, ut sentio, eodem absoluto jure quo subsunt eidem Instituta dioecesana. Haec enim, si regimen domesticum excipias, undequaque in manu Episcopi sunt ita ut ad eum spectet ipsa admissio puellarum, sive ad habitum, sive ad vota, vota

ipsa, excepto perpetuae castitatis, jure ordinario condonare; superiorissae generalis electionem cassare etc etc. ut minutatim declaratur in cit. const. "Conditae, cap. I.

Caput XII. De sacris Regularium ministeriis

Gradum facimus ad ulteriorem quaestionem: an et qua ratione Regulares, juxta vigentem disciplinam, christifidelibus verbum Dei et sacramenta dispensare, seu sacra ministeria obire valeant. Exponemus igitur in praesenti capite jura et obligationes eorum in hac parte.

a) Jura. — Licet haec juris vindicatio facile esse offensioni possit, necessaria tamen est, ut suus veritati sit locus. Non enim defuerunt, nec desunt qui aperte vel tacite censeant, regulares in casu invadere jura cleri saecularis maxime parochorum, ipsos propterea intra claustra continendos, et ad summum in subsidium et defectum cleri saecularis officiis ecclesiasticis posse vacare. Judicium profecto erroneum, petitio intolerabilis! Nam ex institutione Christi Dñi Romanus Pontifex et Episcopi, iique soli, jure divino pascunt fideles. Dilatata jam fide, hi pastores a Spiritu S^to^ positi, alios in partem sollicitudinis assumpserunt, inter quos, tractu temporis, nonnulli etiam munus et officium stabile propriis juribus circumscriptum consecuti sunt, ut vgr. parochi. cfr. rubr. tit. 29, lib. III. Verum hi omnes, sive de clero saeculari assumpti fuerint, sive de clero regulari, sunt et manent cooperatores subordinati, humana voluntate adlecti: cur autem Episcopi per se et a priori tenerentur cooperatores sibi eligere e clero saeculari, potius quam e clero regulari, ratio nulla manifestat: "stultum enim est dicere quod ex hoc quod aliquis in sanctitate promovetur, efficiatur minus idoneus ad spiritualia officia exercenda" ita S^t^. Thom. II, II, 187, I.

b) Obligationes nempe erga R. Pontificem et Episcopos locorum ut legitime ministeriis sacris fungantur. Cum enim sacerdotes regulares, perinde ac saeculares, nullo jure divino immediato ad curam animarum vocentur, sed ab Ecclesia hierarchica ad tantum munus adlegantur, restat ut continue perspiciant condiciones hujus suae vocationis, ne zelo intemperanti in messem sibi vetitam falcem immittant.

Art. I. De habilitate regularium ad munia ecclesiastica in genere.

Religiosi, ut supra habitum est, vi sui status minime pertinent ad hierarchiam ecclesiasticam (p. 36). Qua tales igitur vitae apostolicae non sunt addicti; imo ab initio universus chorus monachorum laicalis erat.

Angelica tamen quam ducebant vita, fervor caritatis quo hujusmodi viri aestuabant eos profecto singulari ratione ad curam animarum gerendam disponebant. Quapropter, exemplo Sti Eusebii vercellensis, Sti Augustini, Sti Martini turonensis aliorumque Antistites sibi copiam operariorum e monasteriis deligere minime dubitarunt. Nec dissentiebant Ri Pontifices, teste antiquissima omnium quae supersunt, decretali, nempe S. Siricium ad Himerium Tarraconensem (385); "monachos quoque, quos tamen morum gravitas et vitae ac fidei institutio commendat, clericorum officiis aggregari et optamus et volumus". ap. Grat. c. 29, C. XVI, q. 1, ubi legas et can. 21, 23-30. Nec obstant plures alii hujus quaest. canones qui in contrarium sonant, loquuntur enim de iis monachis qui juxta primaevam sui institutionem laici permanserunt.

Necessitate igitur Ecclesiae, voluntate R. Pontificum Episcoporumque, inde a saec. IV monachi inducti sunt ut professioni suae regulari vitam adderent clericalem et, sacris ordinibus initiati, ministerio ecclesiastico se manciparent." Ainsi, ut verbis utar Leon. XIII, ils coopérèrent grandement à la mission de l'Eglise qui consiste essentiellement à sanctifier les âmes et à faire du bien à l'humanité". Epist. gallic. ad Cardin. Richard, 23 Dec. 1900. — Quantum porro Deus O. M. eorum laboribus addiderit favorem testantur fides christiana, cultus et humanitas totius praesertim occidentis. Monachi quippe societati humanae post barbarorum incursiones haec bona, aut servarunt, aut restituerunt. Cfr. de Montalembert, Les Moines d'Occident, préface; imo integras gentes, ut de Germanis et Anglis etc. notissimum est, Christo lucrifecere. Egregia haec regularium merita multi diligenter considerare debuissent, aut deberent priusquam in

ipsorum ministeria invehebant; si enim quos laeserant monachi traxerint, ipsi verosimiliter nec in cathedrali unius rectorum nec in variis beneficiis residebant.

Illis porro saeculis (IV-XI), facta solitaria si detrahas, ministeria regularium non multam, imo nullam habuerunt invidiam. Querelae autem, ni totus fallar, tunc moveri coeperunt, cum saec. XI primo erigerentur ecclesiastica beneficia in titulos distinctos et perpetuos, vacationis capaces, qua cum institutione, brevi postea, conserta est notio "proprii sacerdotis." Ideoque Urbanus II (non Bonifacius IV, ut mendose habet Grat. can. 25 c. 16 q. 1) in Concilio Nemausensi, 1096, can. 2., ap. Mansi, t. XX, p. 934, nascentem livorem redarguit, et pervicaces poena suspensionis ab officio coërcet. "Sunt nonnulli stulti dogmatis, magis zelo amaritudinis, quam dilectionis inflammati, asserentes monachos qui mundo mortui sunt et Deo vivunt, sacerdotali officio indignos, neque poenitentiam, aut christianitatem, seu absolutionem largiri posse... sed omnino falluntur... Credimus igitur a sacerdotibus monachis ligandi solvendique potestatem digne administrari... Decertantes igitur contra monachos in hac re, sacerdotalis potentiae arceri officio praecipimus, ut ab hujusmodi nefandis ausibus in posterum reprimantur."

Erupit tandem aperte livor, cum, saec. XIII, Mendicantes amplissima exemptione a Sede Ap. muniti vitae apostolicae insudare coeperunt. Agmen primum contra eos duxit Guilielmus a sancto Amore, Dr. Pariensis: hunc revicerunt St. Thomas, opusc. Contra impugnantes Relig. et in Summa theol. II, II. 187, 1; ibid. 188, V; St. Bonaventura, opusc. Quare Fratres Minores praedicent, ejusque calumnias damnavit Alexander IV, 1265, vide ap. Denzinger, Enchir. n. 881. Consimiles errores Joan. de Polliaco (de Pailly), doctoris Paris., proscripsit Joan. XXII, 1320, const. "Vas electionis" Cf. de Haereticis, lib. V, tit. 3. inter extrav. Joan., et apud Denzing. n. 420-422. Reliqua hujus simultatis fata usque ad Concil. Lat. V sub Leone X, accipe a Hergenröther, Kirch-gesch. edit. 2, t. II, p. 783-787.

Antiquas lites refricaverunt Jansenianis quorum placita damn-

navit Pius VI, 1794, bull. "Auctorem fidei" prop. 80, seq., apud Denz. n. 1448, sq. Nec ab ea labe immunes fuere scriptores nonnulli recentiores inter quos Marianus Verhoeven, professor jur. can. Lovaniensis, in opere: De regularium et saecularium clericorum juribus et officiis, Lovan., 1846, quem refutarunt doctissimi PP. Tinnebrock et de Buck: Examen hist. et can. libri R.i D.i Verhoeven (sine nomine auctorum) 1847. Hodiernis porro detractoribus obstitit Leo XIII, in cit. epist. gallic. ad Card. Richard, 23 dec. 1900. "Le but de ces engagements (vot. relig.) est double: d'abord... ensuite de les préparer, en épurant et en fortifiant leurs âmes, à un ministère extérieur qui s'exerce pour le salut du prochain et pour le soulagement des misères si nombreuses de l'humanité."

Concludimus cum Bouix t. II, p. 8, "ergo ex antiquitatis documentis, ex Patrum traditione, ex perenni Ecclesiae praxi, necnon expressis ipsius decretis omnino certa est atque admittenda regularium ad clericalia munia habilitas. Hanc negare non libera inter catholicos opinio, sed apertus et multoties damnatus error."

Art. II. De eorum juribus et obligationibus quoad varia ministeria in specie.

§ I. De assumptione ad episcopatum.

Vide supra, cap. IX, art. 4, p. 240.

§ II. Quoad parochiales ecclesias regendas.

1) Nihil per se obstare quominus Regulares parochialibus praeficiantur ecclesiis, patet ex eo quod a) hujusmodi ministerium nullatenus pugnat cum essentia vitae regularis; quod b) Regulares rite promoventur ad episcopatum, a fortiori ergo, ad officium parochi. c) Ex praxi per multa jam saecula ab Ecclesia probata. d) Ex ipso assensu Conc. Trid. sess. XXV de reg. c. 11 et sess. VII de ref., c. 7. — Vide haec argumenta fusius exposita apud Bouix, t. II, p. 10-15, 35-37.

2) Juxta doctrinam traditam in expositione tit. 5, lib. III, beneficia ecclesiastica dividuntur in saecularia et regularia, prout natura sua (vgr. canonia, abbatia, prioratus), vel facto quodam, puta: fundatione, privilegio, praescriptione, unione, vel ad saeculares vel ad regulares clericos spectant:

3) Omissis caeteris, consideranda est hic tantum unio parochiarum cum monasteriis quae triplici ratione haberi potest:

a) non pleno jure, seu accessorie, i.e. quoad temporalia tantum, cum scilicet exclusive redditus cujusdam ecclesiae parochialis monasterio adtribuuntur.

b) pleno jure, seu subjective, cum praeter jus percipiendi temporales redditus ipsa quoque cura animarum talis ecclesiae monasterio conceditur, ideoque ecclesia dicitur monasterio incorporata, de mensa vel membrum monasterii.

c) plenissimo jure, ita ut territorium, ab omni dioecesi quodammodo avulsum, fiat exemptum proprioque regatur quasi ordinario qui dicitur "Nullius" nempe dioeceseos. cfr. supra p. 291, III, 3.

Quaeres: Quisnam ecclesias parochiales monasterio unire valeat?

Resp. Conc. Trid. id Episcopis permiserat, sess. VII de ref. c. 6, servatis servandis, quae ibi indicantur. Verum postea, sess. XXIV de ref. c. 13, peremptorie edixit: "ecclesiae parochiales monasteriis quibuscumque aut abbatiis... non uniantur". Ideoque haec unio facta est hodie causa major R. Pontifici reservata. Vide exempla ap. Richter, p. 366, n. 2 sq.

4) De lege ecclesiae parochialis monasterio unitae.

Jure Decretalium: a) in casu unionis subjectivae: α) Ad exercendam curam constituebatur vicarius non quidem perpetuus, sed amovibilis ad nutum monasterii. β) Hujus personae electio spectabat ad monasterium. γ) eligibilis erat tum regularis, tum clericus saecularis. δ) non dabatur locus institutioni authorizabili per ordinarium faciendae, siquidem cura habitualis erat penes monasterium (nomine institutionis authorizabilis intelligitur: concessio jurisdictionis parochialis ad sacramenta

populo administranda ejusque curam pastoralem agendam, vide Comment. in tit. 7, lib. III).

b) in casu unionis accessoriae: α) Constituebatur vicarius perpetuus; β) ejus praesentatio pertinebat ad monasterium, γ) praesentari poterat regularis, vel etiam saecularis cui assignan... erat portio congrua, δ) instituebatur ab Episcopo, ε) quia hujusmodi vicariatus perpetuus erat, ideo habebatur ut verum beneficium ad cujus titulum clericus ordinari poterat. cfr. c. 3, de Praebend., III, 5; c. unic. de capell. Monach. III, 18, in VI; c. 27 de Rescript. I, 3; c. 3 de Offic. Vic. I, 28; vide Bouix, t. II, p. 18 sq.

Jure Tridentino. — conc. Trid., sine distinctione unionis pleno jure aut in temporalibus tantum factae universim statuit sess. VII de ref., c. 7. "beneficia ecclesiastica curata quae... monasteriis... quibuscumque perpetuo unita... reperiuntur, ab ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui sollicite providere procurent, ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum portione... assignanda ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur: appellationibus, exemptionibus, privilegiis... minime suffragantibus".

Igitur, salvo privilegio posttridentino, a) Episcopus ipse deputat vicarium, quapropter procedit institutio collativa tituli, authorizabilis et realis. b) ideoque ante institutionem Episcopus, per se vel per alium, examinat personam instituendam. c) deputat porro vicarium amovibilem, vel etiam perpetuum, prout bonum ecclesiae suaserit. d) Quod si vicarium perpetuum instituere velit, requiritur ut, praevio decreto, in dicta ecclesia, vicariatum perpetuum erigat, qui eo ipso fit veri nominis beneficium et titulum ordinationis subministrare potest. Vicarius hoc modo deputatus nonnisi ab Epō removeri poterit, et quidem tantum in casu quem contemplat cap. 3, de Offic. Vic. I. 28.

Correctio Piana. — allegatas Conc. Trid. dispositiones S. Pius V, const. "Ad exequendum" § 4 et 5, 1 Nov. 1567, Bull. R. t. IV², p. 402, dupliciter emendavit, et licet Greg. XIII, const. sua "In tanta re-

rum;" 1 Maj. 1573, B. Rom. t. IV³, p. 251, hanc pianam correctionem, sicut et alias ejusdem Pontificis largitiones, ad terminos juris Trid. revocaverit, postea tamen dictos § 4 et 5 iterum ratos habuit, ut pluries declaravit S. C. C., videsis Bouix, t. II, p. 24 sq. ita ut hodie dum jus faciant. Porro S. Pius V dicta

§. 4 voluit: ut, firma remanente dispositione Trid. quoad parochiales ecclesias accessorie tantum unitas, si contingat Epum erigere vicariatum perpetuum in ecclesia pleno jure monasteriis unita, nominatio seu presentatio vicarii pertineat ad monasterium, cum praevio Ordinariorum examine et subsequenti institutione. Et hanc ob causam hujusmodi Beneficia legi concursus obnoxia non sunt.

§ 5 voluit ut, quandocumque parochialis ecclesia pleno jure unita sit monasterio mendicantium aut monachorum, a) Superior jus habeat aliquem e suis regularis, non autem saecularem, nominandi. b) Religiosus designatus ab Epo examinetur, c) ab eo cum idoneus repertus fuerit, institur. d) cum vicario maneant saltem quatuor alii ex dictis monachis — hunc tamen numerum reduxit Greg. XIII cit. const. ad unicum fratrem socium. e) Vicarius ita deputatus manet ad nutum superioris amovibilis, ad quem actum, e posteriori stylo S. C. C., non procedat superior nisi " certiorato Epo." Vide varias resol. S. C. C. ap. Richt., p. 413 sq. Demum Bened. XIV const. "Firmandis" § 11, ap. Richt. p. 591 decrevit: hujusmodi parochos tam ab Epo, quam a superiore regulari aequo jure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura removeri posse; nec unum alteri causas judicii sui aperire, multoque minus probare ... debere."

Inde deduces: Si quandoque superior mendicantium aut monachorum nollet aliquem e suis religiosis nominare, Epus utetur jure sibi facto in cap. 7, sess. VII de ref. et quidem, si deputet vicarium amovibilem, hic undequaque a solo pendebit Epo; e contra si Epus in dicta ecclesia vicariam perpetuam erigat, superior, vi § 4 const. Pii V, jus nominationis retinebit, nec concursui locus erit.

Vicarius semel institutus manet profecto sub visitatione

et correctione Episcopi in iis omnibus quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem pertinent, juxta c. 7, sess. VII de ref.; c. 11, sess. XXV de reg.; const. "Inscrutabili" Greg. XV, §. 4, 5, 5 febr. 1622. Porro quaenam in ecclesia parochiali regularium visitationi Epi subjaceant singillatim recenset Bened. XIV, cit. const. "Firmandis" § 7, videlicet: unicum altare in quo asservatur SS., tabernaculum, fontem baptismalem, confessionale parochi, pulpitum, sacrarium ecclesiae, i.e. locum in quo asservatur sacra suppellex pro sacramentis paroecianis administrandis, coemeterium paroeciae, campanile, demum omnia sacra vasa ad missae celebrationem, ad sacra olea, vel aquam baptismalem continenda destinata. Ulterius, ex §. 8, personam vicarii, i.e. ejus mores quatenus ipsius conversatio extra claustrum aedificationi fidelium obesse posset. Demum an et qua ratione officia stricte parochialia adimpleverit, v.gr. quoad residentiam, praedicationem, catechismi expositionem, poenitentiae et matrimonii sacramenta, synodi frequentationem, ad quam etiam sub censuris renuentem cogere potest, S.C.C. 1. Apr. 1656, ap. Richt. p. 330, n. 15. Uno verbo, quidquid a parocho saeculari exquirere et exigere solet et debet Epus, id omne, excepta regulari observantia, a parocho regulari exigere potest, et, ubi opus fuerit, in eumdem poenas statuere. Superior regularis, quoad correctionem parochi, cumulative cum Epo procedere valet, ita tamen ut in casu dissensionis inter ipsos, standum sit decreto Epi. Const. cit. § 10.

A dicta visitatione, nisi forte et hoc praescriptione Epus obtinuerit, eximuntur tantum parochi, sive saeculares sive regulares, qui animarum curam exercent in iis monasteriis in quibus superiores generales totius ordinis sedem ordinariam, i.e. constitutionibus, consuetudine aut electione ab initio generalatus designatam, habent, ad tenorem c. 11, sess. XXV de reg. et interpretationis authenticae Bened. XIV, in cit. const. § 13-19. Ap. Richter, p. 592 sq.

5) De promotione regularis ad paroeciam saecularem. —

Ob professionem suam regularis ~~regularis~~ minime incapax est benefi[illegible] curati saecularis, ut ostendunt arg. hac ipsa § sub n. 1 allata [illegible] sane hujusmodi collationes, jure decretalium, frequenter

usu veniebant, easque PP. Trid. sess. XIV de ref. c. 11 ut rigentes supponunt, siquidem ab iis translatos ex uno ad alium ordinem, etiamsi canonicorum regul. fuerint, arcent.

Verum, tractu temporis, S.C.C. has collationes ad se advocavit ita ut hodie absolute requiratur beneplacitum Ap. Cfr. Richter, p. 94, vide const. "Quod inscrutabili" Bened. XIV, 9 Jul. 1745, Bull. Ben. (edit. Mainard) t. I, p. 239. Ab hac lege eximuntur soli Praemonstratenses quorum antiquum privilegium confirmavit idem S. Pont., const. "Onerosa", 1 Sept. 1750, Bull. B. t. III, p. 187.

Equidem sentio cum Bouix, t. II, p. 51, dictum beneplacitum Ap. postulandum esse in casu, a solis regularibus proprie dictis, libere vero Epos parochias saeculares sacerdotibus Institutorum posse conferre, quamdiu eorum constitutiones a Sede Ap. probatae non obstant.

§ III. De regendo Seminario.

Egregium hoc munus, etiamsi ipsis ab Epo deferatur, Regulares assumere nequeunt. Obstat enim jus commune a Trid. sancitum c. 18, sess. XXIII de ref. Quoad deputatos et administratores seminarii. Ut igitur ad dictum munus habiles fiant requiritur beneplacitum Ap., vide Bened. XIV, de syn. l. V, c. 11, n. 9, et Bizzar. p. 798, n. 4; idque verum manet etiamsi Ordo vel Institutum in genere pro directione seminariorum approbatum fuerit. Bizzar. p. 791, n. 5.

§ IV. De munere praedicandi.

Jure Decretalium. — Ante Trid. Regulares exempti, quoad praedicationem, generali approbatione Sedis Ap. gaudebant, et in exercitio hujus facultatis a solis suis pendebant superioribus. Nulla Ordinariorum requirebatur licentia. Salva tamen manebant jura parochorum, ita ut in eorum ecclesiis Regulares nullatenus praedicarent nisi invitati vel vocati; insuper Epi in praedicatores extra claustrum delinquentes, pro arbitrio, animadvertebant. Lege const. Bonif. VIII, insertam cap. 2, de sepulturis,

III, 7 in Clem. – Speciatim quoad Soc. J. cfr. const. Pauli III "Cum inter", 3 Jun. 1545.

Jure Tridentino. – Abusus porro quaestorum eleemosynarum, cfr. Trid. sess. X de ref. c. 2 in fin. et c. 9 sess. XXI de ref., et crimina monachorum apostatarum publice errores, scandala et haereses in populum disseminantium in causa fuerunt cur Patres Trid. avitam Regularium libertatem multis cautelis circumscripserint. Praecipuae leguntur c. 2, sess. V de ref. c. 4, sess. XXIV de ref. quas posthac confirmarunt, imo auxerunt, Greg. XV, const. "Inscrutabili", 5 febr. 1622 ap. Richt. p. 543; Clem. X, const. "Superna", 21 Jun. 1670, op. cit. p. 546, quorum summa haec est: Ut Regulares licite praedicare valeant:

a) In ecclesiis propriis.

1) Indigent licentia proprii superioris competentis juxta uniuscujusque ordinis constitutiones. Trid. sess. V, de ref., c. 2.

2) Cujuscumque Ordinis fuerint [illegible]quam praedicare incipiant, personaliter coram Epo se praesentare et ab eo benedictionem petere tenentur. Trid. l. cit.

3) Quam si non obtinuerint, nihilominus praedicare poterunt, cit. const. "Superna". tametsi ecclesia parochialis est.

4) Si vero Epus positive contradixerit, nec in propriis ecclesiis praedicare possunt Trid. sess. XXIV de ref., c. 4; const. "Inscrutabili" §. 3; const. "Superna" § 3.

5) Nunquam tamen Epus potest, edicto generali, Regulares suae dioeceseos, vel insimul universa membra alicujus monasterii prohibere quominus in propriis ecclesiis praedicent, S. C. C. pluries, et Clem. X, c. Superna, § 3 in f. Excipias unice casum, quem Deus avertat, in quo singuli una crimen admiserint ob quod Epus contradicere potest.

6) Licet Epo vetare religiosis praedicationem in propriis ecclesiis quae parochiales non sunt, qua hora ipse in civitate praedicat; insuper, in omnibus, quo tempore populum suum in ecclesiam cathedralem congregare intendit; demum – quod ferme in idem recidit – quo tempore, ex causa publica et extraordinaria, convo-

catis clero, magistratu et populo coram se solemniter praedicare facit. Cfr. Bened. XIV, de Syn., lib. IX, c. 17, n. 6 sq.

7) Tenentur admittere Epum cum in propria eorum ecclesia praedicare voluerit, et si ecclesia parochialis sit, tenentur etiam admittere praedicatores ab Epo in actu visitationis deputatos, cfr. supra p. 301, et const. Firmandis § 5.

8) Stante Epi jussione, tenentur populo in suis ecclesiis jejunia, festa etc. annunciare; imo et, diebus dominicis, in una vel altera missa praedicare, sin minus ex stricta subjectione, saltem ex decentia et charitate, cum fideles ad satisfaciendum obligationi audiendi missam admittant.

b) <u>In ecclesiis alienis.</u>

1) Indigent, praeter missionem proprii superioris, licentia Episcopi gratis concedenda. Trid. sess. V de ref. c. 2, const. Inscrutabili § 6; quod jus suum Epus urgere poterit etiamsi agatur de unica quadam praedicatione.

2) Quaerentem licentiam Epus examini quoad <u>doctrinam</u> (1) subjicere potest, etiamsi consuetudo contraria immemorialis obtinuerit, servato sane moderamine discretionis. Const. "Superna" § 3. Item, ab eadem, Epus, pro suo prudenti et discreto arbitrio, professionem fidei exigere potest S. C. C.

3) Episcopus, absque rationabili causa licentiam praedicandi denegans illicite ageret, verum rationem denegationis non tenetur regularibus aperire, sicque appellationi non datur locus, sed restat tantum via recursus ab injusto gravamine ad S. C.

4) Licentia (idem dicas de benedictione) semel sine limitatione concessa, nec revocata, censetur regulari acquisita pro toto tempore suae commorationis in dioecesi.

5) Porro hanc ipsam concessionem ob rationabiles causas, sive manifestas sive etiam occultas, praedicationem tamen con-

---

(1) Quoad methodum practicam exigendi hujusmodi examen exemplo sint normae in Urbe sub Pio X praestitutae, quas videsis in Anal. eccl. 1906, p. 35.

cernentes, Epus suspendere aut revocare potest, "Superna" §.3.

Manifestae rationes a Trid. indicantur tres, sess. V, c. 2, scilicet diffusio doctrinae erroneae, scandalosae, haereticae, quibus accedit profecto insufficientia doctrinae experimento comprobata. — Occultae vero rationes diversissimi generis esse possunt.

Attendendum porro quod juxta constantem S.C.C. jurisprudentiam fundatam in verbis Const. "Superna" "licet occultas", Epus non tenetur regularibus manifestare causam ob quam licentiam revocavit, ideoque ut supra, sub 3°, nulla datur appellatio ab ejus actu.

6) Denique in regulares contravenientes i.e. in propria ecclesia non petita benedictione vel contradicente Epo praedicantes, aut praedicantes in aliena ecclesia sine ipsius licentia, Episcopus, vi const. "Inscrutabili", §.6, tamquam Sedis Ap. delegatus, per censuras et alias poenas procedere potest. Haec potestas Episcopo delegata profecto non transit ad vicarium capitularem.

§V. De baptismo.

Hujus sacramenti administratio ad jura pertinet parochialia. Quapropter, extra casum necessitatis, regulares nequeunt sine licentia parochi vel Episcopi baptizare infantes. Adultorum porro baptisma ex iis causis est quae ad Epum sunt deferendae. Cfr. Rituale Rom.

In missionibus exteris, ubi nulli habentur parochi, Regulares missionarii, jure suo, hoc sacramentum administrant. Sedulo tamen attendant ad conditiones et cautelas illis, per constit. pontificias et per decreta S.C. Prop. Fid. impositas, quae prostant in coll. Prop. Fid. parte II, tit. 1, cap. 2, art. 3-6.

§VI De Sanctissima Eucharistia.

a) De audienda missa apud Regulares.

Procul dubio fideles huic praecepto in ecclesiis et oratoriis publicis regularium satisfacere possunt, nec a quoquam impediri valent,

Cfr. Bened. XIV, de Syn. lib. XI, c. 14, n. 8 sq. Viri, etiam in oratoriis interioribus, quotiescumque ea a Provinciali designata et approbata fuerint, satisfacient: ratio est quia si ab Episcopo approbata forent id, nemine refragante, obtineret: atqui in munere designandi et approbandi Epo successerunt Provinciales. Ergo. Cfr. supra p. 303, lit. f.

b) De SS. sacramento fidelibus ministrando.

1) Possunt regulares fidelibus SS. Eucharistiam in propriis ecclesiis dispensare. Lege Bened. XIV, de Syn, l. IX, c. 16, n. 3.

2) Excipitur tamen de jure communi dies Paschatis, S. C. C. ap. Richt., p. 70, n. 10, nisi forte accedat licentia Epi vel parochi, aut legitime praescripta consuetudo, ut certum est apud multos probatos DD.

3) Insuper nequeunt saeculares in dictis ecclesiis praecepto communionis paschalis satisfacere, sed ecclesiam parochialem adeant omnino requiritur. — Quoad vagos et peregrinos, controvertitur: multi graves DD. affirmant, tum ob antiquas Sedis Ap. declarationes, tum maxime quia vagi etc. non habent proprium ibi pastorem; qui negant, provocant ad Rituale Rom., tit. de Cnione paschal. n. 3, verum et ibi admittitur consuetudo opposita. Cfr. S. Alph. lib. VI, tract. 3, n. 240. Tuta igitur est sent. affirmativa.

4) Ab hac regula excipias a) Regularium famulos qui verificant conditiones a Trid. sess. XXIV de ref. c. 11 taxatas: ii scilicet qui regularibus actu inserviunt, intra eorum septa et domos (sensu copulativo) resident, atque sub eorum obedientia, non quidem religiosa sed servili, vivunt.

b) Regularium perennes convictores, vel melius alumnos in collegiis et seminariis.

Quaestio haec olim acriter controvertebatur, implexa enim est quaestioni longe universaliori, videlicet: utrum dicti alumni in sacramentorum perceptione sint nec ne a parochiali vinculo immunes; quam enim hic elegeris sententiam eam infra retineas oportet, ubi agetur de administratione viatici, extremaeque unctionis et de jure sepeliendi. Bouix quidem, scribens anno

1857, t. II, p. 204, candide fatetur: "quaestio haec mihi quidem videtur difficillima, nec tentabo eam enucleare". Verum exinde dimidium saeculum effluxit, et fructus disputationum hic videtur: ut rite subscribere possis judicio P. Gury, t. II, n. 564, dicentis sent. affirm. "in praxi tutam." Difficultas potius in eo est ut haec praxis tuta solidis argumentis vindicetur:

Ad hoc maxime conducet accurata descriptio status quaestionis. Et sane 1) eliminandi sunt omnes convictores qui non jam alumnorum, sed hospitum potius vel inquilinorum speciem praeseferunt; vgr. studiosi qui in domo sub directione regularium constituta (convictus, maison de famille etc.) victum tantum atque tectum quaerunt, pro lubitu suo discessuri. — 2) eliminandi pariter alumni proprie dicti, si quando versentur in domo vel collegio, cui ob insufficientem religiosorum numerum, exemptio periit — hoc utroque sensu intelligendae sunt non paucae S. C. C. resp. quae contra nostram sententiam allegantur. De convictoribus, qui hospites sint, verificantur quae scripsit Reatin. com. in Const. "Ap. Sedis", n. 134, p. 85. — 3) Censeo regulares hoc jure potiri tantum in collegio quod ipsi de novo suscitarunt, vel certe acceperunt liberum ab omni subjectione parochiali. Et sane cum admittunt collegium in quod parochus ab immemoriali tempore pacifice sua jura exercebat, maxime si post adeptionem collegii de eorum consensu, parochus sua jura per longum tempus prosecutus est, non poterunt regulares ex templo et pro suo arbitrio jura parochi elidere. Et haec est species facti causae Parmensis, ap. Bizzar. p. 563, quae a multis aeque frequenter ac inutiliter contra sent. quam defendimus allegatur, fuit enim causa revera specialissima, ut recte dicit P. Gury l. cit., quidquid obloquatur Pennachi, Comment. in Const. "Ap. Sedis" t. I, p. 1029. — 4) Libenter concedo nullum — si privilegia directe concessa omittamus — textum juris scripti invocari posse, quo sententia nostra positive fulciatur. — 5) Verum praeter jus scriptum agnoscitur in Ecclesia jus consuetudina-

rium quodque legitimae praescriptioni conjunctum contra jus tertii praevalere potest. Hocque titulo cum Pichler, Pelizzar., Schmalzgr. vindicamus horum alumnorum liberationem a vinculo parochiali. — 6) Jam age Trid. sess. XXV de reg., c. 11 distinguens, ratione curae animarum quae monasteriis immineat, inter saeculares "qui sunt de familia monasteriorum" et reliquos, posteriores tantum jurisdictioni, visitationi et correctioni Epi subjicit. Similiter Clem. X in cit. const. "Superna", § 4 regularibus "in collegiis ubi juxta regularia instituta vivitur" facultatem agnoscit audiendi, sine approbatione Epi, confessiones illorum saecularium "qui inibi sint vere de familia et continui commensales."

Quaestio igitur nostra huc devolvitur: utrum proprie dicti alumni sint necne "de familia" regularium.

Id porro, de alumnis collegii, seminarii etc. cui praesunt rectores et magistri numero competenti ad exemptionem et perpetuo inibi commorantes, affirmandum videtur.

Sane hi intra septa et domos collegii vivunt, commensales sunt multo intimiores ac famuli, obedientia universaliori adstringuntur, et tametsi non serviunt regularibus nihilominus in exercitio propriae activitatis magis rigorose pendent ab ipsis quam servi domus: quantitas porro et qualitas servitii a Trid., sess. XXIV de ref., c. 11, taxatae non fuerunt. — Accedit praxis et consuetudo diuturna, quam nemo jure irrationabilem dixerit, siquidem in intentione tridentina verificata fundatur. Concludimus ergo, hanc praxim quamdiu Epus non reclamaverit in praxi esse tutam — Caeterum quoad Soc. J. lege Benedicti XIV breve dat. 7 Sept. 1753 in Ann. Juris Pont. t. 7, p. 1106.

5) Nulla lege generali prima puerorum communio ad functiones parochiales pertinet, possunt igitur Regulares eos admittere cum, juxta catechism. C. Trid., part. II, cap. 4, n. 68, a confessario idonei reperti fuerint. Quod si Epus statutis suis dioecesanis aetatem competentem taxaverit, ejus dispositio etiam

a Regularibus observanda est. S.C.C., 21 Jul. 1888 — Caeteroquin in hac materia attendendum est jus particulare variorum dioeceseon, ita vgr in Belgio, prima communio parochis reservata est. Cfr. P. Piat, t. II, p. 248.

6) Viaticum ad saeculares, excepto casu necessitatis, deferre non possunt, ut habet consentiens doctrina omnium, id enim ad jura parochialia spectat. — Imo Religiosi praesumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, sacramentum extr. unctionis, aut eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia" ipso facto incurrunt excommunicationem R° Pontifici reservatam. Const. "Apost. Sedis", tit. 2, n. 14 — Dicitur:

a) excepto casu necessitatis. — Porro hic casus verificatur, non tantum in extrema necessitate, seu in ultimo vitae habitu, verum quotiescumque ex una parte instat mortis periculum, ex altera vero parochus absens est, vel tempore opportuno advenire nequit, aut saltem id prudenter timetur, vel demum aegroto irrationabiliter sacramenta denegat.

b) religiosi — quod verbum in materia poenali stricte est interpretandum: igitur tantum de professis solemniter et de Patribus schol. Soc. Jesu.

c) praesumentes — ideoque a censura incurrenda excusat quaecumque ignorantia, cfr. Bucceroni, de censuris, n. 31, vel bona fides, puta in aestimatione periculi instantis, etc.

d) Clericis vel laicis — hinc censuram non incurrit religiosus viaticum novitio aut religioso alterius ordinis, etiam extra monasterium, administrans.

e) sine licentia parochi. — nomine parochi venit ille a quo aegrotus sacramenta suscipere debet, ejus superior, ejus locum tenens. — Porro licentia non est amplius qualificata, sicut olim in cap. 1. Religiosi, de Privil. V, 7 in Clem., vi cujus requirebatur "licentia specialis", sufficit ergo quaecumque: expressa, tacita, rationabiliter praesumpta, etc.

7) Demum neque S. communionem ad aegrotos, ex devotione

communicare volentes, sine licentia Epi vel parochi, deferre possunt: ratio est quia publice SS. eucharistiam ad aegrotos deferre ad jura pertinet parochialia, occulta autem delatio prohibita est.

c) De Sanctissimi expositione.

1) Distingue expositionem publicam a privata. Publica verificatur cum regulares SS. exponunt adorandum detecto sacramento, simulque, apertis ecclesiae suae foribus, fideles admittunt. Privata, quando, foribus clausis vel reseratis, SS. ita exponitur ut e tabernaculo non extrahatur et ita velatum manet ut sacra hostia videri non possit. — Item quando exponitur, etiam retecto sacramento, attamen foribus clausis, coram solis regularibus. Porro

2) Per se non licet regularibus SS. publice exponere citra licentiam Epi. arg. ex initio cap. 8, sess. XXI de ref. cui innituntur plurimae decis. S. C. C. vide casum normalem in una Neapolit., 1630, ap. Richt. p. 70, n. 11, cfr. op. cit. p. 393 "ad dubium". — Dixi per se, quia, fatente ipso Bened. XIV caeteroquin severiore, Instit. 30, n. 14, plurimum in hac re potest consuetudo legitime praescripta.

3) Privata expositio religiosis libera est.

§ VII. De administratione Sacramenti Paenitentiae.

I. De origine jurisdictionis Regularium quoad saecularium confessiones. Controvertitur utrum illam habeant a Ro Pontifice, mediantibus superioribus, vel potius immediate ab Ordinariis locorum.

1a Sent. communissima inter DD. Regulares cuique assentiunt multi saeculares, cfr. Suarez, de Relig. lib. IX, c. 2 et de Paenit. disp. 28, sect. 3, 4, docet dictam jurisdictionem procedere a Dno Papa.

Eorum rationes sunt: quia ante Trid. Regulares, sive ex jure communi — vide const. Bonif. VIII "super cathedram", c. 2 de Sepultur. III, 7 extr. cn., const. Bened. XI "Inter cunctas", c. 1 de Privil. V, 7 ibid.

quam utique postea Clem. V in conc. Viennensi ad terminos dispositionis bonifacianae reduxit, c. 2 Dudum, de Sepult. III, 7 in Clem., const. Joan. XXII "Frequentes", de Judiciis, II, 1 extr. com. — sive ex privilegiis formalibus, cfr. vgr. quoad Soc. Jesu const. Pauli III, "Licet debitum" 18 Oct. 1549, hanc jurisdictionem a Ro Pontifice accipiebant. Atqui Trid., licet omnibus omnino Regularibus ad confessiones saecularium audiendas necessariam fecerit praeviam Episcopi approbationem, nihil unquam dixit de jurisdictione ab Epo obtinenda. Habent igitur Regulares et hodie jurisdictionem a Dno Papa, sicut ante Trid., licet alligatam conditioni approbationis Epi, sine qua, vel ipsis non aquiritur, vel saltem ab ipsis valide exerceri nequit. Cfr. Fagn. in cap. omnis utriusque sexus, 12, de Poenit. V, 38.

Non negant hi DD. posse Epum et ipsum jurisdictionem quoad confessiones suorum subditorum in Regulares transferre, imo id absolute necessarium est quotiescumque agitur de absolutione a casibus quos Epus sibi reservavit. Hinc intelliges cur Regularis, etiam contradicente suo praelato, utut illicite agat, nec privilegiis sui Ordinis in casu uti possit, valide tamen absolvat saeculares, cum in eos jurisdictionem ab Epo adeptus fuerit.

2a sent. docet jurisdictionem Regularium in casu ab Epo, seu rectius, ab ordinario procedere, eamque consultor ex officio S.C.E.R. in celebri causa O.P., 1866, non dubitavit traducere tamquam "longe probabiliorem et communiorem", pariter Cardinalis Panens in suis animadversionibus ad dictam causam hanc sent. ut "communiorem" retinuit. Vide Bizzar. p. 754, 757. Provocat ad Bened. XIV de Syn. lib. IX, c. 16, n. 7, 8 — affert deinde quas modo citavi Bonif. VIII, Clem. V, Joan. XXII constitutiones, ut inde eruat jurisdictionem vel ante Trid. in Regulares ab Epo dimanasse.

Cui argumento non inepte respondere licet: ex tenore illarum constitutionum manifeste apparet, Regulares debuisse adire Epum ad obtinendam gratiam audiendi confessiones

saecularium honoris causa; videlicet, ut debitus in Ecclesia ordo et necessaria reverentia servarentur, non autem ad formalem jurisdictionem obtinendam, siquidem, renuente Epo, nihilominus, confessiones audire valebant.

Fulciri posset haec 2a sent. alio argumento et quidem prima fronte multo solidiori. — Sane Conc. Trid. cit. sess. XXIII de ref. c. 15 ait: nullum presbyterum etiam regularem posse confessiones saecularium audire.... nisi ab Epis... idoneus judicetur et approbationem accipiat. Porro cum approbatio nihil aliud sit quam judicium idoneitatis, statim nascitur quaestio quo sensu accipienda sit particula et: num copulativo, num exegetico? Non sensu copulativo, ut videtur, quia tunc incideremus in nudam tautologiam. Quominus autem particulam et sensu explicativo (= id est) accipias, obstat aequiparantia quam Patres Trid. in hac re instituunt inter regularem et presbyterum saecularem non parochum. Huic profecto praeter judicium idoneitatis necessaria est jurisdictio; quapropter respectu illius verbum "approbatio" non est synonymum "judicii idoneitatis", sed revera sonat in vim jurisdictionis. Ex dictis autem Trid. eodem tenore loquitur de presbytero saeculari et regulari. Ergo, ut videtur, etiam respectu regularis, verbum approbatio significat jurisdictionem ab Epo obtinendam.

Vim hujus argumenti suo modo elidere conatus est Nauss, quin tamen, responsione proposita, sibimetipsi satisfacere valuerit vide t. II, p. 218, causa tamen exinde desperata non est:

Respondes igitur ad arg. propositum: concedo terminum "approbatio" in laudato capite esse ambiguum: siquidem quoad presbyterum saecularem necessario significat jurisdictionem, secundum vero conceptum formalem rem prorsus diversam, i. e. judicium idoneitatis; sed insimul observo hanc ambiguitatem respectu regularium sublatam fuisse constanti, apud Regulares communi, a Sed. Ap. nuspiam reprobata interpretatione quae verbum approbationis sensu propriissimo exponit. In dubio enim juris, quamdiu legislator non opportunum censet dare authenticam interpretationem, subintrat regula practica: "consule probatos auctores"

Jam age, in re nostra, tot auctores doctrina et pietate insignes apertissime tenent atque docent, Regulares obtinere jurisdictionem suam a Rº Pontifice, et tantum indigere approbatione Ordinarii, tot Ordines sibi hanc interpretationem ut regulam practicam praestituerunt, ut supremus Ecclesiae legislator eam ignorare non possit. Unde tacens legislator consentire videtur, vel certe verificatur casus in quo Ecclesia supplet jurisdictionem.

II. De approbatione Ordinarii quaerenda ad audiendas confessiones saecularium, ex Trid. sess. XXIII de ref., c. 15, junctis const. "Inscrutabili", Greg. XV, 1602, ap. Richt. p. 543; "Superna", Clem. X, 1670, ibid. p. 546 et 6 prop. damnatas a S. R. U. I. sub Alex. VII, 30 Jan. 1659, apud Bouix, t. II, p. 225.

1) Dixi — ad saecularium confessiones audiendas — probe enim observandum Conc. Trid. et posteriorem legislationem nihil innovasse quoad confessiones virorum regularium. Possunt igitur Praelati regulares libere designare religiosos qui fratribus et novitiis sint a confessionibus; poterunt hi religiosi etiam audire confessiones virorum alterius Ordinis quamdiu constitutiones poenitentis non obstant, poterunt demum sine approbatione Epi audire confessiones illorum familiarium quos indicat Trid. XXIV de ref. c. 11: expresse enim Clem. X in C. "Superna" § 4 decrevit: "in monasteriis ac etiam collegiis, ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tam praelatos regulares quam confessores regularium eorumdem monasteriorum seu collegiorum audire confessiones illorum saecularium, qui inibi sunt vere de familia et continui commensales".

2) de requisita approbatione. Quicumque non obtinet beneficium parochiale indiget approbatione ordinarii ad valide excipiendas confessiones saecularium, etiam sacerdotum. Trid. l. cit. C. Inscrutabili § 1, C. Superna § 1. Dixi:

a) Quicumque: ergo etiam Praelati regulares, lectores ac magistri, missionarii in locis infidelium etc. ita ut nulla omnino detur ab hac lege exemptio. Sane Urb. VIII const. "Cum sicut accepimus" specialiter de hac re edita, 12 Sept. 1628, Bull. R. t. VI¹ p.

14° absolute cassavit quaecumque privilegia huic Trid. dispositioni opposita quibusvis ordinibus, etiam Societati Jesu, vel eorum superioribus concessa.

b) ad audiendas confessiones cujuscumque saecularis, etiam sacerdotis, etiam illorum qui in vigore bullae cruciatae, jubilaei, vel cujuscumque indulti Apostolici facultate gaudent eligendi sibi confessarium. Cfr. decis. S. C. E. R., 11 April. 1698, ap. Bizzar. p. 282; const. Benedict. XIV "Apostolica indulta" § 5, Bull. B. t. I, p. 159 et dec. S. C. C., 4 Dec. 1683 ap. Richt. p. 206, n. 2.

c) Approbatione ordinarii — nempe illius dioecesis in qua quis confessiones auditurus est, ideoque minime suffragatur approbatio in alia dioecesi jam obtenta. Cfr. celebrem causam Angelopolit. (Puebla de los Angeles) ad 9, ap. Richt. p. 205 et prop. 3 inter damnatas jussu Alex. VII 30 Jan. 1659 ap. Bouix t. II, p. 226 c. Superm. § 4. Quapropter regularis in Cameracensi tantum dioeces. approbatus, non valide absolveret Cameracenses in dioecesi Atrebatensi, recte vero Atrebatenses intra fines dioecesis Camerac. Imo extraneos ad se confluentes hic regularis rite Cameraci absolvit, etiam a casibus Epo vgr. Atrebatensi reservatis, modo in loco confessionis non item Epo sint reservati, nec paenitentes in fraudem reservationis, i. e. unice ad vitandam sententiam proprii pastoris, advenerint.

d) Regularis quaerens approbationem in rigore personaliter coram Epo comparere tenetur, vide decis. S. C. C. ap. Richt. p. 206, n. 4. — Semel approbatus et divertens ad tempus in aliam dioecesim, cum revertitur, non eget nova approbatione si prior absolute sine limitatione temporis data fuerit nec a successore revocata, item si tempus taxatum nondum elapsum fuerit.

Sacerdotes iter transmarinum suscepturi, a proprio ordinario e cujus dioecesi discedunt, vel ab ordinario loci unde solvunt, vel demum ab ordinario portus intermedii per quem in itinere transeunt, approbari possunt ad audiendas confessiones, sed in navi tantum fidelium quorumcumque (ergo et sororum) secum navigantium, vel ad navem accedentium. Coll. Prop. Fid.

n. 933, junctis decr. S. Offic. 4 April. 1900, Anal. eccl. 1900 p. 287 et 24 dec. 1905. Imo juxta decr. ejusdem S. Off., 12 Dec. 1906, vi ejusdem approbationis fideles quoscumque absolvere possunt etiam in littore, et quidem a casibus ordinario loci forte reservatis, sub duplici tamen conditione (quoad reserv.): videlicet dummodo in loco nullus vel unicus sit sacerdos approbatus et loci ordinarius facile adiri nequeat.

Peculiari difficultate premebantur Missionarii Sinarum durante itinere terrestri vel fluviali ad stationem sibi assignatam, nam dum navim definitive egrediebantur illis peribat omnis jurisdictio de quo supra, aliunde sub poenis gravissimis nullum ministerium excercere poterant in terris Sinarum priusquam juramentum emiserint in manus Delegati Ap. vel superioris Missionis, vel ordinarii loci, de servandis legibus quoad ritus sinenses latis — Cfr. Coll. Prop. Fid. n. 1762, 1777. Itaque die 4 Febr. 1907 S. C. Prop. fid. publicavit gratiam a Pio X die 20 dec. 1906 hisce missionariis factam, cujuscumque Ordinis, Congregationis vel etiam e clero saeculari fuerint: Hi scilicet sacerdotes, si duo vel plures consociati, modo approbati sint ad confessiones audiendas — regulares saltem a proprio superiore, saeculares ab ordinario (ut supra) — possunt durante toto itinere ad stationem unus alteri confiteri, praeterea excipere confessiones clericorum, laicorum, sororum, verbo quorumcumque sociorum itineris, etiamsi dictum juramentum non praestiterint. Docum. vide ap. Verm. Period. t. III, p. 40 et 75.

Demum facultas approbandi cum spectet ad jura ordinaria Epi, eo defuncto, transit ad vicarium capitularem.

e) Approbationem requiri ad validitatem absolutionis, quod intelligas etiam de absolutione a venialibus. St. Alph. lib. VI, tract. 4, n. 543, ait inter veteres, quorum plures allegat, communissimam fuisse sent. oppositam, autumabant isti DD. omnem sacerdotem a Christo vi ipsius ordinationis, vel saltem ab Ecclesia obtinere necessariam ad effectum jurisdictionem.

Verum haec opinio deserenda est. Nam omnis sacramentalis absolutio, etiam venialium fit per modum judicii, ut theologi demonstrant in tract. de sacr. Paenitentiae, omne porro judicium validum praesupponit jurisdictionem. Jam age: quod simplex sacerdos talem potestatem et quidem expeditam habeat a Christo, id prorsus voluntarium est. Quod autem eam habeat ab Ecclesia, citra approbationem Epi, id non consonat Tridentino exigenti universim approbationem quoad confessiones saecularium, sed maxime explosum est ab Innoc. XI, decreto "Cum ad aures" 3 Jun., 12 febr. 1679, ap. Richt., p. 67 quo decernit Pontifex "non permittant (Epi) ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab ordinario" simulque Epis specialem concedit facultatem "ut in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, rigorosa animadversione procedant." Stante hoc decreto, jam evidens est, Ecclesiam in casu nullam prorsus communicare potestatem; quapropter simplex sacerdos ad absolvendum etiam a venialibus, manus undequaque vacuas habet.

III <u>De examine praevio ad concessionem approbationis.</u> Judicium idoneitatis sibi efformat ordinarius ex rigoroso approbandi examine, vel etiam aliunde. Trid. l. cit. Igitur:

1) Jure sibi a Trid. facto utitur Epus cum petentes approbationem praevio subjicit examini, etiam graduatos, lectores, superiores etc. Hoc tamen jure uti non tenetur, cum juxta ipsum concilium idoneitatem confessarii aliunde sufficienter perspectam habere possit. Hinc recte monet St. Alph., l. c. n. 542, non decere ut praelati regulares et lectores theologiae moralis examini subjiciantur.

2) Quos personaliter examinavit et dein sine limitatione approbavit, nequit Episcopus iterum examini subjicere, bene vero quos ob mediocritatem doctrinae ad tempus, vel alias cum restrictione approbavit; pariter eos, qui a praedecessore vel a vicario generali examinati, quomodocunque approbati fuerant. c. "Superna" § 5.

3) Materiam hujus examinis nec Tridentinum, nec ulla lex posterior taxavit. Versatur sane circa theologiam moralem, casus conscientiae, jus matrimoniale, censuras etc., nec non, ut verior habet doctrina, circa morum honestatem et prudentiam, arg. ex § 6 const. "superna", siquidem ob defectum alterutrius dotis Episcopus regularem ab audiendis confessionibus suspendere potest, ergo et ab initio approbationem denegare. — Regulariter tamen, quoad has dotes, Epus stabit attestationi superioris.

4) Examen ipsum denegari non posse, manifestum est, secus enim illusoriae redderentur dispositiones const. "Superna", § 5.

IV. De concessione vel denegatione approbationis. — Quaeritur utrum Episcopus possit pro arbitrio approbationem Regularibus denegare, vel limitatam tantum concedere. Quam quaestionem facilius solves, si, ut veritas habet, teneas, approbationem ordinarii non esse gratiosam concessionem, sed sententiam judicis attestantis regularem esse idoneum qui exerceat eam jurisdictionem quam a R. Pontifice accepit una cum jure exutendi — utique si idoneus fuerit.

1) Nemini dubium est, posse et debere Epum approbationem denegare indoctis aut moribus indignis, item eam legitime denegare quoties religiosus renuat examini se subjicere.

2) Juxta S. Alph. l. c. n. 549 Episcopus peccat si regulari idoneo sine causa sufficienti neget approbationem.

3) Quaestionem, utrum Episcopus Regularibus approbationem limitatam concedere valeat necne, olim non uniformiter solverunt suprema tribunalia romana. Etenim usque ad const. "superna" S. C. C. constantissime censuit, Epum non posse dictam facultatem limitare, sed debere, pro merito petentis, eum simpliciter vel approbare vel reprobare. Vide plures resol. ap. Bouix, t. II. p. 222. E contra S. C. Ep. R., inde ab anno 1587, distinctionem posuit inter generaliter idoneos et minus idoneos, quorum priores sunt simpliciter approbandi, posterioribus vero Epus pro arbitrio approbationem denegare vel

limitare poterit. Hanc jurisprudentiam Clem. X deinde an. 1670 const. sua "superna" § 4 canonizavit: "illos religiosos qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab episcopis generaliter quoque et indistincte absque aliqua limitatione temporis caeterorumque locorum aut generis personarum in dioecesi propria admittendos; quoad caeteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere."

Haec est igitur dispositio juris scripti hanc quaestionem hodiedum definiens. Quam assertionem non evertunt rationes a Bened. XIV, vel rectius a Card. Lambertini adhuc Bonon. archiepiscopo, in Instit. 84, n. 4 allatae, ut invicte demonstrat Bouix, t. II, p. 231-237. Id sane evincunt doctissimi auctoris rationes: Epos, alicubi et aliquando, posse contra Regulares praescribere, ita ut illis tantum limitatam approbationem concedant, maxime si ipsi rigorosum examen non postulent; vel demum, non posse religiosos excedere limites ab Epo vel bene vel male positos.

4) Quaeres igitur quisnam uti generaliter idoneus habendus sit. Respondeo cum P. Piat, t. II, p. 188, ille qui absolute idoneus reperitur in prudentia et morum integritate, ac in rigoroso examine totius Theologiae moralis specimen dederit propriae scientiae ac peritiae in solutione casuum conscientiae.

5) Simpliciter approbati non possunt impediri quominus confessiones paschales, aut infirmorum in articulo mortis, citra novam Epi vel parochi licentiam audiant. C. Superna § 4, ubi religiosis etiam praecipitur, ut de confessione infirmorum parochum certiorem reddant, saltem per schedulam apud infirmum relinquendam, secus episcopus ad poenam suspensionis a facultate audiendi confessiones procedere poterit. Cfr. etiam decis. S. C. E. R. 13 Sept. 1641, ap. Bizzar. p. 25.

V. De revocatione approbationis.

1) Regularem quem per se examinavit (secus si per Vic. Gen.) et generaliter approbavit, Episcopus a confessionibus audiendis suspendere nequit, nisi ex nova superveniente causa quae-que ad confessiones ipsas pertineat. Const. „Superna" § 5; S. C. E. R. 1615 ap. Bizzar. p. 21; Innoc. X in causa Angelopolit., 1653, ad 2um ex parte S. J., ap. Richt. p. 206.

Porro causa ad confessiones pertinens adesse censetur, si regularis v. gr. non servaverit interdictum ab Epo positum, S. C. E. R. ap. Bizzar. l. c.; si in audiendis confessionibus aliquod delictum admiserit, aut alias cum scandalo vel inhoneste vivat, cum praecipua ministri qualitas sit integritas vitae ac morum honestas.

2) Episcopus, qui ex causa sibi nota ad revocationem approbationis procedit, non tenetur hanc causam regularibus aperire, sed tantum Sedi Ap. cum ab ea interrogatus fuerit. Const. „Supern." § 5, in fin.

3) Quod si, nonobstante Ecclesiae vetito, Episcopus absque justa causa approbationem revocaret, profecto illicite ageret, revocatio tamen non esset ipso jure irrita, ideoque regularis stare tenetur tali sententiae, vel potius capiti 15, sess. XXIII de ref. — approbatus enim amplius non est, nec aliud ei remedium suppetit praeter recursum ad S. C. E. R.

4) Facultates limitatas quoad locum, genus personarum, ad beneplacitum etc. quas ipse concessit, Episcopus semper, pro arbitrio, adimere potest, „Supern." § 5.; practice tamen servabit regulam boni viri, nempe aequitatem.

Utrum etiam approbationem ad certum tempus concessam, puta ad annum, hoc tempore nondum elapso, sine causa nova superveniente, licite revocare possit, non consentiunt DD. 1a sent. negat, eo quod secus laederetur jus per approbationem acquisitum. Cfr. Piat. t. II, p. 193. 2a sent. affirmans,

quam veriorem habeo, fundatur in eo quod, constitutio Clem. X prohibet unice revocationem approbationis ______ sine limitatione concessae. Agnoscit igitur libertatem Epi in omni alio casu. Vide Bouix, t. II, p. 243, n. 4.

5) Approbationem, etiam generalem, a praedecessore, vel a Vicario Gen. datam, Epus semper revocare, et proin regularem novo examini subjicere potest.

6) Nunquam tamen — saltem in Europa — omnibus simul unius conventus regularibus facultatem audiendi confessiones, inconsulta Sacra C. E. R., adimere potest, cum haec generalis suspensio vix sine scandalo et animarum pernicie contingere possit. S. C. E. R. 1615, apud Bizzar. p. 21, "Superna" § 6. Ann. eccl. 1896, p. 100.

dixi — saltem in Europa — nam jure quaeri potest, utrum exceptio ab Innoc. X, 1653, in bull. "Cum sicut", ap. Richt. p. 205, n. 1, pro Indiis posita adhuc subsistat. Ingens enim difficultas communicandi cum Sede Ap. quae illam exceptionem induxerat, hodie evanuit.

7) Juxta decis. S. C. E. R., 19 Jun. 1806; ap. Bizzar. p. 407, Vicarius capitularis, etiam data justa causa, approbationem regulari examinato sine limitatione, aut sub verbis „ad beneplacitum nostrum" ab Epo defuncto concessam, revocare nequit. Censuit S. O. hoc jus Epo personaliter reservatum, in casu urgentiori Vicarius recurrat ad Sedem Ap.

Quaeres: Utrum regularis semel approbatus valeat eo ipso saeculares a reservatis (cum vel sine censura) absolvere.

I. Quoad casus Pontificios.

Resp. 1. Certum est Regulares nullo stabili privilegio gaudere absolvendi a casibus R. Pontifici reservatis. Id patet, de specialiter reservatis, ex ipsa const. "Apostolicae Sedis" 12 Oct. 1869, n. 12; de simpliciter vero reservatis, ex decl. S. Poenit. 5 dec. 1873, collect. Prop. Fid. n. 1007. Imo vi cit. Const. absolvere praesumentes sine debita facultate, quovis praetextu, extra mortis articulum a casibus R. Pontifici specialiter reservatis, excommunicationem

incurrunt eidem reservatam.

Resp. 2. Utique, de jure cõi, sicut reliqui confessarii, possunt absolvere a quocumque casu reservato paenitentem in articulo mortis constitutum, Trid. sess. XIV, c. 7 — Quod si tamen casus fuerit unus e speciali modo R. Pont. reservatis, poenitens, si forte convaluerit, tenetur stare mandatis Ecclesiae, i.e. ad Sedem Ap. recurrere, sub poena reincidentiae.

Resp. 3. Pariter, de jure cõi, in vi decreti S. Off., 23 Jun. 1886, directe absolvere possunt a censuris, etiam speciali modo R. Pont. reservatis, in casibus vere urgentioribus in quibus absolutio differri nequit absque periculo gravis scandali, vel gravis infamiae, sub poena tamen reincidentiae, si taliter absolutus infra mensem, saltem per epistolam, non recurrat ad Sedem Ap.

Resp. 4. Imo, vi decr. ejusdem S. Off., 16 Jun. 1897, etiam extra casum scandali, eadem ratione atque sub eadem conditione vel poena, absolvere possunt, jure cõi, poenitentem cui valde durum est in gravi peccato permanere.

Resp. 5. Utrum aliquid in hac materia ulterius valeat et quid, regularis mensurabit ex facultatibus suo Ordini ad certum tempus (puta ad decennium, ad vicennium) forte concessis, et ex tenore communicationis sibimetipsi factae.

II. Quoad casus Episcopales.

Observa: hi casus sunt duplicis speciei, prout scilicet Episcopis reservantur jure communi (nobis reservati), vel potius jure speciali, id est dioecesano (a nobis reservati).

1° de casibus ab Episcopo sibi reservatis.

Resp. Certum est regularem simpliciter ad confessiones audiendas approbatum, extra mortis periculum, nec licite nec valide posse absolvere quamdiu talem facultatem ab Epo de facto non obtinuerit, non enim sufficit illam petiisse.

Id constat ex innumeris documentis: vide prop. 12 inter damnatas ab Alex. VII, die 24 sept. 1665, ap. Denz. n. 983; decr. S. C. EE. jussu Clem. VIII, 1601 et 1602 ap. Bizzar. p. 15 sq.; ejusdem S. C. jussu Pauli V, 7 Jan. 1617, editum, ibid. p. 22; con,

tit. "Superna" § 6 ubi dicitur: "ex facultatibus per mare magnum aliave privilegia regularibus, etiam Societatis Jesu concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Epo sibi reservatis" additur autem: hujusmodi privilegia sublata a Trid. vel apostolicis decretis nequaquam per confirmationem posteriorem revixisse. ap. Richt. p. 548.

Imo qui ex facultate personali, vel indulto ad tempus concesso absolvere potest ab omnibus casibus Sedi Ap. reservatis, non ideo a casibus Epo reservatis (intellige sibi iure speciali reservatis, cum ex contextu agitur de casibus qui in variis dioecesibus diversi sint) posse absolvere. cit. Const. § 7.

Hinc Bened. XIV authentice declaravit: facultatem concessam his verbis "absolvendi a casibus etiam Sedi Ap. reservatis", numquam importare facultatem absolvendi a casibus locorum ordinariis respective (i.e. ab ipsis) reservatis", "rejectis aliis interpretationibus quas ... auctoritate Apostolica reprobamus." const. „Pios Christifidelium", 21 Aug. 1752, Bull. Ben. (edit. Mainard) t. IV, p. 10.

2° de casibus Episcopo jure communi reservatis.

Observa: Tres hujusmodi casus enumerantur in Const. "Apost. Sedis," videlicet: clerici in sacris vel regularis attentantis matrimonium; procurationis abortus effectu sequuto; litteris apostolicis falsis scienter utentis, vel crimini ea in re cooperantis. Quartum statuit S.C.C., die 25 Maj. 1893, nempe excommunicationem latae sent. Epo reservatam contra mercatores vel bibliopolas colligentes stipendia missarum et sacerdotibus quibus eas celebrandas committunt non pecuniam sed libros aliasve merces rependentes, ap. Ferraris, edit. 1899, t. ult. v. Censura, n. 26. Est et quintus, sed pro Italia et quidem extra Urbem, videlicet percussio clericorum levis qualibet, imo et gravis quae a muliere committitur. Ex decr. Clem. VIII, 1602, ap. Bizzar. p. 17. Cfr. censur. 2am inter simpliciter R. P. reservatas, in const. „Apost. Sedis."

Resp.: Utrum Regulares approbati saeculares ab istis casibus absolvere valeant, controvertitur.

1) Affirmativam sententiam docent multi eximii AA.: Suarez, de Paenit. disp. 29, sect. 3, et Pellizarius, Manuale Regul. t. I, p. VI, c. 2, n. 61, ut certam; Lacroix, lib. VI, part. 2, n. 1628, ut valde probabilem et remittit ad Hurtadum qui in hanc sent. allegat 30 auctores; Schmalzgr., lib. V, tit. 38, n. 55, pariter ut valde probabilem; St. Alph., lib. VII, n. 99 et de Privil. (append. ad lib. I) c. 3, n. 100, ut probabiliorem. Cfr. etiam Comp. Priv. n. 5. Inter recentiores eam sequuntur Lehmkuhl, t. II, n. 968; Genicot, t. II, p. 776; Marc, t. I, p. 797, n. 3; Bucceroni, Comment. in Const. Ap. Sedis, n. 77.

a) Ratio veterum fuit: quia isti casus sunt potius papales, et Episcopi tantum delegati ad absolvendum. Atqui regulares possunt absolvere a casibus papalibus qui in bulla Coenae non recensentur, quod de istis verificatur. Ergo. (Suarez) — Observa minorem hujus arg. post decl. S. Paenit. an. 1873 sup. cit. esse falsam, si intelligi vellet de privilegio stabili; non ita, si intelligatur de potestate quam regulares forte habeant vi indulti vicennalis.

b) quia ante Trid. Regulares certissime hoc privilegio fruebantur. Atqui post Trid. illud revocatum non est. Ergo.

Et sane α) adversarii inutiliter in oppositum afferunt decr. Clem. VIII, an. 1601 sup. cit. cum eo revocetur tantum facultas quaecumque absolvendi "a casibus quos ordinarii reservarunt, aut in posterum sibi reservabunt"!

β) nec juvantur, quod allegant contra, decreto cit. Pauli V (1617) cum sit exclusive confirmativum decr. Clementini de quo modo.

γ) idem dicas de decr. S. C. E. R. de mandato Urb. VIII, 17 nov. 1628 edito, l. c. apud Pelliz. l. c., siquidem ejusdem decr. Clem. VIII extensionem jubet, etiam ad confessores "extra Italiam", caeteroquin nihil immutat.

δ) Demum frustra probans objicitur Const. "Superna"

§ 6 et 7 nam: § 6 expresse decernit: regularibus nullum hodie competere privilegium stabile absolvendi „in casibus ab Episcopo sibi reservatis", § 7 considerat casum quo quis licet absoletum sit privilegium, tamen aliunde, puta per indultum habeat facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Ap. reservatis, et statuit neque hunc sacerdotem, hoc titulo absolvere posse a casibus Epi reservatis, a quibus? evidenter ab his de quo sermo erat, i.e. „ab Epo sibi reservatis". Quod luce meridiana clarius fit cum in contextu § 7 Pontifex supponit hos casus esse varios in variis dioecesibus, quae enim jure communi reservantur ubique eadem sunt. Recte ergo dixi celebrem constit. licet a multis id fiat, prorsus inutiliter opponi.

Conclusio hujus sent.: Igitur sive numerum et gravitatem auctorum qui eam docuerunt, sive quibus militat rationes intrinsecas perpendas, profecto cum Schmalzgr. et Lacroix valde probabilis, imo cum S. Alph. probabilior dicenda est. Unde questio huc recidit: utrum, qui secundum probabilem sent. judicatur habere jurisdictionem, licite et valide absolvat? Accipe responsa S. Alph. l. VI, trac. 4, n. 571.

2) Sententiam negantem inter modernos proponit Mart. Leitner in sua 4 edit, imo dicam deformatione, Praelect. Juris Can. Franc. Santi, lib. V, tit. 39, n. 24. — verum prorsus inefficaciter: Implicite quippe negat, quod omnes concedunt, videlicet regulares hoc jus absolvendi ante Trid. tenuisse, cfr vgr. const. „Superno" § 6 in fin. et Passerin., de homin. statib., quaest. 187, art. 1, n. 461 ubi haec privilegia allegat; insuper, quod pejus est, cit. auctor argumentationem St Alph. lib. VII, n. 99 non est assecutus.

Negantisent., quod multum est, adhaesit P. Piat, t. I, p. 435, t. II, p. 201 et N. Rev. théol. 1890, p. 515 sq.

Invocat primo auctoritates: Benedict. XIV de Synodo dioeces. lib. V, c. 5, n. 6. — quem tamen locum attente si legeris manifeste comperies eum ex integro versari circa absolutionem a casibus quos Epus sibi reservavit: nam fundamentum totius argumentationis Benedictinae sumitur a responsione data

S. Carolo Borrom. petenti "utrum regulares ex privilegiis a Sede Ap. impetratis... possint in casibus, quos sibi Epus reservavit, absolvere confitentes". — Dom. Viva — hic utique in Trutina, exponens prop. damn. 12 Alex. VII sup. cit., negativam amplexus est, commotus autem postea argumentis quibus patroni sententiae affirm. ipsum refutarunt — ut ecce quod in odiosis, qualis est restrictio jurisdictionis, interpretatio stricta est sequenda, nec licet eam de specie ad speciem transferre — seipsum retractavit, de censur. q. 2. art. 2 n. 7, ut observat S. Alph. l. cit. — Affert tertio auctoritates Card. Petra in constit. XIX Sixti IV, n. 17, et Mattheucci, officialis curiae eccl. cap. 2 n. 5, quos auctores adire datum non est.

Militat deinde rationibus: a) quia licet Regulares hujusmodi privilegium ante Trid. habuerunt, illud per varias constitutiones Pontificias, ut v. gr. per Const. Superna sublatum est, nec per quamcumque posteriorem confirmationem privilegiorum revixit, ut declaravit S. C. E. R. 17 nov. 1628, cujus decisionem Clem. X de verbo ad verbum inseruit Const. Superna, § 6 in fine.

b) Quia SS. Pontifices et SS. Congr. negarunt Regularibus facultatem absolvendi a casibus Ordinariis reservatis, nulla facta distinctione, inter casus a jure communi vel a jure dioecesano reservatos. Atqui stante veritate sententiae affirmantis haec documenta nos profecto in errorem inducerent. Ergo.

ad confirmandam porro majorem allegat 1° Const. Superna § 6 et 7; 2° decretum Pauli V, 7 Jan. 1617 sup. cit.; 3° propos. 3 inter damnatas a S. Officio sub Alex. VII, 30 Jan. 1659, i. e. "regulares habent facultatem absolvendi a peccatis Epo reservatis etiamsi ab Epo auctoritas ipsis indulta non fuerit. — falsa." vide eam cum reliquis ap. Bouix, t. II, p. 227; 4° propositionem 12 inter damnatas ab Alex. VII, 7 Sept. 1665, ap. Denz. n. 983; 5° denium Const. "Pias Christif." Bened. XIV, 21 Aug. 1752 Bull. B. t. IV, p. 10, qua declarat indultum absolvendi a casibus "etiam" Sedi Ap. reservatis, non dare facultatem absolvendi a casibus locorum Ordinariis respective reservatis.

Verum, ut sentio, haec doctissimi viri argumenta non elidunt rationes quibus fulcitur sententia affirmans. Etenim:

Resp. ad a) Concesso quod privilegia regularium a Trid., per Const. Pontificias, per decreta SS. Congr. sublata non reviviscant per posteriorem eorumdem confirmationem, nisi dictis decretis etc. expresse derogetur, inde non sequitur hoc privilegium fuisse revocatum nisi id demonstretur.

Sed profecto ex const. „Superna" quae allegatur, revocatio omnino non habetur. Et sane in § 6 revocatur, vel potius dicitur nullum post Trid. adesse regularibus privilegium stabile absolvendi a casibus quos Epi sibi reservarunt." Ergo ista non est ad rem. Sed nec § 7 qua dicitur, neque ex facultate generali absolvendi a casibus Pontificiis quomodocumque acquisita hoc jus competere regularibus — quisque intelliget jus absolvendi a casibus ab Epis sibi reservatis; et iste intellectus non modo legitimus est, verum et necessarius, nam Pontifex agit de potestate absolvendi a casibus qui in variis dioecesibus diversi sunt, ergo respicit necessario casus jure dioecesano reservatos, siquidem casus a jure communi Epis reservati in omnibus dioecesibus sunt iidem. Ergo nec § 7 est ad rem.

ad b) speciem potius quam veritatem habet argumentum. ad maj. resp.: quandoque conc.; ubique nego. ad min.: nos induceret in errorem dist.: si ipsae regulae juris nobis non traderent legitimam rationem interpretandi, aut historia nos non doceret occasiones legis latae, ut patebit ex resp. ad 4. conc., alias nego.

Porro ad confirm. majoris: ad 1um docum. „Superna" modo data est responsio. — Ad 2um doc. decretum Pauli V data est solutio in arg. pro sent. affirm.: confirmat decretum Clem. VIII an. 1602, atqui illud agit „de casibus ab Epo sibi reservatis" Ergo distinguit casus. Ad 4um doc.: quoad propositionem 12 inter damnatas ab Alex. VII dicendum: nullam equidem fieri distinctionem. Ast omnes norunt casus Epis copalia

esse duplicis speciei, ulterius in interpretanda lege quae versatur circa materiam odiosam — talis est profecto restrictio jurisdictionis — sequimur omnes juxta Reg. J. 15 in VI „strictam interpretationem", imo juxta Reg. 30 ibid. „in obscuris minimum est sequendum." Ut igitur vera sit et aliquid operetur prop. Alex. VII, sufficit illam de casibus ab Epo jure dioecesano reservatis intelligere, nec licet in re odiosa legem de hoc specie ad aliam extendere. — Caeterum si ad historiam te convertas, manifeste constabit prop. ideo fuisse damnatam quia illi mendicantes, ausu temerario, casus jure dioecesano reservatos invadebant, hanc igitur temeritatem Pontifex repressit — ob has rationes tot auctores damnationi suppares, quos allegavi, in sententiam mitiorem abierunt; ob easdem Dom. Viva, ut monui, a priori sua severitate recessit.

Ad 3um doc. prop. 3 damnatam a S. Off. eamdem adhibeas responsionem.

Ad 5m doc. sufficit observasse Bened. XIV loqui de casibus Epis respective reservatis ideoque indicat casus variabiles, jure ergo dioecesano introductos.

Appendix. — De confessario monialium et sororum.

Praesens quaestio seorsum exponenda est eo quod hi confessarii peculiaribus reguntur legibus: Trid. sess. XXV de reg. c. 10; Const. Greg. XV "Inscrutabili", 5 Febr. 1622 cum adjectis declarationibus, ap. Richter, p. 543 sq.; Const. "Superna" Clem. X, 21 Jun. 1670, op. cit. p. 546; const. "Pastoralis curae" Bened. XIV, 5 Aug. 1748, ap. Verm. t. II, p. 600; decret. "Quemadmodum" 17 Dec. 1890, op. cit. p. 617 cum variis declarat. et decis. S. C. E. R. S. C. C. quae infra dabuntur.

Cfr. Ferraris v. Confessarius, art. 4; duas dissertationes in Analect. Jur. Pont. Les confesseurs des religieuses, t. IV, p. 1277–1326, t. IX. p. 539–604, quas caute legas; Jader: das Beichtvateramt in Frauenklöstern. Archiv f. k. Kirch. 1898, p. 548; 1899, p. 451, 709, cum delectu.

Claritatis ergo distincte dicetur de confessore monialium et quidem primo generalia dein specialia, et de confessore sororum.

A. — <u>De confessario monialium.</u>

I. <u>Generalia.</u> — 1) Confessarii sive saeculares sive regulares tam ordinarii quam extraordinarii, ad confessiones monialium etiam regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari possunt, nisi prius ab Epo dioecesano idonei judicentur et approbationem obtineant. Inscrut. § 5.

2) Nec sufficit approbatio generalis concessa ad audiendos saeculares, sed requiritur, etiamsi agatur de monialibus regularibus subjectis, approbatio specialis. Imo approbatus pro audiendis monialibus unius monasterii minime potest audire confessiones monialium alterius monasterii. Superna § 4, decis. Greg. XV, n. 10.

3) Hinc Epus exigens a regulari vel generaliter approbato pro saecularibus novum examen ad effectum, jure utitur suo. Quapropter in rigore postulans approbationem personaliter coram Epo comparere tenetur, S. C. C. 7 Jun. 1755 et multoties ap. Richt. p. 206 n. 4, in praxi tamen saepius Epi benigne attestationi superioris deferunt.

4) Utrum, respectu sibi subditarum monialium, vel ipsi Provinciales et Generales dicta approbatione speciali indigeant, nonnulli addubitarunt, cum hi Praelati quadantenus proprii monialium parochi videantur. Probabilior tamen, imo certa videtur sent. affirm. in quam propendit Bouix, t. II, p. 256 quamque propugnat Jader l. c. 1898, p. 694, fundatur enim in ipsa universalitate legis, cui nulla exceptione posteriori derogatum est in favorem Praelatorum. Nihilominus ex unanimi DD. sensu indecorum foret dictos Praelatos examini subjicere.

5) Praeter morum gravitatem et prudentiam requiritur in confessario aetatis <u>maturitas</u>, Pastoralis § 7. Cum tamen ipsa haec aetas ab ulla lege publica taxata fuerit. Quapropter sordis Dm Chaillot nimis peremptorie dixisse: "L'âge requis est 40 ans, sauf dispense

apostolique". Ann. Jur. P. t. IV, p. 1293, n. 61, et iterum n. 67. "les évêques ne peuvent pas dispenser de cette loi".

Equidem S. C. E. R. quandoque postulavit hunc annum 40, cfr. Ann. Jur. P. t. IX, p. 567 sed in causa fuerunt forte circumstantiae peculiares quas ignoramus. Alias, petentibus dispensationem super defectu anni quadragesimi, item ordinariis quaerentibus indultum ad nominandos confessarios infra 40 annum S. C. utrumque liberalissime concessit. Cfr. Bizzar. p. 343, verum ex eo quod quis necessarium sibi putaverit indultum vel dispensationem non sequitur adesse legem quae id jubeat, ut argutiis exemplis ostendi posset. Et generalius — quamdiu ex parte monasterii vel candidati non occurrant conditiones peculiares — videre non est cur, revoluto 30 anno, clericus habeat maturitatem juridice requisitam ad ipsum episcopatum, non autem ad audiendas confessiones 12 monialium.

Demum, data non concessa existentia talis legis pro confessariis monialium, nullo profecto jure ad confessarios sororum extenderetur, contra Jeder.

6) "Consultissimam et veteris disciplinae auctoritate roboratam legem... esse dignoscitur, ut pro singulis monialium monasteriis unus duntaxat confessor (scl. ordinarius) deputetur." Pastoral. § 1.

7) Cum hac lege de unicitate confessarii ordinarii intime cohaeret lex triennii prohibens quominus iste confessarius ultra tertium annum in eodem monasterio munere suo fungatur. Utraque in favorem monialium inducta est, prior ut consulatur paci communitatis, posterior ne forte nonnullis jugum grave nimis imponatur.

Dixi — lex triennii — Verum ubi existat et quando constituta fuerit, difficile est dictu. Id certi habetur: inde a 15 Febr. 1593 S. C. E. R. permansit ad decretum ab ipsa, probante Greg. XIV. (1590-1591) de hac re editum, similiter an. 1602, vide Bizzar. p. 12, 13, postea multoties declaravit non sustineri consuetudinem oppositam, etiam immemorabilem cfr. causam

Bruxell. op. cit. p. 24; accedit quod S. C. C. et ipsa inde ab anno 1617, hoc mandatum inculcavit, ut videre est in Coll. Prop. Fid. n. 427, et cum uterque S. O. hujus mandati executionem sine intermissione prosecutus est, hodiedum in viridi observantia florescit.

Temperamentum tamen utraque S. C. novit: urgente scilicet necessitate prorogationem ad alterum triennium non negavit, ast facultatem dispensandi sibi reservavit S. C. E. R. eaque minime utitur nisi praevie moniales "capitulariter et secretis suffragiis" per duas tertias partes in prorogationem consenserint. Quae praevia monialium suffragatio semper eodem tenore requiritur ut Ordinarius triennali vel quinquennali indulto dispensandi super 2° triennio, quod forte a S. C. obtinuerit, uti valeat. Quoad tertium triennium impetrandum praerequiritur unanimis monialium suffragatio, qua exstante, S. C. E. R. non dispensat nisi "facto verbo cum SS°". Vide innumeras decis. An. Jur. P. t. IX, p. 559 sq.

8) Jubente C. Trid. sess. XXV de reg. c. 10 omnibus monialibus, sive Epis sive regularibus sint subjectae, superiores praeter confessarium ordinarium alium extraordinarium bis aut ter in anno offerant, qui omnium confessiones audire debeat. — Hanc tridentinam legem Bened. XIV celebri sua const. "Pastoralis curae" accuratissime perfecit simulque exhortatus est Epos ut eamdem legem ad quoscumque coetus mulierum, quae in communitate vivunt unicumque sibi praestitutum confessarium adire tenentur, extendere velint.

Porro hunc confessarium extraordinarium totius communitatis cum illis offertur, omnes omnino moniales adire tenentur, licet non teneantur apud ipsum sacramentalem confessionem peragere. Pastor. § 3. Eo munere suo fungente, confessarius ordinarius nullius personae intra septa monasterii degentis confessionem audire praesumat, secus poenis coercendus. ibid. § 17.

Demum Pontifex indicat tres casus in quibus ordinarii vel superiores, si rogentur, etiam peculiarem confessarium extraordinarium sine difficultate concedant. Videlicet: a) moniali

graviter aegrotanti quae hoc subsidium sibi postulat. b) Moniali neque infirmae, nec morti proximae quae tamen ordinario ministro confiteri obfirmate recusat: huic debilitati subveniendum censet Pontifex "tot vicibus quot expedire judicabitur". c) Demum illi quae neque aegrotat neque recusat ordinarium paenitentiae ministrum, verum pro animi sui quiete atque ulteriori in via Dei progressu, facultatem petit confitendi aliquoties sacerdoti ad excipiendas monialium confessiones jam approbato.

Hanc Bened. XIV voluntatem denuo inculcavit S.C.E.R., 17 Dec. 1890, celebri decr. "Quemadmodum" quod aeque respicit moniales et sorores, § 1. "Ac ne evanida tam provida dispositio fiat hortantur Ordinarii ut in locis propriae dioecesis in quibus mulierum communitates existunt idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent ad quos recurrere eae facile queant." Vide uberiores hujus decreti declar. ab eadem S.C. emanatae, 17 Aug. 1891; 1 Febr. 1892 ap. Verm. t. II, p. 622 sq.; 5 Aug. 1904 Period. I, p. 87. In normis hi postremi confessarii dicuntur "supplementarii". n. 139.

9) Superveniente causa rationabili, Epus quemcumque monialium confessarium removere potest. Et sane de eo quem ipse constituit res evidens est, sed et procedere valet contra constitutum a Regularibus, quos primo monebit ut ipsi eum removeant. Iis vero detrectantibus vel negligentibus, Epus eum destituet. Insuit. § 5, et quidem in omnibus delictis etiam in mere occultis, decis. sub Greg. XV, n. 13, nec tenetur ejusmodi causam aperire superioribus regularium, Deo rationem redditurus si potestate sua abutatur. decis. S. Greg. n. 12.

II. <u>In specie</u>. Recole monialium duplicem esse classem: Quaedam enim subjiciuntur Regularibus ejusdem Ordinis, aliae sub jurisdictione Ordinarii vivunt. Sunt profecto etiam quae, exemptae ab Ordinario, immediate Sedi Ap. subsunt, in praesenti tamen materia pendent ab Epo tq. a Sedis Ap. delegato, ut statuit Trid. XXV de reg. c. 9. Dicam distincte de utraque classe.

1° Quoad moniales Regularibus subjectas.

a) Designatio confessoris ordinarii et extraordinarii pertinet ad Superiores Regularium (ad Provincialem, Gen.) salva, ut dictum est, semper approbatione Epi quae datur ad triennium. Eorum negligentiam si opus fuerit supplet Ordinarius, qui in casu, deputare potest quem voluerit sacerdotem saecularem vel regularem etiam alterius ordinis; deficiente etiam ordinario, Paenitentiarius major deputabit aliquem ex confessariis approbatis ab Epo pro monialibus. Pastor. § 4 et 10.

b) Praelati regulares hisce monialibus designant confessarium ordinarium e suo ipsorum Ordine, extraordinarium vero etiam ex alio Ordine deputare possunt. Pastor. § 10.

c) Si extraordinarium ex proprio Ordine constituunt, tenentur quotannis, ad minus semel, offerre extraordinarium ex alio Ordine vel e clero saeculari, secus Epus, pro sui arbitrio et conscientia, deputationem hujusmodi semel in anno facere potest, omni appellatione remota. Pastor. § 14.

2° Quoad moniales Episcopo subjectas.

a) Episcopus libere designat et approbat utrumque Confessarium, nec prohibetur eumdem sacerdotem pluribus monasteriis in confessarium assignare.

Dixi — libere — sane vel ipso jure naturali monialibus licet Epo nomen confessoris quem desiderant insinuare; quandoque, vi constitutionum a Sede Ap. probatarum illis insuper fas est sibi eligere confessarium ex approbatis pro monialibus, salva tunc libera Epi confirmatione. Vide ex gr. causam monial. a Visit. 20 Mart. 1891 et iterum 30 Sept. 1903 ap. Verm. Period. t. 1, p. 21. Quod si moniales sibi vindicarent jus formale praesentandi Epo proprium confessarium, afferant oportet indultum Ap. concludens, cujus rei exemplum habes in An. Jur. Pont. t. IX, p. 540, et ap. Lucidi, de Visit. t. II, p. 170, n. 148.

b) Regula est, ait Bened. XIV, ut harum monialium ordinarius confessor sit sacerdos saecularis.

Hinc regulares, non suis tantum forte constitutionibus

sed jure communi arcentur a munere confessoris ordinarii monialium. Bizzar. p. 335, 383, 394 etc. Quapropter ad effectum requiritur licentia S. C. E. R. op. cit. p. 319, quam pro diversitate temporum et adjunctorum facilitate majori vel minori concessit, attendens praecipue penuriam confessorum e clero saeculari, haecque non adeo infrequens est, cum ex mente ipsius S. C., nec Vicario Gen. nec canonicis neve parochis hoc munus regulariter deferendum est. Vide Joder, op. c. 1899. p. 451 sq.; Anal. J. P. t. IX, 578-583, t. IV, 1297. Nonnunquam, ut regularis, via indulti, instituatur in confessorem ordinarium S. C. requisivit praevium consensum majoris partis monialium "capitulariter et per vota secreta" expressum. A. J. P. t. IV, p. 1292.

c) In confessorem extraordinarium Epus regularem deputare potest. § 10.

B) De confessario sororum.

I. Ordinario. 1) "Quoad sodalitates muliebres, sive dioecesanae, sive juris sint Pontificii, Epus designat sacerdotes a confessionibus tum ordinarios, tum extra ordinem, ad normam const. "Pastoralis curae" et decreti "Quemadmodum". Leo XIII "Conditae" cap. I, n. 11, cap. II, n. 8.

Observa: Moniales Trappenses in Gallia, utut in votis simplicibus et non exemptae, ex venia Sedis Ap., 3 Oct. 1836, ap. Bizzar. p. 60, confirmata, 5 Febr. 1847, ibid. p. 556, jus habent ad confessarium ordinarium ex proprio Ordine, quem Epus deligit et approbat. Monialibus a Visit. jus est eligendi confessorem modo supra indicato. Superior generalis Societatis Mariae (B. Grignon de Montfort) et Filiarum a Sapientia facultate gaudet praesentandi confessores ordinarios e coetu Soc. Mar. in tribus domibus dictarum Sororum, (St. Laurent maison-mère, Chartreuse d'Auray, Lornay prope Pictavum) An. Eccl. 1893, p. 260. Superior Generalis Congr. Missionis, ex concessione S. C. E. R., 25 Jun. 1882, confessores Filiarum a Charitate eligere potest inter confessores saeculares ab Epo approbatos. Vide Joder, op. cit. 1898, p. 690.

2) Si quaeres utrum Regulares, qui et quatenus a proprio con-

stitutionibus non praepediuntur, ad munus confessoris ordinarii Sororum deligi valeant ab Epo.

Resp. nullam legem prohibitivam existere, imo dari legem positive permissivam. Et sane 8 mensibus post editam const. "Pastoralis", quae est d. 5 Aug. 1748, Bened. XIV in causa Virginum Anglic. publicavit const. "Quamvis justo", 30 Apr. 1749, Bull. B. t. III, p. 25, in qua quaestionem nostram hisce verbis definit: Virgines Angl. jurisdictioni ordinariae Episcoporum subditas esse et "ad Ordinarios pertinere deputare directores spirituales et confessarios qui sibi apti videbuntur, sive ex coetu presbyterorum saecularium, sive regularium."

Fundamentum autem cui Pontifex in decidendo expresse innititur, non erat aliqua consideratio dictis Virginibus peculiaris, sed contemplatio absoluta quod status harum Virginum non est status verae Religionis, cum earum vota simplicia censeri debent. Atqui haec ratio obtinet universim quoad omnes sorores. Ergo. Hinc etiam, ut sentio, moles argumentorum quae Cl. Joder congessit. op. cit. 1898 p. 700-708, ut oppositum evinceret, auctoritatem hujus judicii Bened. XIV levare non possunt. Et re vera, vel nihil probant, vel rem a praesenti quaestione prorsus alienam, nempe: universis sororibus concedendum esse confessarium extraord, et juxta disciplinam vigentem Sorores neutiquam Regularibus posse subjici.

Diffitendum tamen non est, licet in Normis P. I, c. 13 de Confessione nihil de hac re statuatur, stylum hodie et praxim S. C. E. R. eo tendere ut Regulares sine licentia Sedis Ap. ad tale munus minime assumantur. Sufficiat, omissis aliis resp., adducere resp. quod sibi tulit Epus S^ti Christophori de Habana, 1 Sept. 1905, quaerenti enim: « an prohibitum sit Regularibus confessarios ordinarios sororum votorum simplicium esse, sicut pro monialibus iis vetitum est," S. C. respondit "affirmative", ap. Verm. Period. t. II, p. 43. Ut vides, nihil in interrogatione suspicionem injicit de circumstantiis peculiaribus, quae forte talem sententiam, in casu, postulassent. Ne

tamen excedas, velis omnino hoc vetitum intelligere de regulari exercente munus confessarii _in ipsa sororum domo_, et non alias.

3) Num igitur vel ipsi sacerdotes _Congregationum_ ab hoc munere arceantur? Respondeo, ut supra, lex generalis vetans ostendi nequit. Verum S.C. pluries hanc prohibitionem respectivis Congregationum sacerdotalium constitutionibus ex officio inseruit. Sic in decr. approbationis Oratorii in Gallia, 22 Mart. 1864, art. 7 habet: "Siae Congregationis presbyteri haud poterunt officium confessarii ordinarii monialium aliarumque piarum mulierum communi in domo degentium exercere, nisi Ap. indultum _singulis in casibus_ impetraverint", Anal. J.P. t. VII, p. 758. Vide etiam consimilem animadversionem S.C., an. 1865, A.J.P. t. IX, p. 596. Dispositio haec nonnemini admirationem movebit, attamen praxi sub n. praecedenti allegata logice cohaeret, non enim videtur cur, exclusis Regularibus, alumni Congregationum ad hoc munus admitterentur.

4) Utrum confessarius sororum singulis triemiis _ex lege_ mutandus sit.

Resp. a) Quaestio de eo tantum confessore ordinario moveri potest, qui ex deputatione _Epi in ipsa domo_ sororum earum et quidem regulariter omnium, confessiones excipit; minime autem de eo, sive saeculari sive regulari, ad quem sorores clausurae non obstrictae, in ecclesia publica, tamquam ad ordinarium recurrunt. Ratio est: intima correlatio hujus legis cum lege unici confessarii ab auctoritate impositi, ne scilicet ex hac _obligatione_ recurrendi ad certum confessarium non propria voluntate electum, libertas conscientiae detrimentum patiatur.

b) Lex generalis hanc triennalem mutationem in casu jubens, quod sciam, nulla potest exhiberi. Decreta enim generalia, quae a S.C.E.R. sub Greg. XIV dicuntur edita, tantum moniales respiciunt.

c) Attamen Normae n. 142 habent: "Confessarius ab Episcopo deputatus per unum tantum triennium in suo munere manet." Igitur sororibus quarum constitutiones a Sede Ap. probatae talem continent dispositionem, revoluto triennio, novus confessarius deputandus est, vel certe observandae sunt formalitates in casu prorogationis praescriptae. Cfr. hac ipsa append. I, 7.

d) Ad providam, nemine dissentiente, atque paternam spectabit administrationem si Epus, quoad ejus fieri potest, consimilem cum reliquis Juris Pontificii vel dioecesani Institutis rationem agendi tenebit.

Sed quaeritur ulterius, utrum ad mutationem triennalem in hisce Institutis peragendam obligatione juridica adstringatur. Affirmative respondent auctor A. J. P. in utroque dissert. a principio allegata, t. IV, et IX; Joder l. c. 1899, p. 468 sq.; Hollweck, Kirchenrecht, p. 180 et plures, aliis videtur distinctioni locum esse.

Profecto S. C. E. R. hanc obligationem in casu nostro saepius affirmavit responsis particularibus, quae videas A. J. P. t. IV p. 1279 et in Coll. Prop. fid. n. 436, 437, imo eam extendebat olim indiscriminatim ad omnia conservatoria, a qua severitate recessit, die 7 Dec. 1906, statuens legem mutationis non respicere collegia puellarum. ap. Vern. Period. t. III, p. 37. Interrogata porro ab Archiep. Oregonopolit. Quid de validitate absolutionis tenendum sit eo casu quo Epus confessarium ultra triennium in munere suo retineret, responderat die 20 Jul. 1875, absolutionem, juxta expressam S. Pontificis declarationem esse quidem validam, haberi vero exercitium jurisdictionis illicitum.

Quae cum ita sint, certe ad mutandum confessarium tenentur Episcopi qui hujusmodi responsiones particulares sibi tulerunt.

Insuper valde manifesta est mens, apertus S. C. stylus, hinc Episcopus quoties, triennio revoluto, a Sororibus rogatur ut eorum confessorem mutare dignetur, id ipsis jure denegare

nequit. Quia, ut olim nos monuit b. m. Magister cl. Santi, si quando aliqua Congreg. consimiles casus particulares diu uniformi sententia finivit, eo ipso regulam statuit judicialem cui contraire judici inferiori fas non est — Et profecto, ut praxis quotidiana docet, id inutiliter tentaret, siquidem in casu recursus sororum, S. C. regulam adeo fixam et huic casui applicabit.

Sed regulae judiciali locus non est quamdiu nec actio nec recursus instituatur. Quamobrem quaestio nostra demum huc recidit: utrum in Institutis dioecesanis vel etiam Juris Pontificii, quamdiu nec constitutiones jubent nec sorores postulant mutationem, Epus a priori et quidem juridica obligatione singulis trienniis confessarium ord. mutare teneatur.

Quaestioni sic accurate circumscriptae respondent plures — non liquere, rationemque afferunt minime spernendam — Et sane obligatio haec ex lege descenderet. Porro nulla habetur lex directe pro confessariis harum sororum lata; restat igitur ut oriatur ex interpretatione extensiva — Quae novae legi aequivaleat — dum lex respiciens moniales statuatur pro sororibus. Jam vero animadvertendum quod S. C. E. R., secus ac S. C. Conc., non gaudet speciali mandato S. Pontificis interpretandi jus, multo minus illud extendendi; ideoque ad effectum per decretum generale a S. Pontifici specialiter approbatum procedat oportet. Atqui, quidquid sit de regula judiciali inducta, voluntatem suam nullo unquam decreto generali Epis intimavit.

Quae cum ita sint, concludunt patroni hujus sent., non licet Epum, qui nec constitutionibus neque postulatione sororum arctatus, sed majores difficultates perspiciens quas hujusmodi sororum suffragationes in numerosis domibus secum trahunt; aut difficultatem attendens ex conditione domus principalis (maison-mère, notam, eo quod vico ubi nulla copia habetur sacerdotum posita est, confessarium sororibus aliunde non

importunum, ultra triennium conservat, statim inobedientiae arguere, maxime ubi illi suffragatur consuetudo immemorialis.

II. De Confessario extraordinario. 1) Illum deputat Epus "ad normam const. Pastoralis curae et decr. "Quemadmodum", "Conditae" cap. I, n. 11; c. II, n. 8.

Equidem norma Benedictina, quoad confessarios extraordinarios in hisce Institutis, non praeceptiva sed hortatoria tantum erat vide § 3 " nihil aliud superest nisi ut V. F.... enixe hortemur".... Huic Pontificis desiderio Epi passim detulerunt, sicque usus universalis jam dudum sororibus beneficium confessoris extraordinarii asseruerat. Dispositionem hanc praeterea S. C. E. R. passim Constitutionibus approbandis inseruit, demum per decr. generale " Quemadmodum", 17 Dec. 1890, tamquam legem universalem edixit. n. 4.

2) Qui modo cessavit a munere confessarii ordinarii alicujus domus, in extraordinarium ejusdem communitatis deputandus non est, antequam annus ab expiratione triennii elapsus fuerit, excepto casu quo, ob penuriam confessariorum, Ordinarius aliter procedere nequeat. S. C. E. R., 7 Dec. 1906, ap. Verm. Period. t. III, p. 37.

3) Citatum decretum "Quemadm." hortatur Ordinarios ut, in locis in quibus mulierum communitates existunt, idoneos confessarios designent ad quos sorores, non quidem temerarie, sed quoties propriae conscientiae consulere velint, facile recurrere valeant.

Supplementarii hi confessores, ubi videant nullam adesse probabilem rationem, ministerium suum in conscientia denegare tenentur, decl. cit. decr. 1 Febr. 1892, ap. Verm. t. II, p. 623, nec possunt, extra casus in Const. "Pastor." contemplatos, fieri quasi-ordinarii unius vel plurium confessores. ibid.

Superiorissa porro confessarium suppl. quem ipsae petunt, sororibus denegare nequit, utut ipsa judicet petitionem e scrupulis vel ex alio mentis defectu enatam, decl. cit. decr. 17 Aug.

1891, op. cit. p. 622; sed neque ex motivis, ut ajunt, extrinsecis: si adsint rationes vere graves eas subjiciat Ordinario, cujus judicio standum erit. S.C.E.R., 5 Aug. 1904, ap. Verm. Period. t. I, p. 87.

Hactenus de confessariis ordinariis et extra ordinem qui in domibus sororum earum confessiones excipiunt. Verum:

Quaeres: Quid sentiendum de validitate et liceitate confessionis quam soror, extra domum, apud confessarium "pro fidelibus utriusque sexus" approbatum, peragat.

Resp. 1. Quoad sorores juris Pontificii regula generalis est talem confessionem validam esse simulque licitam.

Etenim quod S.C.E.R., et tribunal S. Poenit. jam pluries statuerant, et a multo tempore in constitutionibus a Sede Ap. probandis inseritur, sic enunciant Normae, n. 149: "Quoties sorores in aliqua publica ecclesia confessionem suam peragunt, apud quemcumque sacerdotem ab Epo approbatum confiteri poterunt." Ergo est valida. Praeterea S.C. rejicit e Constitutionibus quas approbat omnem prohibitionem quominus sorores extra domum ad alium confessorem accedant, Cfr. Battand, Guide can. n. 213, p. 166, superiores autem non possunt praecipere nisi juxta Constitutiones. Ergo est et licita.

Dices. Juxta const. "Conditae", cap. II, n. 8, Epi est dare hisce sororibus suos confessarios, bene ergo talem confessionem invalidam reddere poterit.

Resp. Juxta eandem const. Cap. II, n. 2, nulli Episcoporum jus datur immutandi constitutiones a Sede Ap. probatas. Quapropter nequit sororibus directe hanc suam adimere libertatem. Indirecte quidem id poterit, dum approbationem confessariis denegabit. — Verum sedulo perpendendum est, quod ad effectum non sufficit formula: "ut audire valeas confessiones utriusque sexus fidelium, exceptis tamen monialibus vel sororibus." Haec enim juxta veram sent., cfr. resp. S. Poenit., 7 Febr. 1901, Anal. eccl. t. X p. 173 efficit tan-

tum ut quis eas non valeat audire in propria earum domo. Nec intentum obtinebit Epus, si allegatae formulae apponat clausulam "etiamsi in publica ecclesia ad te accedant." Haec enim in casu absolute nihil operatur, siquidem stante ea, confessor retinet approbationem pro fidelibus utriusque sexus. Porro ad talem, vi constitutionum quas Epo mutare fas non est, Sorores licite et valide recurrunt. Ut igitur, quoad sorores juris pontif., obtineat intentum, unica Epo relinquitur via, denegandi scilicet approbationem ad audiendas confessiones mulierum, quod saltem respectu parochorum fieri non potest.

Resp. 2. Quoad sorores juris dioecesani (vel interdioecesani ejusdem dioec.). Cum Epo subjiciuntur ut proprio earum superiori, poterit ipse per se, per superiorissam etiam per constitutiones prohibere, quominus illae quibus peculiarem deputavit confessarium ordinarium in domo, extra domum confessionem peragant, sicque talis confessio fieret illicita.

Numquid et invalida? Censeo Epum, in casu, jure suo posse eam invalidare, non quidem, quod pluribus placuit, vide anonymum qui curavit tertiam edit. S. Piat. t. I, p. 515, dum qua superior, per se vel per constitutiones, declarat hujusmodi confessiones fore invalidas — hoc enim valde improbabile, ne dicam falsum, videtur — sed dum qua Episcopus, a S. Pontifice in casu non praepeditus, confessariorum approbationem limitat clausula "exceptis Sororibus etiamsi in publica ecclesia ad te accedant."

Simili clausula et non alias, sororum juris dioecesani, quae proprium confessarium in domo sua non habent, confessiones invalidare poterit, tametsi S. C. E. R. die 22 Apr. 1872 et resp. S. Poenit. 1901 sup. cit., declaravit: Sorores quae non habent proprium confessarium in sua domo posse peragere extra suam domum confessionem penes quemcumque confessarium ab ordinario approbato: Coll. Prop. Fid. n. 433. Ratio est, quia sorores dioecesanae manent subditae Episcopi.

§ VIII. De extrema Unctione.

Ob cohaesionem rerum et identitatem poenae dictum est de administratione hujus sacramenti saecularibus praestanda, ubi de viatico hoc ipso capite, art. II, § VI, n. 6.

§ IX. De matrimonio.

Ad tenorem decreti S.C.C. "Ne temere", de mandato speciali Pii X, 2 Aug. 1907 publicati, quod opportuna temperatione aliquid de capite Tametsi 1. sess. XXIV de ref. matr. derogavit, a die Paschae Resurrectionis D. N. J. C. 1908, jam nulla uspiam terrarum, inter baptizatos in Ecclesia catholica vel ad eam ex haeresi aut schismate reversos, matrimonia valida sunt, nisi coram parocho vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus contrahantur — Eadem prorsus lege regitur validitas matrimonii, quod iidem catholici cum parte acatholica, sive baptizata sive non, etiam post obtentam respectivam dispensationem, inirent, nisi pro aliquo particulari loco aut regione (quoad Germaniam vgr vide
aliter a S. Sede sit statutum.

Parochus (resp. loci Ordinarius) a die adeptae possessionis, intra limites sui territorii, matrimonio nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistit. Imo et licite quoties illi constat copulative de libero statu utriusque contrahentis et de domicilio sive de menstrua commoratione saltem alterutrius; aut quoties, in defectu hujus notitiae, accedat secluso casu gravis necessitatis excusantis proprii alterutrius parochi licentia. Hinc:

1) Ubicumque terrarum parochiae canonice erectae sunt, regularis, ut valide assistat matrimonio inibi celebrando, indiget delegatione parochi vel Ordinarii loci, ut et

licite assistat, quoties contrahentes non sunt subditi delegantis, requiritur notitia status liberi et domicilii, aut licentia proprii alterutrius contrahentium parochi, juxta modo dicta.

2) In regionibus in quibus parochiae erectae non sunt, quoad validam assistentiam, parocho aequiparatur sacerdos cui in definito aliquo territorio cura animarum legitime commissa est. Igitur ubi haec cura regulari commissa fuerit ipse per se valide assistet, secus ex delegatione tantum illius sacerdotis.

3) In missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, valide assistit regularis quem missionis Moderator ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputavit, alias ex delegatione hujus deputati.

4) Demum "imminente mortis periculo, ubi parochus, vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus", n.7.

Caput XIII. De Regimine interno in Ordinibus et Institutis religiosis.

Ad perfectionem charitatis enituntur Christoque merentur Religiosi intra Ecclesiam hierarchicam. Ex hujus Ecclesiae voluntate in collegia, seu societates imperfectas, coalescunt. Quapropter duplici subsunt potestati: sacro scilicet principatui Ecclesiae hierarchicae, et propriis praelatis quos eorum collegiis praeesse voluit Ecclesia, et, supposita vita coenobitica, ipsa rerum natura postulat.

1) Ratione prioris subjectionis subsunt:

a) Jurisdictioni R.i Pontificis cui, in persona B. Petri, ita munus pascendi universum gregem fidelium injunctum est, ut nulla sit ovis Christi quae non sit in manu successoris B. Petri. Huic ergo pareant religiosi in omnibus in quibus reliqui fideles, sed insuper, ratione conditionis suae specialis, ei obedientiam exhibeant oportet, quoties R. Pontifex praecipit ea quae ad statum religiosum per se spectant, vel etiam ea quae ad finem, ad mensuram perfectionis cuilibet Instituto peculiarem se referunt. Ad obsequendum tenentur sive R. Pontifex jubeat per se, sive potius per suos delegatos.

Itaque cum, juxta vigentem disciplinam, R. Pontifex quibusdam sacris Congr., stabili ratione, potestatem faciat causas Regularium auctoritate pontificia cognoscendi et finiendi, ut S. C. Ep. et Reg., S. C. Prop. Fid. in ditionibus plurimis, S. C. C., quotiescumque Regularium causae cum decretis Trid. connectuntur, oportet his omnibus R.i Pontificis Delegatis, veram in casu obedientiam exhibeant Regulares.

Utrum haec R.i Pontificis potestas in religiosos dicenda sit et dominativa et jurisdictionalis, vel potius tantum

jurisdictionalis, utilius expendetur paulo inferius.

b) Pari ratione, ut per se liquet, tenentur obedire Concilio oecumenico, si quae circa eorum officia jubeat, ut v. g. in Trid. tota sess. XXV de reg. Conc. Lat. III, IV, Conc. Vienn. ut videre est in plurimis capit. tit. de Regul. in decret. Greg. IX et in Clem.

c) Episcopis porro pareant oportet, sicut reliqui clerici vel dioecesani, in omnibus quae a jure communi, aut a jure exemptionis non excipiuntur. Id valet imprimis de congregationibus modernis quarum approbatio semper expressam prae se fert clausulam: "Salva Ordinariorum jurisdictione, ad formam sacrorum canonum et Ap. Constitutionum." Cujus clausulae authenticam expositionem habes in Const. "Conditae" Leonis XIII, 8 Dec. 1900, ubi tamen attendas ad cap. II, n. 11, § 3.

In quibus autem causis et qua ratione Regulares exempti a jurisdictione Eporum pendeant, dictum est supra cap. X et XI.

2) Ratione posterioris subjectionis subsunt variis praepositis vel etiam praelatis intus in familia existentibus, quorum auctoritas magis vel minus expedita et independens est juxta cujusque ordinis constitutionem.

Cum enim religiosi vitae caenobiticae formam amplexi sint, imo, eam inde a Conc. Lat. IV necessario retineant, rerum natura ipsa postulavit ut hae communitates legitimos sibi constituerent superiores quorum opera pax, ordo prudensque personarum atque personarum atque rerum administratio procuraretur. Licet vero haec procuratio per se sive personae physicae, sive personae morali, puta senatui, committi potuisset, universalissima tamen praxis, quoad gubernationem immediatam, formam retinuit monarchicam; ita ut singulis domibus, provinciis et universo ordini unicus praeponatur superior, cui tamen adjungitur consilium vel capitulum (locale, provinciale, generale) utens in nonnullis familiis voto mere consultativo, in aliis etiam deliberativo quoad plura vel pauciora negotia. Ope hujus consilii, et pro varietate aucto-

ritatis ipsi factae, forma monarchica semnibus familiis aliqua ratione communis, in variis diversimode temperatur.

De his igitur superioribus intus in familia religiosa existentibus agetur praesenti capite. Dicemus autem 1) de natura potestatis qua fruuntur hi superiores; 2) Quomodo hac potestate participes efficiantur, seu de constitutione superiorum; 3) de objecto utriusque potestatis ipsis competens; 4° demum de superiorum obligationibus quoad subditorum gubernationem

Art. I. De natura potestatis gubernativae in Ordinibus et Institutis religiosis.

Potestas circa aliorum regimen vel gubernationem duplex haberi potest: privata vel publica, seu dominativa vel jurisdictionalis.

§ I. De natura potestatis dominativae.

1) Potestas haec, ordinis privati et propterea à jurisdictione specifice distincta, fundatur in aliquo facto domestico, in aliqua voluntate privatorum, explicatur inter personas privatas et directe procu[illegible]t bonum mere privatum. Hujusmodi potestate gaudet vir in uxorem, pater in filium, herus in servum, tutor in pupillum, eaque generatim habetur in capite seu praeposito cujusvis coetus hominum in communi viventium. Ratio porro, cur necessario ita res se habeat, est valde manifesta, nam neque imperfectae societates sine aliqua auctoritate (gubern. administ.) aut subsistere, aut prospere operari valent. Ubicumque igitur plures, etiam facto privato seu libera coitione, in finem communem pariter privatum tendunt, haec potestas dominativa jure naturali et sponte sua exsurgit.

2) Jam age cum positiva sua legislatione, statum religio-

sum Ecclesia nolit agnoscere nisi in vita assumatur caenobitica, ut quis in dicto statu Deo militare valeat requiruntur prorsus duo: a) ut ipse candidatus alicui familiae religiosae se tradat in membrum politicum, servum et filium a qua excolatur; b) ut etiam ab ea familia, resp. ab ipsius Praeposito, qua talis recipiatur, communitati incorporetur cum onere ad perfectionem huic familiae propriam deducendi, ut latius dictum est supra p. 174.

In hac igitur voluntate aggregandi se huic familiae legitime acceptata, in hoc mutuo contractu privato, verbo in traditione religioni facta ab eaque vicissim acceptata – quae hodie ex jure positivo cum omni professione religiosa indivulse conserta est – fundatur jus quo pollet superior dirigendi et gubernandi novum hoc suae familiae membrum, nempe ejus potestas dominativa.

Ulterius in voto obedientiae quod religiosus necessario una cum sui traditione emisit – cujus voti materia profecto non est omnis res possibilis in mundo, sed tantum finis et media hujus quam ingressus est familiae – fundatur, non jam ipsa potestas dominativa, ut multi loquuntur non recte, bene vero, dictae potestatis mensura et amplitudo.

Nascitur ergo potestas dominicativa ex facto incorporationis utrinque libero; specificatur vero seu circumscribitur per votum obedientiae prout in hac familia emittitur.

Quapropter, ut enucleatius infra ubi de objecto hujus potestatis sermo recurret dicetur, in genere vi hujus potestatis, superior jubere potest quaecumque ad finem Instituti assequendum, ad promovendum ipsum religiosum in perfectionem huic familiae praefixam, item quae ad bonam ipsius communitatis administrationem necessaria sunt, vel saltem conducibilia: e contra imponere non potest onera et opera praeter regulam nisi justa habeatur causa, et tunc etiam, ipsa haec onera cum statu quem subditus vovit, congruant.

3) Perspicuum fit hanc dominativam vel oeconomicam potestatem eo modo natam et limitatam, nulla prorsus ra-

tione pertinere ad claves, seu non esse dimanationem qualemcumque a jurisdictione quam Christus Ecclesiae suae concredidit. Hinc mirum non est, si dominativa potestate vel ipsae feminarum superiorissae potiantur.

Et sane cum juxta praesentem disciplinam in ordinibus et in Institutis omnis professio sive virorum sive mulierum importet una cum votorum nuncupatione traditionem sui ex parte voventis, manifeste superiores cujuscumque ordinis, Instituti, monasterii, non tantum clerici aut viri, sed et abbatissae et sororum superiorissae potestate dominativa in suos subditos muniuntur.

Imo si ad historiam te convertas, fatendum erit, superiores monachorum ab initio, nullam aliam potestatem detinuisse, sicut et hodiedum foeminae moniales vel sorores nullam aliam exercent; nec demum per se requiritur ut alia potestas intra religionem existat. Vide Suarez de Relig. tr. VII, l. II, c 18, n. 8.

Scholion. Ex dictis resolves quaestionem apud auctores controversam: utrum Dº Papae competat in singulos religiosos potestas dominativa, aut tantum potestas jurisdictionis.

Practice quaestio nullius est apud DD. catholicos momenti, quippe qui omnes eamdem in Rº Pontifice respectu regularium agnoscunt potestatem, eamdem dico terminative, prout scilicet terminum ad quem se extendere valeat consideres: ut ecce: irritare eorum vota, praecipere quidquid est secundum regulam, aut sine quo ipsius status religiosi, vel hujus etiam peculiaris Instituti finem assequi difficile foret.

Verum disputatio est de fundamento atque natura potestatis vi cujus id omne valeat; utrum scilicet vi potestatis dominativae, ut post Suarez tract. VII, lib. ult. c. 11, n. 13 tenent plures, Cfr. Wernz, t. III, n. 697, vel potius tantum vi potestatis jurisdictionis, ut cum Baller. Palmieri, Opus theol. tract. IX, c 1. de obedient. n. 180-181 docet Vermeersch, t. I, p. 232, n. 388.

Placet haec posterior sententia. Et sane tametsi, ut argu-

mentatur Suarez l. c., Papa approbando religionem eam sub speciali sua cura suscipiat, superiori potestatem faciat nomine suo seu Ecclesiae vota admittendi, imo eidem superiori auctor sit ut traditionem voventis accipiat, minime tamen intendit ut traditio accipiatur nomine Sedis Ap. vel Ecclesiae, sed nomine Ordinis sive Instituti legitime approbati: hujus ergo vovens fit membrum politicum non Papae, vel Sedis Ap. Paucis, vinculum ordinis privati, ratione cujus praeses Instituti subdito ex dominativa potestate praecipere valet nectitur exclusive inter voventem et familiam religiosam, et nulla hujusmodi privata societas initur inter voventem et D. Papam, quapropter neque ulla ex hac parte nascitur potestas dominativa.

E contra R. Pontifex accepit a Christo plenitudinem potestatis jurisdictionis in omnes fideles, vi cujus omnia quae ad salutem animarum et ad Ecclesiae incolumitatem exiguntur, praecipere: omnia pariter, prout duplex iste finis expostulat, in Ecclesia solvere et ligare potest. Posito ergo quod status religiosus publice in Ecclesia existat, illico, vi plenitudinis suae jurisdictionis R. Pontifex, etiam in hac societate ecclesiastica imperfecta, omnia praecipere, solvere, ligare etc. potest quae vel ipse status religiosus per se, vel finis aut mensura perfectionis peculiari cuidam Instituto praefixae postulaverint. Potest igitur R. Pontifex id omne quod alias fit ex potestate dominativa intus in Instituto existente, verum altiori titulo, nempe ob plenitudinem jurisdictionis a Christo acceptam.

§ II. De natura potestatis jurisdictionis.

Potestas jurisdictionis est potestas publica seu ultrafamiliaris circa aliorum regimen vel gubernationem; nempe est aut ipsa suprema potestas socialis societatis perfectae, aut quaedam ipsius portio ab ea dimanata.

Ipsius est verum finis socialis notitiam ingerere atque tueri, media convenientia authentice designare, munerae variae

distribuere, inter socios lites componere; ut pace adepta, labori sociali incumbant; tandem reluctantes in finem cogere, vel etiam a corpore sociali abscindere. Hoc est regere alios potestate publica.

Publica haec alios regendi potestas, in societate naturali perfecta, a Deo auctore naturae procedit; creavit quippe hominem instinctu sociali praeditum, sed data quam videmus indole humana, consecutio finis socialis efficax atque stabilis sine auctoritate nunquam habebitur. Eam igitur voluit Deus eo tenore quo voluit, quae sine ipsa impossibilis est, societatem; ipsius porro distributio, subjectatio, exercitium secundum formam monarchicam, democraticam etc. et alia id generis, non jam a Deo, sed a mero facto humano originem ducunt.

In societate e contra supernaturali, in Ecclesia catholica, publica potestas socialis docendi, regendi, sacra distribuendi ex voluntate positiva Christi Domini eam instituentis procedit: » Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra euntes ergo docete.... Matth. XXVIII, 18 sq. Verum ulterius progrediens, Christus etiam immediate designavit subjectum cui personaliter et dein legitimis in munere successoribus insit plenitudo universae potestatis socialis intensive et extensive, nempe b. Petrum fundamentum ecclesiae et caeli clavigerum. Voluit ut cum et sub b. Petro essent et alii pastores ordinarii cum potestate publica docendi, regendi, utique restricta quoad territorium et subordinata quoad exercitium. Sic igitur et ipsa jurisdictio ecclesiastica est divinitus allata, et duo supremi gradus hierarchiae institutionis sunt immediatae a Christo. Hi vero Pastores divinitus instituti, nempe summus Ecclesiae Princeps et Epi, pro sua potestate a Christo accepta, dein alias personas in partem sollicitudinis pastoralis assumpserunt, unde facta est et in dies fit ulterior quaedam protensio et distributio potestatis publicae in Ecclesia et quidem duplici ratione: sive dum R. Papa, vel Epi, publicum in Ecclesia officium seu magistratum circa fidelium gubernationem instituunt cui a priori determinatum gradum potestatis publicae et quidem stabili ratione adnectunt;

sive dum determinatae personae, quin eam in stabile officium immittant, nuda, ut ita dicam, commissione partem jurisdictionis propriae deferunt ad certas causas cognoscendas vel finiendas. Sicque in Ecclesia, infra duos gradus hierarchicos jurisdictionis ordinariae ex origine divina, habes gradum jurisdictionis ordinariae et delegatae ex origine immediate humana. Quamvis et hi reductive et fontaliter a Christo Domino procedant.

Tandem, ut revelatione edocemur, duplicem Christus in sua Ecclesia instituit potestatem judiciariam: alteram in foro externo prospiciens directe bono universi corporis socialis, alteram in foro interno primo et per se bonum individuale cujusque fidelis respiciens. Gradus hierarchici qui sunt juris divini manifeste utramque detinent, in aliis vero sedulo attendendum utrum communicatio potestatis sive ordinariae sive delegatae facta sit in utroque, vel forte in alterutro tantum foro.

Quibus praemissis:

Dico 1°) Fieri nequit ut religiosi unice suorum praepositorum potestati dominativae subsint, sed necessitate manifesta et ipsi potestati clavium Ecclesiae hierarchicae subjacent: sunt enim fideles, imo personae sacrae seu ex juris aestimatione ecclesiasticae.

dico 2°) Nulla ratio per se et a priori exigit ut haec potestas clavium seu jurisdictionis resideat intus in familia regulari, puta in aliquo ipsius praeposito, sed disjunctive tantum requiritur ut ea sit: aut in superiore religiosorum, aut in aliquo Praelato Religioni extraneo. Liquet veritas asserti ex factis. Et sane vitae coenobiticae professores ab initio tantum non omnes laici erant, et ideo jurisdictione incapaces, pariter hodie, absque ulla jurisdictione intus existente vivunt moniales, Instituta Sororum, Instituta etiam virorum laicalia (ex gr. Fratr. a doctr. Christ.), imo et sacerdotalia extra casum privilegii Apostolici.

dico 3) contra plures veteres, quos citat et refutat Suarez, de Relig. tract. VIII, lib. II, c. 1, n. 7, si qua jurisdictio de facto intus

in aliqua Religione inveniatur, evidentissime Praelatus regularis eam non jure divino sed mere humano possidet. Ratio peremptoria est, quia Regulares qua tales ad neutram Ecclesiae hierarchiam, ordinis vel jurisdictionis, pertinent. Cfr. supra, p. 36.

dico 4) Concessio jurisdictionis superioribus regularium facta, ejus maxime quae fori est externi, historice pari passu cum concessione exemptionis a potestate ordinarii loci incedit; idque non casu, sed ex intestina rerum necessitate. Et sane, regulares a vinculo dioecesano soluti transibant sub immediatam R.i Pontificis auctoritatem; non poterant autem convenienter et efficaciter gubernari immediate a solo Pontifice, aut ab ejus delegato absenti, et propterea necessarium fuit praelatis propriis cujusque Religionis exemptae dictam committere potestatem.

dico 5) In Religionibus exemptis juxta vigentem disciplinam, superiores infimi, medii, supremi, i. e. locales, provinciales, generales gaudent jurisdictione immediata in suos subditos et quidem in utroque foro, unusquisque tamen secundum mensuram sibi in constitutionibus respectivis a Sede Ap. probatis, vel per privilegia Apostolica taxatam.

Cum de caetero haec jurisdictio ipsi officio vel magistratui stabili ratione est adnexa, cum ipsoque ad successores transit, ea profecto ordinaria est: ideoque hujusmodi Superiores suorum subditorum proprii Ordinarii constituuntur, et Praelati Regulares verissime sunt et nominantur.

dico 6) Hanc potestatem, qua Praelati triplicis gradus assignati in suos subditos fruuntur, DD. communiter vocant quasi-episcopalem, ad tenorem cap. 3 Abbates, de Privileg. V. 7 in VI, ubi legis: „in quos (scl. religiosos) ecclesiasticam et quasi-episcopalem jurisdictionem obtinent", nempe Abbates. Dicitur:

a) episcopalis quia, ut infra exponetur, respectu suorum subditorum se extendit ad quosdam actus qui propriissime sunt jurisdictionis Episcoporum quales sunt: excommunicatio, suspensio, casuum reservatio, dispensatio in votis, in irregularitatibus etc.

b) Quasi-episcopalis, nempe non simpliciter episcopalis sed cum diminutione: sane ad excludendos actus qui consecrationem requirunt epalem, sed praecipue ad significandam in Praelatis regularibus jurisdictionem stricte dictam restrictiorem quam in Epis: Et quidem in Praelatis localibus id est evidens, horum enim potestas a Constitutionibus in multis solet restringi; etiam in Provincialibus, quia semper aliquid generali est reservatum. Demum in ipso Generali, cum quasdam saltem poenas, ut interdictum locale, infligere non valeat, ipsis Epi dispositionibus quandoque parere debeat. Cfr. Trid. XXV, ref. c. 12, nec in delegationes Pontificias subintret quoties istae a jure Epo deferuntur. Vide Suarez, tract. VIII, lib. II, c. 2. n. 9, 11-13.

dico 7) Superiores Congregationum, etiam sacerdotalium, minime tamen exemptarum, utuntur sola potestate dominativa, nulla autem jurisdictione in foro externo, imo neque in foro interno, nisi ea in constitutionibus a Sede Apost. approbatis illis forte asseratur, ideoque nec suarum sunt sensu juridico Ordinarii, nec sunt Praelati.

Art. II. De Constitutione superiorum Regularium.

In hac materia attendendae sunt, una cum dispositionibus juris communis, statuta juris particularis uniuscujusque Ordinis vel instituti.

1) Ex jure communi, ut declaravimus in tract. gen. de hierarchia jurisd., cap. 6, officiis ecclesiasticis praeficitur quis: per competentis superioris liberam collationem, per postulationem ab ipso admissam, per electionem ab eodem confirmatam, vel demum per institutionem ab ipso ad alterius nominationem aut presentationem concessam.

Porro per se nihil obstat quominus superiores Regularium uno vel alio ex his quatuor modis constituantur; excluduntur enim tantum provisiones quae, ut Trid. loquitur, „haereditariae successionis imaginem prae se ferunt," sess. XXV ref.

c. 7. In praxi vero hodierna collatio libera et electio cum subsidiaria postulatione solum occurrunt.

Profecto R. Pontifex totius Ecclesiae, et ideo, vel solo hoc titulo, omnium coetuum regularium, supremus Pastor praelaturas regulares superiores sibi, pro sua plenitudine potestatis, poterit reservare, easque per se vel per suum delegatum libere conferre. Quo jure tamen ferme in solis casibus difficilioribus utitur, ita v. g. confoederationi benedictinae Leo XIII primum Archiabbatem designavit, Anal. eccl. 1893, p. 347, et iterum, facta unione quatuor Observantiarum franciscalium, idem Pontifex nominationem primi Ministri Generalis sibi reservavit. Anal. eccl. 1897, p. 375; hac eadem ratione Pontifex in casu vacationis supremae Praelaturae solet Vicarium a decessore designatum usque ad futurum capitulum adprobare.

Alias, et quidem ex jure ordinario, vult R. Pontifex, ut vel in ipsis congregationibus, ad minus moderatores generales ab ipsis religiosis libere eligantur, quorum electionem in Ordinibus Papa per se confirmat, in Institutis vero juris Pontificii per se vel per Epum tamquam Sedis Ap. delegatum, in Institutis demum dioecesanis electi confirmatio ad jus ordinarium Epi spectat. vide "Condit." c. 1, n. 9.

2) E jure particulari singulorum Ordinum rescies qui inibi superiores per electionem constituantur, quive per liberam nominationem supremi vel medii superioris. In nonnullis enim Ordinibus electione constituitur tantum Superior (Minister, Prior, Magister, Praepositus etc.) Generalis, hicque pro sua conscientia inferiores praelatos instituit; in aliis etiam Provinciales eliguntur, qui sua vice, sive soli, sive cum Definitorio suo, deputant superiores locales; in aliis denum, ut apud Praedicatores, etiam haec infima praelatura electiva est.

E quibus liquet, agendum esse praecipue de constitutione superioris per electionem, cum hic modus omnibus ordinibus et Institutis aliqua ratione communis sit, tum quia in omnibus electionibus ad actus validitatem eaedem prorsus sint regulae observandae.

Claritatis causa dicemus seorsim 1) de electione in ordinibus virorum, 2) de electione superiorissae monialium, 3) de electione in Institutis modernis.

§ I. De electione Superioris in Ordinibus virorum.

I. Notio. Electio est personae idoneae ad praelaturam vacantem per vota legitimorum electorum canonica vocatio, superioris auctoritate confirmanda.

II. Divisio. Secundum formam qua peragitur, distinguuntur tres species.

a) electio per quasi-inspirationem habetur cum sine ullo tractatu praevio de certa persona eligenda, in ipso tempore et loco electionis, omnes electores unanimiter eamdem acclamant personam.

b) electio per compromissum fit cum omnes et singuli electores vices suas transferunt in viros idoneos qui eorum vice praelaturae vacanti provideant.

c) electio per scrutinium: cum ad pluralitatem suffragiorum collectorum, electores in designanda persona conveniunt.

Jam age, Conc. Trid. sess. XXV de reg. c. 6 districte praecipit: in quocumque Regularium electione, superiores quoscumque (Abbates, Generales, abbatissas etc.) eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur – et aliter facta electio irrita sit."

Hinc profecto forma quasi-inspirationis eis est vetita. Utrum et forma compromissi? E verbis Trid. directe non sequitur, multi tamen affirmant. Equidem sentio distinctionem esse adhibendum. Proscribitur forma compromissi clamorosa cujus specimen exhibet cap. 30 de Elect. I, 6, et generatim omnis compromissarius processus in quo nomina eligentium revelentur, non autem ille quo ipsi compromissarii formam scrutinii observarent; nec aliud continere videntur variae sent.

negativae S. C. C. Hoc sensu igitur verum est, quod pro regularium electionibus unica via scrutinii patet; et ideo de hac sola nobis agendum.

III. De Electoribus. Observa: In utraque quaestione — quis eligere, quis eligi possit — dirimenda, principii fundamentalis instar habebis proprias cujusque ordinis constitutiones, quae in hac materia valde accurate loqui solent.

1) Ad capitulum generale legitime convocatum pertinet electio Superioris Generalis et ejus assistentium; ad capitulum provinciale, resp. conventuale — ubi istae Praelaturae electivae sunt — electio Provincialis, superioris localis.

Ad capitulum pertinent ii quibus hoc jus a constitutionibus datur et quamdiu in ipsis et quidem a Sede Ap. approbatis, aliter non statuatur, nequit superior alios electores pro arbitrio substituere aut inducere. Innoc. XII const. "Christifidelium" § 12, 16 Febr. 1694, B. R. t. X, p. 344 et S. C. Ep. R. multoties.

Contemptus, qui scilicet vocari debuisset et omnino, vel saltem tempore utili, vocatus non est, actionem habet de contemptu ad petendam electionis cassationem, c. 16, 36 de Elect. I, 6, potest etiam acquiescere et tunc habebit electio firmitatem. 28, tit. cit.

Omnis electio facienda est a capitularibus collegialiter congregatis in unum locum, c. 14 de Elect., id clare innuit Trid. sess. XXV, de reg. c. 6, cum prohibeat "suffragia absentium suppleri", quapropter ipso jure foret nulla omnis electio quae non in communi, sed remanentibus electoribus in variis domibus vel provinciis, attentari vellet.

2) Electores legitime convocati sint Professi hujus Religionis, c. 32 cum ex eo, de Elect. in VI — Ubi observa: Transeuntes, etiam vi indulti Pontificii, ex mendicantibus ad aliam religionem, numquam in hac nova familia inter electores sedere possunt. c. 1. Ut professores, de Regul. in Clem. — Qui episcopali

charactere insigniti sunt rarissime sedem et locum obtinent in capitulo generali sui ordinis, vocem vero, sive activam sive passivam, nunquam omnino.

3) Clerici sint, cit. cap. 32, imo ad mentem Trid. XXII de ref. c. 4, saltem subdiaconi, hac de causa laici et conversi ad jus suffragandi in electionibus non admittuntur, nisi forte ordo vel Congregatio ex toto laicalis sit, ut v. gr. Ordines hospitalares etc.

4) Censura innodati non sint, hicque praeter censuras latae sent. in const. "Apost. Sedis" enumeratas, praeter excommunicationem latae sent. contra missionarios negociationi lucrativae operam dantes, Coll. Prop. Fid. n. 351, 352, attendendae sunt censurae proprii Ordinis, et demum illae quas Pius IX firmas manere voluit, licet in Const. Ap. Sedis non exprimantur, utpote pro interno regime Regularium latas. horum indicem (13 excom.) exhibet P. Piat, t. II, p. 614 sq. et 618 (suspensiones).

5) Inhabiles non sint, i.e. sive ob sui conditionem (ut modo sub 2 transeuntes et Episcopi) sive in poenam alicujus delicti voce activa privati non sint.

Quaeres: Utrum qui admisit delictum privationem vocis activae secum trahens: ipso facto, ipso jure, ante omnem declarationem, absque judicis sententia, etc. etc. juxta varietatem clausularum, reapse ante quamcumque sententiam judicis mere facti declaratoriam, jure eligendi spoliatus maneat?

1a sent., non improbabilis, respondet affirmative, quia verba debent operari quod significant, significant autem spoliationem ante judicis interventum quemcumque. Ergo. — praeterea quia ad effectum in casu, non requiritur executio externa ab alio quam ab ipso electore culpabili facienda, qui in conscientia tenetur abstinere.

2a sent. benignior, quae arrisit P. Vermeersch, t. I, p. 253, n. 427 in not., etiam in hoc casu, requirit ad effectum sententiam judicis declaratoriam; ne multa in regimine regularium in incerto pendeant.

3) Verum neutra sent. absolute placet, et potius distinguen-

dum videtur, utrum illud delictum ob quod infligitur privatio vocis, ante omnem declarationem sit per se notum, publicum, aut e contra occultum. Si 1um: nulla requiritur sententia judicis; si 2um abundum est cum benigniori sententia quippe cum nemo ipso jure infamare tenetur. — De hac re explica cfr. Suarez de Legib. lib. V, cap. 8 et 9; Thesaurus I, c. 29; Piat. t. I, p. 502, t. II, p. 625; Hollweck, die kirchl. Strafgesetze, p. 140. Vide apud P. Piat, t. II, p. 629 et 632 indicem casuum (38) pro quibus, ipso jure statuitur haec privatio.

Posito tamen sententiam declaratoriam aliquando requiri, ea profecto per mensem ante capituli congregationem et non in ipso actu electionis intimanda est. Cfr. Ferraris v. Electio, art. IV, n. 92.

IV. Quis eligi possit.

1) Cum agatur de promotione ad Praelaturam cui adnexa est jurisdictio quasi-episcopalis, requiruntur in eligendo dotes de quibus agunt lib. I. tit. 14, de aetate et qualitate praeficiendorum et commentatores ibi, et praeterea Conc. Trid. XXIV de ref. c. 1: ea nempe aetas, scientia atque morum integritas ratione cujus sit "persona idonea et digna."

Et licet, quotiescumque vere digna est persona electa, ejus electio nec irrita sit nec irritabilis, nihilominus in conscientia, et quidem sub gravi, electores tenentur ad designandum digniorem, ut expresse jubet Trid. l. cit. et ex prop. 47 inter damnatas ab Innoc. XI, 1679, ap. Denz. n. 1064. Praeterea requiritur:

2) Ut sit professus in eadem Religione, intellige solemniter, nam juxta authent. decl. S. C. Ep. et Reg. 16 Jan. 1891, ap. Verm. t. II, p. 351, professi triennii minime eligibiles sunt ad praelaturas. Non tamen, de jure saltem communi, requiritur ut sit membrum ipsius capituli generalis.

3) De jure communi requiritur 25 annus inchoatus, Trid. XXIV de ref. c. 1. Verum, quoad Generales, Provinciales et locales superiores quasi-episcopali auctoritate fruentes, S. C. C. adhibuit potius dispositionem cap. 1, sess. VII de ref. et 30 annum requisivit, vide

varias decis. apud Ferrar. v. Aetas, n. 26. 27. Ex constitutionibus vero, ut plurimum, aetas major requiritur.

4) Ut non sit criminosus, nempe non admiserit ullum crimen ob quod ex ipsa juris dispositione reddatur ineligibilis, ut haeresim, simoniam etc. Vide 12 hujusmodi crimina apud Sauti, lib. 1, tit. 6. n. 11.;

5) neque infamis, infamia sive facti, sive juris;

6) neque censura innodatus – vide supra p. 375 n. 4 – aut personaliter interdictus, aut irregularis sive ex delicto sive ex defectu.

7) Ut non laboret inhabilitate, sive: a) <u>ratione conditionis</u> suae, ut ex gr. Episcopus regularis, deposito episcopatu ad religionem revertens, ex Const. "In sacra" Pauli IV, et mendicans transiens ad non mendicantes, juxta cap. 1. Ut professores, de Regul. III. 9. in Clem.: sive b) <u>ratione poenae</u>, scilicet ob transgressionem legis Regularibus impositae quaeque, ipso juris ministerio, plectitur poena vel privationis vocis passivae – 34 casus apud Piat, t. II. p. 632 sq. – vel directae inhabilitatis quominus delinquens, licite aut valide, ad praelaturam regularem eligi possit. Vide catalogum 20 casuum, op. et loc. cit. p. 646, demptis, quas habet, sub litt. n. et p.

Cum autem, in istis privationibus ipso facto incurrendis, agatur non de ablatione juris jam quaesiti sed adhuc quaerendi, procul dubio delinquens ad non acceptandam dignitatem in conscientia tenetur, etiam <u>ante</u> omnem sententiam declaratoriam. – Excipit tamen communissima doctrina casum quo, ipsa haec renunciatio, in gravem renunciantis infamiam vergeret. Tunc enim oblatam praelaturam accipere et statim pro occultae inhabilitatis dispensatione ad S. Poenitentiariam confugere fas erit.

8) Nemo sibimetipsi, in electione canonica, vocem poterit

dare, "quia inter dantem et accipientem debet esse distinctio personalis", ut habet cap. fin. de Institution. III, 7.

9) Denique non licet Vicario proponere duos vel tres, ex quibus necessario unus eligatur. S. C. C. apud Ferrar. v. Electio, art. IV. n. 52.

V. Ritus electionis.

Electio ipsa certis formis, partim accidentalibus, partim substantialibus, alligatur. Enumerantur hic praecepta juris communis, quisque ulterius attendat ad proprii Ordinis constitutiones, ut sciat, utrum forte alia praeter ista ad validam electionem requirantur.

1) Accidentalia, quorum igitur neglectus electionem non irritat, sunt: _ Missa de Spiritu S., communio electorum, protestatio contra jus non habentes, absolutio a censuris ad effectum _ intellige ab iis censuris quae non ex defectu ipsam electionem respiciente proveniunt, tractatus praevii ad informationes de digniori capessendas, lectio constitutionum de qualitate et requisitis eligendorum, juxta decr. Clem. VIII "Nullus omninò" § 36, juramentum de digniori eligendo etc.

2) Substantiale vero est ut electio fiat forma scrutinii, qua sola, et quidem per suffragia secreta, in electione suorum Praelatorum, Regulares uti possunt. Vide supra p. 373, II, c.

Porro haec forma scrutinii, ad tenorem cap. 42 quia propter, de Elect. I, 6, quinque actibus absolvitur. Requiritur enim:

a) Deputatio scrutatorum. Tres viri de collegio et fide digni per actum capitularem assumuntur, qui vota singulorum exquirant.

b) Suffragiorum collectio, seu ipsum scrutinium, quod fiat _ secreto _ : singuli electores suum scribant suffragium, clausumque scrutatoribus tradant. Violatio

secreti, in ipso electionis actu, etiam quoad unicum suffragium, daret actionem nullitatis. — ordinate — i.e. primo exquiratur votum praesidis, dein scrutatorum juxta praecedentiam vel consuetudinem — adhuc infirmorum qui sint in domo et per se suffragium scripto signare valeant. — libere, intromissio quippe saecularis potestatis electionem redderet ipso jure nullam, metus gravis aliunde incussus, rescindibilem.

c) Suffragiorum publicatio — Scrutatores scilicet, aperientes ex ordine schedulas, nomen inscriptum legunt, et alta voce, coram universo capitulo, pronunciant.

d) Suffragiorum collatio — ut constet: primo utrum numerus suffragiorum adaequet numerum vocalium, dein quis a majori parte electus sit, non enim sufficit obtinuisse plura vota quam caeteri, sed requiritur major pars relative ad omnia suffragia valide expressa.

Ubi observa: Vota alternativa, vgr. eligo Petrum vel Paulum; incerta; eligo eum qui plura vota tulerit; quomodocumque conditionata, ipso jure, nulla sunt, c. 2. in electione de Elect. III. 6 in VI; item schedula alba, ideoque non numerantur, et majoritas in casu ita computanda est, ac si taliter suffragantes de facto abessent.

e) Solemnis promulgatio personae electae. Statim ac constat in quem major pars consenserit, nullo tractatu interposito, decretum electionis conficiendum et a praeside (vel ab alio juxta consuetudines particulares) publice legendum est.

VI. De jure electi:

Publicato semel decreto electionis, non autem antea; sub poena nullitatis factae electionis, electus consensum suum dare potest; imo ex Constitutionibus mul-

torum Ordinum illum denegare nequit, sicque acquirit jus ad confirmationem.

Confirmatio ex lege generali absolute requiritur, daturque regulariter a superiore immediato, c. 32 de Elect., Generali ergo a S. Pontifice, eaque nondum obtenta electus manum administrationi apponere non praesumat, secus privaretur jure suo quaesito et praeterea inhabilis fieret pro futuro, Const. "Sanctissimus" § 8 Pii IV, B. R. t. IV², p. 193, nisi forte ex speciali privilegio Ap. quo plures fruuntur Ordines, generalis in concordia electus, eo ipso, censeatur a R. Pontifice confirmatus, tunc enim statim jurisdictionem exercere potest.

VII. Vitia electionis et eorum remedia.

Vitia si quae intercurrant, pro varietate casuum, electionem vel pleno jure irritant, vel rescindibilem faciunt. Quaedam ipsam electionem alia personam electam afficere possunt.

1) Simonia externa, quam electus cognoverit quin contradixerit, invalidam reddit electionem. 2) Ambitus seu subornatio, ratio sufficiens est, cur electio a Superiore non ratihabeatur, cfr. c. 26 de Elect., insuper qui hoc delictum perpetrant subjacent poenis privationis et inhabilitatis pro futuro, de quibus vide decr. Clem. VIII "Nullus omnino" § 35, ap. Verm. t. II, p. 300. 3) Metus gravis electoribus incussus electionem, de jure communi reddit irritabilem, ex jure speciali aliquando etiam plane nullam. 4) Abusus potestatis saecularis electionem semper et pleno jure irritat, ut habet c. 43. Quisquis de Elect. I, 6, cfr eodem titulo c. 14. — 5) Si vitium afficiat non ipsam electionem, sed personam electam, distinguendum: Si indignitas veniat: ex defectu, electio certe nulla est c. 20 et 17 tit. cit. remedium foret postulatio; si proveniat ex delicto, electio nulla est, si id in jure cavetur, secus irritanda; demum si indi-

gnus sit ob censuram, electio eo ipso nulla erit.

Scholion: de benedictione. Quidam Praelati regulares, scilicet abbates habentes jus infulae et baculi, post electionis confirmationem benedicendi sunt. Quae benedictio datur per deprecatoriam manus impositionem. Cfr. Pontificale Rom.

Benedicuntur porro ab Epo suo, vel si exempti sint, ab Epo delegato a R. Pontifice, assistentibus duobus Abbatibus. Dies liturgica ad effectum erit quaelibet dies dominica, vel festi duplicis publici, seu feriali (saltem ante reductionem Urb. VIII). Cum transferri eos contingat, non iteratur benedictio, nam "semel Abbas, semper Abbas".

Quamdiu benedictionem non obtinuerit nec minores ordines, imo nec tonsuram suis subditis regularibus conferre potest, nisi forte gaudeat speciali privilegio Ap., vi cujus habetur tamquam a R. Pontifice benedictus, eo ipso quod canonice electus et confirmatus fuerit. Cfr. Richt. p.198, n.12.14.

§ II. De electione Abbatissae, Priorissae etc. monialium.

Electiones monialium votorum solemnium reguntur lege Tridentina sess. XXV de reg. c.7 et 6, constitutione Greg. XV. "Inscrutabili" n.5 et multis S.C.C. responsis quae videsis ap. Richt. ad dictum cap. 7. p.409. Voluit autem Trid., ut in reliquis – i.e. prout legi capitis 7 non obstant „serventur singulorum Ordinum vel monasteriorum constitutiones".

I. Quis eligere possit.

1) Jure communi electio spectat ad ipsas moniales et quidem privative.

2) Inter moniales quaenam sint vocales, scietur ex constitutionibus. Ex jure Trid. requiritur ut sint professae, ideoque 17 ann., abolita jam dispositione c.43 de Elect. in VI, cui sufficiebat aetas 12 annorum. Per se, et ipsae conversae

solemniter professae gauderent jure eligendi, verum fere ubique per constitutiones excluduntur. — Post decretum "Perpensis" n. 8 Leonis XIII, tempus a Constitutionibus praescriptum ad habendam vocem activam, computatur a die emissionis votorum triennii.

3) Inter vocales a constitutionibus designatas jure eligendi cadunt excommunicatae, voce activa privatae. — Infirmae, quae ad crates procedere nequeunt, votum scriptum et clausum scrutatricibus tradant, vel oretenus insinuent.

4) Praeses, sive sit Epus, sive Praelatus regularis absolute et quocumque in casu, sub poena nullitatis electionis, prohibetur ab actu suffragandi. S. C. E. R. 5 Mart. 1619, S. C. C., 23 Maj. 1621. — Verum si quando vocales concordare non possent, praeses praefigeret terminum ad concordandum, quo inutiliter elapso, Superior personam idoneam in Abbatissam deputabit. S. C. C. pluries ap. Ferr. v. Abbatis, n. 29. 30

II. Quaenam eligi valeat.

1) Jure antiquo, monialis 30 ann. expresse professa. — Jure Trid. quae non sit minor annis 40 (completis ex S. C. C. et sent. cni) et simul 8 annis post expressam professionem laudabiliter vixerit — ex decr. "Perpensis", quod duplicem induxit professionem, eligibilis non est nisi solemniter professa, n. 8.

Si nulla in monasterio has qualitates possideat, eligi poterit monialis alterius monasterii, ejusdem tamen Ordinis — Si hoc etiam superiori incommodum videatur, eligi poterit monialis quae 30 annum supergressa 5 saltem annis post professionem recte vixerit. S. C. C. utramque conditionem ut substantialem habet, ap. Ferrar. l. c. n. 5.

2) Sit virgo — saltem existimata cfr. can. 12. C. XX. q. 1. — i. e. nec notorie corrupta, nec vidua, et quidem, ex stylo S. C. C., sub poena nullitatis citra dispensationem Apostolicam.

3) Nec coeca, nec surda, nec tertia soror, viventibus dua-

bus aliis in eodem monasterio, cum talis juxta S. C. C., 26 Aug. 1616, voce careat activa et passiva.

4) Ut eadem monialis pro altero triennio eligi valeat in Praepositam, S. C. C. solet exigere duas tertias partes suffragiorum, ad tertium vero triennium veniam non dat, nisi electio praecesserit unanimis.

III. Quo in loco electio celebranda sit.

Id satis indicavit Trid. cap. 7. "ante cancellorum fenestrellam vota singularum audiat vel recipiat" praeses, nec clausuram ingrediatur.

IV. Qua forma.

1) Trid. XXV de reg. c. 6, sub poena nullitatis, requirit ut fiat per vota secreta, unde sola forma scrutinii, juxta superius dicta § 1, n. II et V, valide adhibetur.

2) Facienda est coram praeside. Et quidem monialium sibi subjectarum electionibus, Epus praesidet, per se vel per alium, jure ordinario; monialium Sedi ap. subjectarum, jure delegato. In utraque casu ejus partes erunt electam confirmare.

Electionibus monialium exemptarum quae Praelato subjiciuntur regulari, Episcopus per se vel per alium praesidere potest, const. "Inscrutabili" n. 5. Imo Praelatus regularis tenetur Epo diem futurae electionis indicare, et terminum praefixum exspectare quoties Epus voluntatem interessendi significaverit, secus in hujus arbitrio erit electionem annullare, et in regulares animadvertere.

Verum in electionibus hujus posterioris speciei, Epi praesidentia erit mere directiva, minime jurisdictionalis. Quapropter omnia fieri debent coram eo vidente et audiente teste authorizabili; sed solus Praelatus regularis recipit et adnotat suffragia, electamque abbatissam confirmat. Ita S. C. C. vide Richter p. 409 sq. et 546.

§ III. De electione superiorum in Congregationibus modernis.

I. In hujusmodi Institutis solus superior (superiora ...

generalis, ejus Assistentes seu Consiliarii, secretarius et oeconomus generales electione, in capitulo generali peragenda, constituuntur. Reliqui superiores nominatione a superiore generali de consensu Assistentium facta (ut habent Normae), vel saltem eorum consilio audito (ut saepius consuetudo Normis superior invexit) deputantur.

II. In Institutis dioecesanis Epus non modo electionibus, sed universis tractationibus capituli generalis praeest tamquam proprius superior. Ideoque jure suo omnia dirigit et rite peracta confirmat.

III. In Institutis juris Pontificii, juxta Normas, n. 231-238.

1) Superior (Superiorissa) generalis eligi non potest, nisi qui saltem 40 annos natus sit, et 5 annis vota perpetua emiserit.

2) Forma scrutinii, ubique et semper servanda.

3) Conceduntur in Europa tria scrutinia tantum, quibus frustra peractis, electio hac vice devolvitur ad S. C. E. R., et ita capitulum ulterius procedere nequit.

Extra Europam, post tertium inutile scrutinium, conceditur quartum in quo illi duo (duae) tantum vocem passivam habent, qui in tertio majorem numerum suffragiorum sortiti erant.

4) Superior generalis qui juxta constitutiones ad sexennium eligitur, primo sexennio elapso, pro secundo iterum eligi potest; pro tertio vero requiritur ut obtineat duas e tribus suffragiorum partibus et confirmatio S. Sedis accedat. Binae conditiones requiruntur jam in prima reelectione, quoties munus superioris gen. ad duodecim annos se extendit.

5) Ad munus consiliarii, oeconomi, secretarii gen. eligibilis est professus votorum perpetuorum, 35 annos natus. Modus eligendi idem est qui supra, nisi quod duobus scrutiniis frustra tentatis, in tertio electus habetur qui obtinuerit numerum suffragiorum majorem.

6) Universis hisce electionibus apud sorores (non apud viros) praeest Epus, per se vel per alium, tamquam Sedis Ap. Delegatus; const. "Conditae" cap. II, § 4; ipseque electionem rite peractam promulgat.

Art. III. De objecto potestatis gubernativae intra Ordines et Instituta existentis.

Ut dictum est Art. I hujus capitis, duplex est, vel esse potest, superiorum auctoritas gubernativa: dominativa et jurisdictionalis. Priorem participant superiores et Ordinum et Institutorum, etiam muliebrium; posterior, citra speciale Sedis Ap. privilegium, non invenitur nisi in Ordinibus vel monasteriis virorum exemptis. Dicemus ex ordine de utriusque objecto.

Punctum I.

De objecto potestatis dominativae.

Vi hujus potestatis, Superior (item Abbatissa, Superiorissa etc.), sive solus, sive cum consilio, juxta varietatem constitutionum:

1) tamquam custos regulae seu constitutionum, urget earum executionem.

2) Subditis suis vera praecepta, quae igitur in conscientia obligent, imponere valet.

3) Imo in vi voti, seu in virtute sanctae obedientiae jubere potest. Attendendae tamen constitutiones, ut scias, cui superiori et sub quibusnam cautelis id forte reservatum, puta in aliquo Instituto, soli Superiorissae generali et quidem tantum in scriptis.

4) Jam age, haec praecipiendi facultas minime indefinite patet. Nam praeterquam quod regulatur ab honestate morum, limitatur etiam a fine Instituti et intra latitudinem regulae coercetur. Ideoque praeceptum quod est contra honestatem, contra finem Instituti, aut ita supra regulam, ut quod jubet, nec explicite, nec reductive sub ipsa comprehendatur, vim obligandi

habet nullam.

Dico autem reductive sub regula contineri, id quod limites regulae quidem aliqua ratione excedit, attamen ad perfectam regulae observantiam, ad attingendum finem Instituti est moraliter necessarium, conveniens aut utile, vide Suarez de Relig. tr. VIII, lib. 2, c. 8; St. Th. Quodlib. X, art. 10. Et haec quidem doctrina plena erit si addas restrictionem qua Sanchez correxit Sylvium, nempe: superiorem non posse indiscriminatim praecipere quaecumque faciunt ad pleniorem regulae observantiam, sed tantum res ad id valde necessarias, alioqui superior ex. gr. quasvis corporis macerationes injungere posset, faciunt enim ad pleniorem observantiam. ap. Busemb. tract. IX, n. 29.

5) Non deest illi aliqua puniendi et coercendi potestas per quam contumaces in officio continere valeat, nihilque prohibet quominus ad hunc scopum poenitentias vgr. macerationes etiam supra regulam imponat. Ratio est, quia in casu necessariae sunt ut ipsa regula servetur, et hac via, licet extraordinariae sunt, tamen ad regulam reducuntur, ut habet sent. communis apud Ferrar. v. Votum, art. 2, n. 19.

6) Recipit denunciationes domesticas, utensque discretione paterna, remedium adhibebit. De hac materia legas Suarez de Relig. tract. X, lib. 10, c. 8, et Schmalzgr. lib. V, tit. 1, n. 160 sq.

7) Irritat, rationabili ex causa bonum subditi vel familiae respiciente, vota supererogatoria suorum; excipitur a jure votum transeundi ad religionem strictiorem, cfr. Ferrar. v. Votum, art. 3, n. 22 sq. Novitiorum vota irritare nequit, potest tamen, quamdiu sub ejus directione vivunt, hujusmodi votorum suspendere effectum.

8) Data causa, poterit in casu particulari subditum ab una altera ve constitutionum praescriptione non quidem dispensare — hoc enim jurisdictionis est — sed eximere: declarando scilicet illum in his adjunctis non teneri.

10) Vi hujus potestatis dominativae superior, ut modo indicatum est, dispensare nequit, sed neque censuras ferre, aut casus

reservare, hi enim actus, ut valeant, a potestate jurisdictionis procedant oportet.

11) Superior qui sacerdos non est, rationem conscientiae a subditis, ultra terminos a Decr. "Quemadmodum" § 1-3, 17 Dec. 1890, positos, exigere nequit; imo si id praesumat denuntiandus est.

Porro eodem decr. § 5, 6, et subsequenti, diei 20 Dec. 1905, "Sacra Trid. synodus" § 4. accessum ad frequentem et quotidianam communionem concedere vel denegare, in Ordinibus et Congregationibus mulierum, item in Institutis virorum laicalibus, privative ad confessarium ordinarium et extraordinarium spectat, quin superiores ulla ratione se hoc in negotio ingerere valeant, excepto utique casu scandali dati et culpae gravis externae, donec subditus ad sacramentum poenitentiae denuo accesserit, ut habet decr. "Quemadm." § 5.

12) Demum administrat bona et rem oeconomicam monasterii resp. Congregationis, de hoc infra in capite sequenti, ob gravitatem rei, seorsim agetur.

Punctum II.

De objecto potestatis jurisdictionis

Jurisdictio importat potestatem legislativam, cum subnexa potestate authentice interpretandi, et dispensandi, potestatem judiciariam et coercitivam: igitur dicendum ad quid in his omnibus se extendat jurisdictio Praelati regularis respectu suorum subditorum.

§ I. De potestate legislativa.

Ea profecto Ordines virorum exempti non destituuntur, cum in iis vera jurisdictio fori externi habeatur. Regulariter tamen:

1) Praepositus generalis per se solus leges condere nequit, reservatur enim haec facultas capitulo generali.

In nonnullis tamen ordinibus sgr. apud PP. Carmelitas, in Societate Jesu Praepositus Generalis potest condere Ordinationes, quae solo ferme nomine a lege proprie dicta absunt: nam obligant perinde ac regulae, nec cessant eo demortuo quamdiu a successore non fuerint revocatae.

2) Provincialis facultate leges pro sua provincia condendi destitutus est, secus enim brevi actum foret de unitate ordinis. — Potest tamen de consensu, alias de consilio sui definitorii, condere ordinationes ad tollendos abusus usque ad muneris cessationem duraturas, imo alicubi usque ad revocationem per successorem factam.

3) Praelati regulares possunt suas, suorumque decessorum ordinationes authentice interpretari, etiam immutare et abrogare.

4) Constitutiones Ordinis Praelatus supremus interim declarare potest, ita ut inferioribus sua declaratione tutam praebeat regulam agendi; eas autem authentice interpretari nequit, multoque minus immutare, id enim regulariter pertinet ad capitulum generale, cujus vel ipsius manus ligatae manent quoties, aut expressis verbis, aut per clausulam irritantem confirmationi constitutionum adjectam, R. Pontifex sibi hoc negotium reservavit.

5) Quid capitulum generale valeat, quid non, in ordine ad reformationem Religionis, si quando ejus observantiae, auctoritate Apostolica sive consuetudine legitime praescripta, imo forte socordia et corruptelis relaxatae fuerint, non vacat exponere, adeas si vis Suarez de Rel. tr. VII, lib. 10, c. 8, ubi fuse casus varii expenduntur. Cf. Bouix, t. II, p. 444.

§ II. De potestate dispensandi.

I. In generalibus Ecclesiae legibus: Quoad hanc materiam

recte monet P. Piat, t. II, p. 570 "principium generale est, eadem potestate dispensandi... gaudere Praelatos regulares erga suos subditos, qua gaudent Episcopi in clericos et laicos sibi subjectos," ut statuit S. Pius V const. "Rⁱ Pontificis" § 3, 21 Jul. 1571, ap. Verm. t. II, p. 555.

Poterunt ergo dispensare separatim cum individuis, non autem, salvo casu imminentis periculi, cum integra communitate; item in materia usus frequentioris vgr. in jejuniis, in delectu ciborum etc.; pariter in casibus dubiis, ad cautelam.

II. In constitutionibus Ordinis dispensant cum personis particularibus, dummodo agatur de materia quam constitutiones non expresse a facultate dispensandi subtraxerunt.

III. In votis. Profecto in tribus votis substantialibus, in aliisque vi constitutionum forte superadditis, puta in voto de non ambienda praelatura, minime dispensant, bene vero, justa subsistente causa, in votis supererogatoriis subditorum quae nec jus tertii involvunt, nec juramento firmata sunt.

Haec potestas dispensandi e jurisdictione profluens attingit etiam vota tyronum, quae, ut dictum est, potestate dominativa irritari non possunt; item attingit votum professi transeundi ad strictiorem religionem quod similiter potestate dominativa irritari nequit. Cfr. Suarez, de Relig. tr. VI, l. 6, c. 10, n. 16.

IV. In poenis. Quibus subditi ob delictum suum ipso facto sunt obnoxii, dispensant a) quoties delictum occultum, nec Rᵒ Pontifici reservatum est, ex Trid. sess. XXIV de ref. c. 6, junctae cit. const. Pii V "Rⁱ Pontificis" — b) ubi non agitur de crimine enormi et lex, intimans poenam, silet de dispensatione, arg. c. 4 de Judiciis II, 1, et c. 29 de sent. excom. V, 39, ubi legis: "quia conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi". Ergo a pari facultatem dispensandi, et illi "alii", infra Papam, saltem intelliguntur Epi, ergo. — c) quoties lex dicit: cum delinquente "dispensari posse", nulla assignata persona cui dispensatio committatur. Cfr. Suarez de Legib. l. 6, c. 14 n. 8. — et d) generalius dispensare possunt in poenis latae sent., puta in.

habilitatio, vocis activae et passivae etc. etc. quibus in Const. S. Pii V "Dum ad Congregationem" § 1 et 2, 13 Jun. 1571, B. R. t. IV³ p. 168, cfr. Sᵗ Alph. de Privil. n. 105; numquam tamen dispensant ab istis poenis si R° Pontifici reservantur.

In poenis vero jure peculiari ipsius Ordinis inductis, dispensat procul dubio Generalis. Utrum etiam Praelatus inferior et quis, habebis ex respectivis constitutionibus. — Si quaestio moveretur circa poenas a constitutionibus intimatas et propriissime tales (prout nempe a censuris, inhabilitatibus, privationibus vocis, officii etc distinguuntur) non negabo earum remissionem a potestate dominativa, minime vero a jurisdictione pendere.

V. In irregularitatibus.

1) Quae sint ex delicto occulto, superiores cum omnibus suis subditis (ergo et cum novitiis), eodem tenore, ac vi c. 6, sess. XXIV de ref. Epi cum suis, dispensare possunt: i.e. in foro animae, et excepto homicidio directe voluntario, excepto pariter omni delicto ad forum contentiosum deducto. Ita ex const. S. Pii V "R¹ Pontificis" sup. cit. Tunc autem, juxta veriorem sent., delictum censetur ad forum contentiosum deductum cum illud judici denunciatum, delatique res intimata fuit. Cfr. Piat, t. II, p. 604.

2) Contractis ex delicto publico dispensant solum ex privilegio. Excipias, ut supra a) homicidium directe voluntarium; b) mutilationem membrorum quae aequiperatur homicidio in jure; c) abortum foetus animati qui reapse homicidium est, ex Const. Greg. XIV "Sedes Apost." § 2, B. Rom. VI⁵ p. 81; d) bigamiam similitudinariam, quia rei hujus criminis habentur eo ipso tamquam suspecti de haeresi, quapropter eorum causa spectat ad S. Officium.

3) quae sint ex defectu dispensant, modo excipias: a) enormem corporis vel animi defectum ex quo fidelibus scandalum obtruderetur; b) bigamiam, ut habet doctrina communis fundata in Trid. XXIII de ref. c. 17, et in stylo S. C. C.; c) defectum aetatis Trid. XXIII de ref. c. 12; defectum natalium, quoad digni-

tates obtinendas, nisi hac in re speciale obtinuerint privilegium, const. Greg. XIV "Circumspecta" § 4 B. Rom. t. V, p. 258.

4) Observa: per se, quamdiu propriae constitutiones aliter non statuerint, hac dispensandi facultate uti possunt quotquot veri Praelati regulares existunt, etiam locales. Videat igitur superior.

5) In vigore privilegii a Paulo III const. "Exponi nobis", 12 Mart. 1545, concesso, possunt superiores locales, per se vel per confessarios, singulis annis feria 2 post Dominicam I Quadragesimae, dispensare cum suis subditis, etiam novitiis, in omni irregularitate quavis occasione vel causa contracta. Utique, ut sentio, in foro tantum animae.

§ III. De potestate judiciaria.

Quae considerari potest in utroque foro: paenitentiali et externo.

A. In foro paenitentiali.

I. De confessione et confessarii deputatione.

1) Audiunt confessiones. — Jure proprio et ordinario Praelati regulares audiunt ubique valide subditorum suorum confessiones. — Aliter loquendum de Congreg. sacerdotalibus non exemptis, ibi enim, nisi contrarium in constitutionibus a Sede Ap. approbatis exprimatur, superiores, quia Praelati non sunt, ad confessiones suorum audiendas, indigent jurisdictione et approbatione ab Episcopo communicanda.

2) regulariter non per se. — Quia cumulant jurisdictionem in foro externo, hoc munus per se implere non possunt, nisi ipsimet subditi sponte ac proprio nutu id ab eis petierint, aut forte peccatum aliquod reservatum confiteri debeant. Ita Clem. VIII decr. "Sanctissimus Dnus" § 2, 26 Maj. 1593, ap. Verm. t. II, p. 597. — Quae dispositio, juxta modum, extenditur in Urbe ad universos superiores cujusvis Congregationis, seminarii, communitatis religiosae per decr. S. Offic., 5 Jul. 1899, op. cit. p. 624.

3) Sed per deputatos. — Jubente eodem Clem. VIII decr. cit. § 3, superiores in singulis domibus deputent 2, 3 aut plures confessarios, pro subditorum numero majori vel minori, qui a non reservatis eos absolvant." (de reservatis infra). Etsi maneat, ubi eam constitutiones praescribunt, lex "stabilis confessarii", subditi nihilominus ex deputatis confessariis quem voluerint sibi eligere possunt, nec debet cuilibet confessario a priori certus numerus religiosorum quos audiat adtribui. Cfr. Piat, t. I, p. 402.

4) Jus deputandi hos confessarios pertinet imprimis ad generalem, practice vero, ut plurimum, exercetur a Provinciali. — Utrum superior localis, ratione habita majoris utilitatis, uni vel alteri subditorum alium confessarium assignare valeat, ut ex gr. in Soc. Jesu, imo utrum simpliciter facultate polleat deputandi confessarios, judicabit quisque ex statutis proprii Ordinis. Vide Bizzar. p. 722 cum nota.

5) Qualitates Confessariorum, quos Provincialis deputet, enumerantur a Clem. VIII, Const. cit. § 3: "sint docti, prudentes ac charitate praediti"; imo approbandi non sunt nisi qui coram tribus simul examinatoribus a capitulo provinciali institutis, prospere suae doctrinae periculum fecerint. Clem. VIII const. "Nullus omnino" § 37.

Hujus praevii examinis necessitatem — in forma Clementina — non esse universalem, cum docto P. Vermeersch, t. I p. 248, libenter agnoscimus, sin minus ob rationem quam allegat, t. II, p. 59 in not., certe eo quod dicta § 37 minime abrogat aliam aequivalentem, vel etiam strictiorem formam examinandi, in Ordine, ex constitutionibus a Sede Ap. approbatis, usitatam; ideoque haec prior manet, juxta Reg. J. 34 in VI "generi per speciem derogatur."

Nemini tandem dubium est Provincialem, approbationem, quoad tempus, quoad locum limitatam, posse concedere; etiam sine limitatione approbatos, justa de causa, a munere revocare; imo, si casus tulerit, ex informata conscientia suspendere jure suo. Vide Bizzar. p. 24 et 455.

6) Cum vero, juxta privilegia sibi facta, regulares nec licite nec valide confessionem instituant, nisi penes delegatos a superiore, jam quaeritur: Utrum superior possit ad effectum deputare sacerdotem externum sive regularem, sive saecularem?

Hoc jus videtur sequi, tum ex eo quod Trid. nihil immutavit respectu confessionum Regularium, tum ex principio generali: qui habet potestatem ordinariam potest eam delegare cuilibet qui a jure non excluditur; ideoque etiam S.C. Ep. R. dictam facultatem universim agnovit, in una Fr. Eremitarum S. Aug., 3 Jun. 1864: quotiescumque ipsae constitutiones et statuta talem delegationem non prohibeant. ap. Bizzar. p. 723.

7) Sed exinde nascitur ulterior quaestio: Posito quod superior non prohibeatur a suis Constitutionibus, poterit ne libere delegare quemcumque sacerdotem regularem vel saecularem; aut tantum sacerdotem alias jam ab Epo approbatum.

Equidem ad apices juris respondendo, vindicanda foret libertas superioris respectu utriusque sacerdotis. Et sane: Ordinarius suam potestatem delegare potest quamdiu a jure non prohibetur. Atqui Trid. XXIII de ref. c. 15 nihil innovavit quoad confessarios regularium, isti autem ante Trid. certissime nulla indigebant Episcopi approbatione. Ergo, ut recte observat P. Vermeersch, t. 1, p. 248, superior manet respectu suorum in ea conditione in qua versabatur parochus ante Trid. poterat hic sine dubio "alieno sacerdoti expeditam in sua paroccia tribuere jurisdictionem."

Ita juxta principia et S. Alph. VI, 575, in praxi vero:

α) Quoad sacerdotem saecularem, licet nullum unquam decret. generale hac de re ediderit, S.C. Ep. Reg. stylo suo exigit, ut deputatio ei non deferatur nisi sit ab Epo approbatus.

Missam sane facio, quam multi constanter juxta ac inutiliter obtrudunt causam Hildesheim., 18 Nov. 1769; Etenim regulares quorum confessiones ibi invalidae dicuntur, spreto confessario Ordinis, ad libidinem suam confessarium externum sibi elegerant. Vide speciem facti ap. Richt. p. 206, n. 5. Verum, hac omissa, non desunt variae decisiones quae proprie casum nostrum respiciunt:

atque negative definiunt. Unde, perinde ac superiori capite p. 356, ubi de triennio confessarii sororum, stas hic iterum coram quaestione: utrum, nullo edito decreto generali, solis suis judiciis particularibus S. C. Ep. R. possit nec ne legem universalem constituere, aut jus existens immutare. Adeas, si libet, Ballerin. Palmier. t. V, p. 274, n. 551. Utinam futura codificatio remedium opportunum adhibeat.

B) Quoad sacerdotem regularem alterius ordinis cui defertur delegatio, S. C. Ep. R. in indultis ad effectum concessis, ut plurimum inseruit et inserit clausulam "modo ab ordinario loci sit approbatus." Cfr. Bizzar. p. 723.

Regulares ergo qui tale sibi indultum postularunt, eoque uti velint, procul dubio enuntiata clausula ligantur. Sed inde nihil praejudicatum est auctoritati superiorum. Imo Sedes Ap. videtur quoad extraneum regularem confessarium id tantum exigere ut a proprio suo Praelato ad confessiones excipiendas sit approbatus. Et revera PP. Capucinis quorum constitutiones vetant ne superior deputet ad confessiones FF. sacerdotem externum, Bened. XIV const. "Quod communi", 30 Mart. 1742, Bull. B. t. I, p. 64, facultatem fecit ut, cum legitime extra claustra degunt, confessionem instituere valeant, non modo apud sacerdotem saecularem ab Epo approbatum, verum etiam apud regularem approbatum a proprio suo superiore regulari. Quam facultatem confirmavit et ampliavit Pius IX quoad absolutionem a reservatis in Ordine, 28 Sept. 1852 ut videre est ap. Bizz. p. 723 in not. nec abludit recentius indultum iisdem PP. a S. C. Ep. R. concessum, 5 April. 1897, Anal. eccl. 1897, p. 147, vi cujus confessio casus reservati non est penes superiorem repetenda quotiescumque de superiorum licentia facta est apud quemlibet sacerdotem "rite approbatum." Atqui regularis rite etiam approbatur a suo Praelato. Ergo.

Censeo igitur superiorem in deputando regularem alterius ordinis tuto sequi posse doctrinam St Alph. l. c., cum vel ipsa S. Poenit. responso suo, 14 Maji 1902, ap. Verm. t. II, p. 626, tantum requirat, ut ille confessarius regularis extraneus a suo superiore sit appro-

batus. Id tamen non extendas ad regularem saecularizatum "ad tempus" qui remittendus est ad confessarium approbatum ab Ordinario loci, ut decisum est a S. C. Ep. R. probante Pio IX, 27 Aug. 1852, ap. Bizzar. p. 129.

Tempore jubilaei, ad lucrandam indulgentiam, utique standum erit terminis expressis bullae concessionis, cfr. S. Piat I, 414 et cit ibid. rer. p. S. Poenit. 30 Jan. 1886.

γ) Quoad confessiones novitiorum. — Conciliando sunt duo Clem. VIII praecepta: Etenim cit. decr. "sanctissimus Dnus § 2, 26 Maji 1593, prohibet quominus superiores sint confessarii necessarii subditorum; aliunde in decr. "Cum ad Regularem" § 17, 19 Mart. 1603, ap. Verm. t. II, p. 306, jubet "ipsi Magistro soli novitiorum confessiones audiendi cura committatur." Hinc:

a) Solum Magistrum, et non alium religiosum, superiores in confessarium novitiorum deputare possunt.

b) Sicubi localis superior ipse munus Magistri gerat, secluso privilegio Ap. anno 1593 posteriori, non poterit insimul novitiorum confessarium agere, sed alteri vel munus Magistri, vel munus stabilis confessarii demandabit — dixi: stabilis quia lex jubet: "ut non sit diversitas in directione novitiorum" — manente sibi tantum facultate in § 17 expressa: audiendi ex officio novitiorum confessiones semel vel bis in anno, per se vel per alium.

II. De casuum reservatione.

1) Potestatem reservandi sibi absolutionem quoad graviora crimina, Conc. Trid. sess. XIV, c. 7 non modo R. Pontifici, sed etiam sibi Epis, in sua cuique dioecesi solemniter vindicavit, Cfr. etiam can. 1, ejusd. sess. Porro secundum unanimem DD. sententiam et SS. Congr. praxim dictae potestati, respectu suorum subditorum, participant Praelati regulares jurisdictione quasi-episcopali qui fruuntur. Quinam autem Praelati in singulis Ordinibus legitime hac facultate utantur ex respectivis constitutionibus habebis.

2) Perpendens, quod facultas reservandi sibi absolutionem, nisi superiores prudenter admodum atque moderate illa utantur,

nonnullos infirmiores in aeternae damnationis periculum adducere posset, Clemens VIII, decreto suo "Sanctissimus", 26 Maj. 1593, ap. Verm. t. II, p. 594, superiorum potestatem cautelis sequentibus circumscripsit: Edito scilicet catalogo casuum immobili, decrevit:

a) Ut nemo ex regularium superioribus peccatorum absolutionem sibi reservet, exceptis iis in catalogo enumeratis, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Dño judicaverint, loc. cit. §1.

b) Si quod aliud praeterea peccatum grave pro religionis conservatione, aut pro conscientiae puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quam generalis capituli in toto Ordine, aut provinciales in Provincia, matura discussione et consensu, l. c. §2. — Hinc est quod passim in Ordinibus, praeter Clementinos, plures, hac capitulorum auctoritate, casus reserventur, eosque exhibent constitutiones statutaque singulorum. Cfr. vgr opusc. censurae et praecepta hominibus Soc. Jesu imposita.

3) Casus porro a Clem. VIII superioribus propositi sunt:

1) Veneficia, incantationes, sortilegia.

2) Apostasia a Religione sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenerit, ut extra septa monasterii, seu conventus fiat egressus; nocturna ac furtiva e Monasterio, seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

3) Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale. Juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo.

4) Procuratio auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non sequuto.

5) Falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterii aut conventus. Furtum de rebus monasterii seu conventus in ea quantitate quae sit peccatum mortale.

6) Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

7) Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personae.

8) Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum a superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad

superiores — Qui omnes in Soc. J. vgr reservantur.

4) Sublata igitur facultate pro superioribus alios praeter enumeratos casus, personali auctoritate, sibi reservandi, mota est controversia: Utrum superiores possint saltem peccato non reservabili censuram sibi reservatam adnectere ratione cujus peccatum, utique indirecte, sibi reservarent?

Jam, quidquid nonnulli in favorem hujus rationis agendi dixerint. Cfr. Schmalzgr. de Offic. judic. Ordin. 1, 31, n. 85, sententia communissima atque certa negat, eamque amplexa est S.C. Ep. R. 7 Jul. 1617, ap. Bizzar. p. 247. Et recte, hujusmodi enim circuitio in fraudem legis inventa, legem et legis scopum a Clem. VIII assignatum, sepeliret. Vide Bened. XIV de Syn. l. V, c. 5, n. 5, S. Alph. VI, n. 583.

III. De potestate absolvendi a peccatis et a censuris reservatis.

1) Ab occultis censuris Praelati regulares subditos sibi absolvunt eodem modo ac Epi suos clericos et fideles: Trid. sess. XXIV de ref. C. 6, una cum Const. S. Pii V "Ri Pontificio", ap. Verm. t. II, p. 555, addita restrictione const. "Apost. Sedis" tit. VI, n. 2 in fin. i.e. nunquam tamen ab occultis speciali modo R. Pontifici reservatis.

2) A censuris non reservatis, ut per se patet, absolvere possunt religiosos non modo eorum Praelati, sed quilibet legitimus confessarius.

3) Quoad censuras Pontificias pro interno regimine ordinum, quibus scilicet ipsae Religiones in propria observantia firmantur, Regulares vero a criminibus suo statui primo et per se oppositis deterrentur — nota:

Pius IX, in const. "Apost. Sedis" eas voluit firmas permanere — eas dico quae olim a Summis Pontificibus latae sunt quin posthac legitima consuetudine sublatae sint; vel, licet ad tempus legitime sublatae, nihilominus denuo dictae const. "Apost. Sedis" insertae sunt, ut vgr. tit. II. n. 6. 10; tit. V, n. 5.

Ulterius sedulo attendendum, utrum ipsae quae hodiedum vigent contra regulares universim, vel forte contra alumnos singularis cujusdam ordinis vgr Minorum, vel imo contra peculia-

rem classem regularium vgr. contra monachos, contra canonicos reg. etc. prolatae sint, ratio est: quia in casu non excedunt indicatam familiam, vel speciem, puta mendicantes, aut monachos, aut canonicos.

Demum perpendas utrum dictae censurae a principio fuerunt nec ne R° Pontifici reservatae, quia et hodie, post const. "Apost. Sedis" in eadem qua olim ratione perseverant.

Igitur ab istis censuris pro regimine interno latis, quamdiu reservatae non sunt, absolutio datur ut modo sub n. 2.

Si vero reservatae sint et ex crimine publico proveniant, Praelati regulares per se omni potestate absolvendi destituuntur; attamen qui ante Const. "Apost. Sedis" vigore privilegii stabilis ab istis censuris absolvere poterant, eadem facultate et hodie pollent: ratio est quia revocatio privilegii absolvendi a casibus in c. "Ap. Sedis" contenta, non egreditur terminos hujus constitutionis — Ex 13 excommunicationibus pro regime interno Quarum catalogum exhibet P. Piat, t. II, p. 614, tres tum casus dese R° Pontifici reservantur, nempe: praesumptuosa superiorum immixtio in causas ad S. Officium spectantes, vide supra p. 299, n. 10 — Superiorum negligentia in denunciandis haereticis vel de haeresi suspectis — Eorumdem superiorum praesumptuosus interventus ad impediendos, sive directe, sive indirecte, subditos quominus ad S. Officium recurrant: ex const. Pauli V "Rom. Pontifex" § 6, B. R. t. V³, p. 228, juncta const. "Licet alias" § 2, Alex. VII, B. R. t. VI⁵, p. 84: Hisce excom. addas suspensionem ab exercitio ordinis sacri durante apostasia suscepti, de qua supra p. 255.

4) A peccatis in Ordine reservatis, nempe a casibus Clementinis, sive ab aliis quae forte capitulum in vigore decr. "Sanctissimus" ejusdem Clem. VIII statuerit:

a) absolvunt Praelati jure ordinario, et juxta constitutiones.

b) dictam facultatem, ad tenorem decr. "Sanctissimus" § 3, superiores confessariis ordinariis communicare tenentur " quando casus occurrit in quo eam debere committi ipse in primis confessarius judicaverit." " Licebit tamen superioribus determinare poeni-

tentias graves.... a confessariis imponendas" ibid. § 5. Caute tamen procedant, ne ex ipsa natura poenitentiae impositae, poenitens, dum eam peragit, se manifestare cogatur.

c) Ampliavit decr. Clementis Urbanus VIII, vide Bull. R. t. V5, p. 255, ita ut si regularium confessario, casus reservati facultatem petenti, eam superior dare noluerit, possit nihilominus confessarius illa vice poenitentes regulares absolvere — Porro ex recepta ab omnibus doctrina, verbum illa vice non est intelligendum de unica vice durante munere confessarii, sed toties quoties illa species facti, ab Urbano contemplata, recurrit. Id tantum sedulo advertat confessarius hanc facultatem sibi factam esse unice quoad casus in ordine a superioribus vel a capitulo reservatos, minime vero quoad aliunde reservatos.

d) Cum verba Urbani: "si superior facultatem dare noluerit.. possit nihilominus illa vice"... nullam indicent exceptionem, nata est controversia, utrum aliquando demum superior facultatem possit denegare, ita ut confessarius illa vice absolvere nequeat.

Alii negant: 1°) quia verba se minui non patiuntur. 2°) quia juxta cit. § 3 ipse confessarius in primis judex est utrum facultas committi debeat necne, 3°) quia superiores possunt semper, si ita placuerit, taxare poenitentias quae delinquentibus a confessario imponantur, hoc autem videtur abunde sufficere, ut necessitati emergenti occurrere valeant, quin legem ecclesiasticam evertant. 4°) demum quia, juxta cit. decr. Clem. VIII, § 3, requiritur ut non deputentur confessarii nisi viri "docti atque prudentes", sic que timendum non est ne quando facultatem temere petant, aut, ea etiam adepta, remedia opportuna nesciant adhibere. Vide P. Piat t. I, p. 428; Pelliz. tract. 8, c. 2, n. 61.

Alii, nec pauci, affirmant superiorem posse vel etiam debere facultatem denegare quoties ipsius concessio in damnum poenitentis (habitudinarii), communitatis aut tertiae personae vergeret, nec aliter subveniri possit nisi rem superiori manifestando. Tunc enim si ipsum superiorem adire nollet, religiosus unicum medium ad damnum avertendum expediens ad-

hibere recusaret, sicque absolvi non posset, non tam ex defectu jurisdictionis in confessario, quam ex defectu dispositionis in ipso poenitente. Ita fere Ballerini t. II, n. 574 in not., Cfr. Suarez de Poenit. disp. 30, sect. 4, n. 9.

Fateor equidem poenitentem non rite dispositum absolvi non posse, verum in casu absolute duplici e causa absolvi non posset, e causa sua, et praeterea ex defectu jurisdictionis in confessario, quidquid dicant hi Auctores. Praeterea candide fateor, me nunquam potuisse perspicere, quo pacto haec denegatio facultatis possit esse unicum medium subveniendi. Si enim superiores officio suo in delectu confessarii non defuerunt, et praeterea facultate sibi facta a Clem. VIII uti velint, taxando paenitentiam seu remedium adhibendum, non video, cur aut quomodo personalis ulterior interventus possit esse admodum necessarius, ut legem transgredi valeant. Verum quia nemo mortalium omnes casus humanos praevidere possit, si quando, adhibitis reliquis mediis, demum denegatio facultatis esset unicum remedium ad grave periculum animarum avertendum subintraret profecto principium: suprema lex salus animarum, et tunc quidem libenter a priori sententia discederem.

e) In parvis domibus (4–6 relig.) ex mandato S. C. Ep. R. a Pio IX probato, 17 Aug. 1866, superiores omnino debent deputare habitualiter saltem unum confessarium ex religiosis proprii Ordinis qui facultatem habeat absolvendi a casibus et censuris in ordine reservatis." ap. Bizzar. p. 866.

5) A censuris in Ordine reservatis absolvit superior generalis, alicubi etiam Provincialis, sive jure ordinario, sive saltem delegato; imo forte vel ipse superior localis juxta varietatem constitutionum. Cfr. vgr Libellum: Censurae et praecepta etc.

Facultatem absolvendi a peccatis quibus censura in ordine adnexa est, superiores haud dubio confessariis communicare possunt, cum onere poenitentis sistendi se superiori, ut habet communis sent. Bellviz. l. c. n. 63; imo, argum. cap. de caetero 11, de sent. excom. V, 39, haec conditio de jure inest, quoties confessarius potestate

destitutus, nihilominus poenitentem ex sufficienti causa indirecte vel directe absolvit. Vide Suarez, de Poenit. disp. 30, sect. 5.

6) *A casibus et censuris R° Pontifici reservatis* quomodo Praelati et confessarii regulares suos absolvere valeant, sufficienter declaratum manet ex dictis supra, cap. XII, art. 2 § 6, quoad regularium potestatem absolvendi ab istis casibus saeculares: cum respectu suorum nulla alia facultate procedere valeant.

Sententia, olim ferme communis inter commentatores constitutionis "Apost. Sedis", docens: superiores regulares subditos suos a quibuscumque censuris Pontificiis posse absolvere, *utpote perpetuo impeditos* quominus Sedem Ap. adeant, post decretum S. Officii, 28 Jun. 1886, desperata est; negatur enim l.c. verbis expressis. Igitur sicut quoad saeculares, per facultates vicennales, si quas habeant, procedant oportet. Sane *etiam suos* in casibus urgentioribus, et cum poenitenti durum est in gravi peccato permanere, juxta tenorem decreti S. Off. cit. et subsequentis, 16 Jun. 1897, directe, sub poena reincidentiae post mensem, si interea, saltem per litteras, ad Sedem Apostolicam non recurrant, absolvere possunt.

Observa: a) Excommunicationibus latae sent. R° Pontifici *specialiter* reservatis quae in cit. const. "Ap. Sedis" exprimuntur, addas eam qua plectuntur α) Canonici admittentes Epum electum vel nominatum antequam litteras apostolicas ostenderit; β) ipse nominatus hoc modo se in administrationem immiscens; nec non γ) ei parentes, favorem, auxilium consiliumve praebentes, ex const. Pii IX "R. Pontifex", 28 Aug. 1873.

Observa: b) Excommunicatio in Missionarios, "etiam Societatis Jesu", mercaturam seu negotiationem *lucrativam* exercentes lata ab Urban. VIII, breve "Ex debito", 22 Febr. 1633, renovata a Clem. IX const. "sollicitudo", 17 Jun. 1669; a Bened. XIV const. "Apostolicae servitutis", 25 Febr. 1741, a Clem. XIII encycl. "Cum primum", 16 Sept. 1759 et litt. S. C. Prop. Fid. 4 Febr. 1860 — quae docum. habes in Coll. Prop. Fid. n. 333, 338, 340, 349 et in Bull. B. t. I, p. 14 — tametsi constitutioni "Ap. Sedis" inserta non fuit, firma manet, ut declaravit et per litteras circulares S. Officii notificavit Pius IX, 29 Mart.

1873, cit. Coll. Prop. n. 351.

Porro haec excommunicatio quidem reservata non est, ab ea tamen et similiter a poenis adnexis, ut ab amissione vocis etc., excepto articulo mortis nemo absolvere potest, quamdiu missionarius lucrum e negotiatione quaesitum non restituerit; sublata insuper superioribus facultate ex dictis lucris quantumvis minimum remittendi aut condonandi. Nemini pariter reservata est subsidiaria excommunicatio quam ipso facto incurrunt superiores locales, provinciales, generales qui delinquentes, saltem per amotionem illorum a loco delicti non puniverint.

Observa c) Ad suspensiones Sedi Ap. reservatas quae in const. "Ap. Sedis" enumerantur addas eam quae in decr. "Auctis admodum" § 4 et 5 indicatur, cum non modo ab alumnis Institutorum, verum et a regularibus aliquando incurri possit.

7) A casibus denum Episcopalibus — jure dioecesano ab Epis sibi reservatis, regulares absolvendi non sunt, cum iis vi exemptionis suae non subjaceant — jure communi Epis reservatis eos, juxta doctrinam supra cap. XII, art. 2 § 6 expositam, Praelati et legitimi confessarii absolvunt — A censuris autem quas Epus in regularem delinquentem legitime et ex causa in jure expressa tulerit, Praelati profecto subditum suum absolvere non possunt.

§ III. De potestate judiciaria (continuatur).

B) In foro externo.

Nemine dubitante, in unaquaque familia religiosa, etiam votorum mere simplicium, superior forum quoddam paternum habet in quo totius communitatis et uniuscujusque membri bono prospiciat, ut dictum est supra, ubi de objecto potestatis dominativae.

Quo omisso, nunc agimus de foro externo judiciali in quo Praelatus, non jam ut Pater, sed vi jurisdictionis, proprie ut judex procedit.

Judiciaria haec potestas adeo intime cohaeret cum potestate

legislativa, ut haec sine illa perinde ac corpus sine ossibus vacillet, vel potius jaceat. Quapropter in Ordinibus quorum Praelati leges ferre possunt et potestate quasi-Episcopali utuntur, ea profecto non deest. Vide Suarez de Relig. tract. VIII, lib. II, c. 9. Et vi decreti "Auctis admod." ipsis Institutis virorum aliqua communicatio hujus potestatis facta est quoad causam ejectionis.

Jam vero, utut potestas judiciaria per se ad causas civiles et criminales se extendat, de prioribus nihil dicendum est. Seclusa enim actione nullitatis contra professionem religiosam – quae caeteroquin specialissima procedura prosequenda est, eam habes supra p. 183–188 –, rarissime occurret causa civilis regularium coram propriis Praelatis urgenda.

Restringitur ergo tota quaestio ad potestatem judiciariam criminalem, et ad ejus legitimum exercitium. Unde:

1) Licet omne peccatum grave fidelium, eorum praecipue qui ultro statum perfectionis amplexi sunt, odiosum sit et castigatione dignum, haud tamen quodvis peccatum grave, etiam externum, judicii criminalis objectum fit, sed illa tantum quae in detrimentum societatis redundant et, hac de causa, crimina, vel delicta audiunt.

Hinc delictum definitur: Peccatum grave et externum, redundans in detrimentum publicum, ab Ecclesia notatum atque poenis canonicis in foro externo subjectum. Vide Thesaur. de Poen. eccl. Part. I, cap. 12.

Enumerantur haec delicta praecipue in lib. V Decretal. ut sunt a) delicta contra fidem: apostasia, haeresis; b) contra religionem: blasphemia, perjurium, sortilegium, sacrilegium, simonia; c) contra unitatem Ecclesiae: schisma; d) contra vitam: homicidium, duellum, abortus, percussio; e) contra bona fortunae: furtum, usura; f) contra fidem publicam: crimen falsi; g) contra honorem: injuriae; h) delicta carnis: adulterium, stuprum etc.; i) exercitium ordinis vetiti aut non percepti; j) violatio sigilli sacramentalis, sollicitatio ad turpia in confessione sacramentali, vel ejus praetextu, absolutio complicis; k) violatio voti castitatis

per matrimonii attentationem, etc. l) excessus in usu privilegiorum de quo alias, vide supra p. 298. — Enarrationem singulorum exhibent commentatores in lib. V, adeas v.g. R. P. Wernz, de jure criminali, t. 7-26, vel breviorem expositionem P. Pial, t. II, p. 496-582.

Ex his porro delictis,

2) Quaecumque circa causam fidei versantur, a jurisdictione omnimoda Praelati regularis subducuntur, S. Officio reservanda, et quidem cum tanto rigore, ut Praelatus, ausu temerario sese in hujusmodi causas intromittens, excommunicationem latae sent. Sedi Ap. reservatam ipso facto incurrat. Vide has causas supra enumeratas, p. 299, n. 10.

3) Delicta, quae religiosi extra claustrum degentes perpetrantur, spectant ad forum criminale Episcopi, supra p. 298, n. 8, quo pariter deduci possunt alii casus supra recensiti p. 297 & 298 n. 7; 300 n. 11.

4) Cum judiciaria haec potestas in Ordinibus religiosis, potiusquam ad vindictam publicam, ad delinquentis tendat emendationem, haecque, ut plurimum, extrajudicialiter, via administrativa, aut solis monitionibus et correctione paterna obtineri possit: quamdiu aliunde non cogitur judicis sustinere personam, praelatus regulariter primo hanc viam paternam tentabit. Imo quousque merae denunciationes evangelicae ad ipsum deferuntur, superior hac via paterna incedere tenetur; ratio est: quia discrimen essentiale inter denunciationem evangelicam et judicialem in eo praecipue habetur, quod prior, secus ac posterior, non ex justitiae vindicativae, sed ex charitatis motivo procedens, solam emendationem prosequitur delinquentis.

5) Verum, ut judicem agat potiusquam patrem, eum cogent: contumacia delinquentis; periculum aut damnum tertii quod foret in mora; saepe natura denunciationis judicialis quam declinare non poterit, aut infamia serpens.

Non vacat heic exponere variam proceduram cui adstrin-

gitur Praelatus judex, prout ex accusatione, denunciatione, vel, ut magis hodie in usu est, per specialem inquisitionem procedit; tenetur nempe si judicii solemnitates servare voluerit, regulis omni judici ecclesiastico in processu criminali impositis. Eas fuse exponunt Commentatores in tit. I, lib. V De accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus, adeas maxime Reiffenst. in tit. cit. § 8, n. 336 sq., Vide etiam P. Wernz cod. lith. de jure criminali, p. 59–157.

6) Sed ecce! non sola consuetudo, verum et expressus Principis assensus jam dudum induxit, ut regulares in suis judiciis criminalibus "de plano et absque judiciorum strepitu" – ut loquitur Greg. IX in cap. 26 de Accus. V, 1, et ante ipsum Conc. Lat. IV, tit. cit. cap. 24. Qualiter et quando in fin. – id est, non servatis omnibus solemnitatibus solo jure positivo injunctis, sed summarie procedere valeant.

Idque tenendum, non modo ubi agitur de delicto plene et perfecte notorio, Cfr. Bouix, de Judiciis, t. II, p. 294, nimis enim evidens est quemlibet judicem in perfecte notoriis posse procedere ut ajunt "non servato ordine judiciario", sed intelligenda est assertio de reliquis quibuscumque causis criminalibus. Solemnitatibus ergo quas enumerat Clem. V, c. 2. Saepe, de Verb. S. V, 11 in Clem. supersedere, proceduram abbreviare, seu summarie incedere possunt, servatis tantum substantialibus punctis, iis scilicet sine quibus vel ratio judicii deficeret.

7) Sedulo igitur Praelatus attendat ad haec substantialia, ne forte ejus judicium iniquum et irritum evadat. Porro quae in nullo unquam judicio omittere licet, traduntur in cap. 24. qualiter et quando, de Accusat. V. 1, et in cap. 2 Saepe, de V. S. V. 11 in Clem. semper videlicet requiritur ut:

a) Non procedatur contra aliquem qui non accusatus, denunciatus, aut infamatus fuerit.

b) Reus citetur, nec possit inauditus condemnari, nisi fuerit contumax.

c) admittantur probationes necessariae et defensiones legitimae,

d) testes non audiantur nisi sub juramento veritatis.

e) Reo communicentur capita ob quae contra eum proceditur, nec non testium dicta; eidem locus atque tempus concedatur ad defensionem, per se vel per alium, etiam ex officio qui nominetur, proponendam. —

Recensitae formae semper, etiam tunc sunt servandae, cum Praelatus ex commissione vg. S. C. Ep. R. in aliqua causa procedere jubetur "absque forma judicii et sola facti inspecta veritate". Quapropter D. Bouix superiores opportune monet, ne unquam processum summarium, qui verissime judicialis est et maneat oportet, confundere velint, cum forma extrajudiciali, imprimis cum suspensione ex informata conscientia, de qua paulo inferius t. II, p. 303 — Hujus summariae procedurae specimen tibi exhibet decr. "Auctus admod." § 8. legas etiam; Instructionem S. C. Ep. R., 11 Jun. 1880, "De modo quo oeconomice procedere debent curiae eccl. in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum, ap. Sanguineti, Juris eccl. institut. p. 541.

8) Ut judex reum condemnet, requiritur probatio delicti plena atque perfecta; ut eum absolvat, sufficit ut ejus culpabilitas non fuerit demonstrata, quo in casu sententiabit: ex deductis non constare. Quod si ex actibus processus accusati seu inquisiti innocentia eluceat, idipsum omnino in sententia judicis erit exprimendum.

Nonnunquam judex inquisito legitime deferet juramentum purgatorium. Casus verificatur cum subditus apud viros probos et graves diffamatus, vel graviter suspectus est, aliunde tamen testes desunt caeteraeque probationes deficiunt. Tunc id postulat honor ecclesiae cujus summe interest, ne criminis suspicio in ejus ministros vel religiosos cadat. Praestito juramento, inquisitus illico per sententiam innocens declaratur. De modo et effectu purgationis canonicae consule comment. in tit. 35, lib. V.

9) Reus semel convictus puniendus est illa poena quae pro qualitate talis delicti in Ordine stabilita est, sive per constitutiones, sive per litteras Apost. ad Ordinem spectantes:

"subjaceant, dicitur in cap. 1 Religiosi, de Privil. V. 7, in Clem., poenis illis quae secundum eorum regulam vel statuta pro gravibus criminibus seu culpis eis consueverunt imponi."

Ipsa haec quae taxatur poena, imponenda est "secundum qualitatem facti," c. 11 Sane, de Offic. Jud. deleg. I, 29; unde juxta delicti circumstantias judex poterit "interdum aliquid severitati detrahere" c. 11 Ex parte tua, de Transact. I. 36, minime vero, si judex supremus non sit, poenam taxatam exasperare. Cfr. Piat. t. II, p. 464.

"In his vero super quibus jus (hic poena) non invenitur expressum, procedas, aequitate servata, semper in humaniorem partem declinando secundum quod personas et causas, loca et tempora videris postulare." cit. cap. 11 de transact. in fine.

10) Poena quae a potestate jurisdictionis, ideoque publica, procedit, bonum pariter publicum intendit cujus interest ut subditi delinquentes emendentur, ut ordo violatus reparetur. Hinc, prout alterutrum finem immediatius prosequuntur, poenae ecclesiasticae dividuntur in medicinales et vindicativas.

a) Poenae medicinales natura sua spirituales sunt et dicuntur censurae: excommunicatio, suspensio, interdictum. Cum hae poenae irrogantur ad frangendam contumaciam, cujus perseverantia non ex judicis sed ex delinquentis voluntate pendet, ideo censurae, secus ac poenae vindicativae, non ad certum tempus infliguntur, sed absolute. Tolluntur porro absolutione, quae utique ex justitia debetur, cum delinquens a contumacia recesserit et congruam obtulerit satisfactionem. Cf. Piat, t. II. p. 598 sq. — Hinc tene: suspensionem, de qua saepe dubitatur utrum poena sit vel censura, naturam poenae induere, quoties cumque ad certum tempus, puta ad annum, infligitur, alias censura erit:

b) Poenae vindicativae corporales esse possunt, ut: flagellatio, incarceratio, vel spirituales ut privatio vocis activae, passivae; privatio dignitatum (praelaturae), officiorum (praedicatoris, lectoris, etc.); inhabilitas ad praedicta; imo de-

gradatio, ejectio ex Ordine quae, licet spirituales in radice, effectus seu sequelas etiam temporales secum trahunt. Infliguntur necessario ad certum tempus pro delicti gravitate. Ut ante tempus taxatum cessent, requiritur dispensatio a competente superiore ex justa et proportionata causa concedenda.

Ad poenas vindicativas prima fronte videntur referendae irregularitates quae sunt ex delicto, verum, ut paulo inferius dicetur, primo et per se impedimenti naturam retinent.

c) Poenae medicinales et vindicativae, vel statuuntur a lege ipsa vel arbitrio judicis decernuntur. A lege poenae statuuntur alterutro modo: nempe aut latae sententiae, aut ferendae sententiae: prius, quando lex ipsa, sine alterius interventu, seu ipsius juris ministerio declarat, delinquentem sola delicti commissione, seu ut ajunt, ipso facto incurrere talem poenam, puta inhabilitatio ad praelaturam; posterius quando lex indicat judici ad quamnam poenam delinquentem, sua sententia, condemnet — Arbitrio vero judicis tunc decernitur poena cum puniendа est transgressio legis nulla sanctione poenali determinatae munitae.

d) Poenae latae sententiae. α) vindicativae, licet dicantur incurri ipso facto, sine ulteriori declaratione etc. nihilominus, quoties inducunt positivas afflictiones vg. carceris, aut privationes juris jam quaesiti, ex benigna quam SS. Congreg. probarunt interpretatione, a delinquente non committuntur, quamdiu non intervenerit praevia judicis sententia declaratoria. Eadem benigna interpretatio, ut jam indicavi, adhiberi poterit etiam cum agitur de privatione juris nondum acquisiti, quotiens quis ne adeat jus oblatum (puta officium) deberet seipsum infamare. — Dicitur talis sententia declaratoria per oppositionem ad condemnatoriam, quia revera sententia sua judex non infert poenam, sed examinat et affirmat unice existentiam criminis quod ab ipsa lege tali poena vindicatur.

Unde nascitur effectus singularis et attendendus. Cum judex declarat existentiam criminis, illam affirmat utique inde a momento commissionis, declarat ergo exercite poenam a lege statutam cucurrisse et ipsam ab eo momento, sicque ejus sententia effectum habet retroactivum, ita ut actus delictum subsecuti sint invalidi, ideo fructus perceptos retinere non possit etc. Ob bonum publicum, actus jurisdictionis sustinentur ut validi pro toto tempore quo crimen mansit occultum communitati.

b) medicinales seu censurae, quae sint latae sententiae, incurruntur in foro interno ante omnem judicis sententiam etiam mere declaratoriam, in foro tamen externo excommunicatus non est vitandus antequam publice denuncietur. Item inhabilitates ex violata censura contractae effectum suum in foro interno consequuntur ante omnem judicis declarationem, etiam in foro externo si culpabilitas sit notoria.

c) Irregularitates quae sunt ex defectu nullatenus rationem poenae prae se ferunt, sed vera sunt impedimenta. Quae vero ex delicto proveniunt, licet in odium delicti sint constitutae, nihilominus primo et per se poenae non sunt, sed inhabilitates seu impedimenta. Proprio scilicet decori et integritati magistratus sui ut consulat, non vult Ecclesia, ut taliter delinquens ad ordinem superiorem promoveatur, vel in adepto permittatur ulterius ministrare. – Quapropter in istis universim, aut nulla requiritur judicis sententia, aut declaratoria tantum.

11) Juxta communem doctrinam, cap. 2. Saepe, de Privileg. V, 7, in Clem., innixam, judex sententiam in scriptis ferat oportet.

12) Postulat ipsa naturalis aequitas, ut regularis qui per sententiam iniquam laesus fuerit – vide 2 exempla ap. Bizzar. p. 270, 289; aut per imperitiam in prima instantia suam innocentiam non satis evincere noverit, ad superiorem judicem confugere non vetetur. Ideo neque lex ecclesiastica illi ex-

toto hoc effugium praecludit, varios tamen in hac materia appellationis distingue casus.

a) A superiorum correctionibus, monitionibus, praeceptis paternis etc., quoscumque scilicet in puniendo potestate utuntur dominativa, nulla omnino datur appellatio ad Superiorem majorem, ut per se patet, cum omnis appellatio sit a sententia vel actu gravante judicis; sed nequidem ius per se recursus (intellige querelam, supplicationem etc.). Quod si forte per accidens, nempe ob manifestam, ut ita dicam persecutionem locus esset simplici recursui, nihilominus: α) interim humiliter parendum est et β) sedulo attendendum ad quem superiorem confugere liceat.

Quoad α) habes decret. Bened. XIV, 6 Jul. 1754 "In audientia SSmi Sanctitas sua, plaudentibus omnibus Religionum superioribus, mandavit quod in recursibus regularium adversus obedientiam suorum superiorum semper rescribatur: pareant et deinde recurrant, ad formam cap. 26 Reprehensibilis, de Appellat. II, 28" ne religiosi cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem Praelati sui et capituli disciplinam appellare praesumant, sed humiliter et devote suscipiant quod pro salute sua fuerit eisdem injunctum, et iterum expresse, eod. tit. c. 3." Nonne jam Conc. Trid. XXII de ref. c. 1, generale posuerat principium "nec appellatio executionem hanc, quae ad morum correctionem pertinet, suspendat."

Quoad β) consulat quisque praesertim proprias constitutiones, sic v.g. ex brevi "Plura inter" § 2 in med. 11 Jul. 1826, ap. Verm. t. II, p. 584 in Soc. Jesu "ab animadversione e societatis legum praescripto irrogata, nefas est extra societatem provocare."

b) Regularis a sententia sui Praelati ad tribunalia civilia, aut etiam ecclesiastica, quibus non subditur, appellans, incurrit juxta communem DD. sent. excommunicationem S. Pontifici (in priori casu, vi const. Ap. Sedis § 1, n. 7 cogentes... speciali modo) reservatam, necnon privationem officiorum et inhabilitatem ad ea et privationem vocis activae et passivae. Vide Ferrar. V. Appellatio, art. 3. n. 24.

c) Ab injusta superioris sententia nullibi negatur religioso recursus ad altiorem Praelatum legitimum, ut fuse exponit Suarez de Relig. tract. VIII, lib. 2, c. 11, n. 6 et 7: sic enim nam suspenditur immediati superioris jurisdictio, nec ipse a sententiae executione praepeditur. Hinc in omnibus Ordinibus, quicumque injusta sententia gravatur, licite et legitime secundum modernam consuetudinem, ad S.C. Ep. Rr per simplicem recursum confugere potest.

d) Demum formali appellatione, quae scilicet effectum suspensivum secum trahat, licite utetur religiosus, cum sententia immediati superioris in materia gravi, maxime in irreparabili, injuriam irrogat manifestam. Cfr. decr. "Auctis adm." § 3.

Scholion. – De suspensione ex informata conscientia.

Antiquissima est, quam eis expresse asseruit Lucius III (1181-1185), Praelatorum regularium praerogativa, ut subditorum, quorum "commissa secreta noverint", promotionem ad sacros ordines extrajudicialiter, mera prohibitione, peremptorie valeant impedire, c. 5. ad Aures, de temp. Ordin. I, 11.

Singularem hanc Regularium facultatem, ut liberius corruptos mores emendare possent, Conc. Trid. sess. XIV de ref. c. 1. Epis communicavit, et quidem cum ampliatione duplici: nempe ut: a) non tantum ob occultum delictum, sed etiam quacumque de causa, subditos ab ordinibus suscipiendis arcere possint. b) Ut praeterea ob occultum crimen, cujus existentiam quomodolibet, etiam extrajudicialiter, certo noverint, clericum delinquentem ab ordinis suscepti exercitio, item ab officio, dignitate, gradu suspendere valeant.

Hinc, tum quia Trid., cit. cap., duplicem hanc potestatem facit Praelatis universim, tum quia generatim in similibus materiis Praelati regulares id possint respectu suorum, quod Epi respectu fidelium et clericorum suae dioeceseos, fatendum est utramque hanc Tridentinam ampliationem

transiisse jam ad Praelatos reg. Idque S.C. Ep. R. etiam expresse agnovit. Vide Bizzar. p. 24, 753.

Exercitium prioris facultatis – arcendi scilicet subditos ab accessu ad ordines quacumque de causa – nullam parit difficultatem. Quoad usum vero posterioris – nempe suspendendi aliquem ab ordine jam suscepto, ab officio etc – observent Praelati:

1) Eam esse, ut loquitur S.C. Prop. Fid. in sua Instruct. an. 1884, n. 13, Coll. Prop. Fid. n. 1009, remedium omnino extraordinarium, ad quod igitur recurrendum non est, quamdiu alia praesto sunt.

2) Eam esse extrajudicialem quapropter Praelatus ne ad formalitates quidem processus mere summarii adstringitur. Verum, ut juste procedat, ipsi de crimine certo constet oportet. Ut insuper licite suspensionem ferat, ita de crimine sibi constare debet, ut in casu recursus, etiam S.C. probationes, quae fidem plenam faciant, exhibere valeat, secus enim ejus sententia non sustineretur. Porro, ut recte monet P. Wernz, de Jure Crim. p. 186, "Praelatus ecclesiasticus perperam agit, qui infligit poenam adeo gravem per sententiam certo rescissioni obnoxiam". Unde, si ex usu recepto, imo in documentis Pontificiis. Cfr. Bull. "Auctorem fidei", n. 49, 50. ap. Denz. n. 1412 sq. haec suspensio ferri dicitur "ex informata conscientia", non ideo excluduntur concludentes, sed tantum non exiguntur stricte judiciales probationes.

3) Suspensionem hanc Praelatus ferre nequit in casu criminis publici, sed unice ob crimen, hic et nunc saltem, occultum, ut invicte probavit b. m. magister meus Fr. Santi, lib. V, tit. 1, n. 15-18.

Observa tamen, terminum crimen occultum, in praesenti materia, juxta DD. et SS. C., sensu quodam latiori usurpari: ita ut eo, non modo veniat crimen quod in foro externo probari nequit, sed et illud omne quod legitimis quidem probationibus demonstrari potest, sed ipsa hac demonstratione majus fidelium

scandalum, vel clerici delinquentis progigneret detrimentum.

4) Extraordinaria hac et extrajudiciali via, Praelatus tantum suspensionem ab ordine, ab officio etc., et nullam prorsus aliam poenam ferre potest, ut vgr excommunicationem, carcerem etc.

5) Suspensio ipsa non potest ferri nisi ad determinatum tempus; infligitur enim per modum poenae et non, censurae. Quod si, in casu extraordinario, Praelatus censuerit eam imponere non ad determinatum tempus, sed ad beneplacitum suum, tunc ipsa nihilominus habetur pro temporanea, adeoque cessabit cum jurisdictione Ordinarii suspensionem infligentis, ut declaratur in cit. Instruct. S.C. Prop. fid. n. 5.

6) Porro suspensus ob crimen occultum, qui sententiam spernens in ordine ministraret, eo ipso, fieret irregularis, licet forte videret crimen sibi falso impositum et propterea, utens jure suo, recursum ad sedem Ap. instituerit. Ratio est, quia talis recursus nullum unquam sortitur effectum suspensivum. Cfr. cit. Instr. n. 11 et 12.

7) Demum recolenda est decisio S.C. Ep. R., 2 Mart. 1866, in una Ord. Praed. qua, respectu suspensionis ab audiendis saecularium confessionibus, ex informata conscientia, a Praelato regulari inflictae, statuuntur duo:

a) Eam valere, licet non in scriptis prolatam, cum feratur per modum praecepti particularis. b) Regularem taliter suspensum illicite quidem agere, valide tamen absolvere saeculares ob potestatem ab Epo acceptam, quae suspensione a superiore inflicta, non deminuitur.

8) Supervacaneum videtur, ut addam, superiores Congregationum non exemptarum, quippe qui Praelati non sunt, subditos minime posse ex informata conscientia suspendere.

Lege Bouix, de Judiciis t. II, p. 310-365; Bened. XIV de Syn. lib. XII, c. 8, n. 1-6; inprimis R. P. Wernz qui solide de hac materia disserit in cod. lith. de jure criminali, p. 131-155.

Art. IV. De Superiorum obligationibus.

§1. In genere.

Cum superiores Regularium veri nominis Pastores sint eorum generaliores obligationes huc recidunt:

1) Ut unionem, quoad eorum fieri potest, maximam in Ordine vel communitate foveant. Tum quia ipsa est sanitas corporis socialis, sine qua omnis vita, omnis labor communis languescit: tum maxime, quia universa haec vita religiosa aspirat ad perfectionem, idest, ad plenitudinem charitatis; qui autem non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere. I Joan. IV. 20. Urgeant ergo superiores strenue executionem mandati quod habemus a Deo: ut qui diligit Deum diligat et fratrem: in seminatores discordiarum et in falsos delatores exemplum faciant; vitam communem, quoad fieri potest, ab omnibus exigant; infirmos paterno amore complectantur, hisce enim praesidiis virescit fraterna charitas.

2) Ut fundatorum spiritus tenaces, omnes subditos ad christianam promoveant perfectionem, et quidem non mere generali quacumque ratione, sed ad eam peculiarem rationem perfectionis quae Ordini tamquam finis proprius praefixa est. Cum autem ad hunc peculiarem gradum perfectionis plenius et citius consequendum, Sti fundatores statuerunt regulas et constitutiones ab Ecclesia probatas, tamquam media sine quibus ad finem non pervenitur, superiores praecipuam curam in urgenda executione harum legum collocent oportet. Hinc:

3) In articulis constitutionum, quae forte sub gravi obligent, absque proportionata causa, quin graviter peccent, dispensare nequeunt. Imo vel in levioribus, ita passim nequeunt, ut inde disciplina generalis relaxetur.

4) Et quia exempla trahunt, ipsi communitati suae in regulari observantia praefulgeant et qui incrementum dat Deum,

orationibus atque sancto sacrificio pro suis oblato, sibi propitientur.

5) Superior, vitae et regulari conversationi subditorum invigilare, eosque, si opus fuerit, tamquam Pater corrigere et emendare tenetur. Imo, si casus tulerit, ut Judex eos inquirere et pro natura delicti punire.

§II. In specie tenentur.

1. Quoad fidei professionem — Infra primum bimestre ab adepta praelatura emittere publicam fidei professionem. Formulam ad validitatem actus hodie requisitam, S. C. Ep. R., 21 Jul. 1578, ap. Bizz. p. 213, et S. C. C., 20 Jan. 1877, exhibet Denz. n. 863.

Fundamentum hujus obligationis habetur in Const. Pii IV, "Injunctum nobis", 9 Dec. 1564, Bull. R. IV², cujus tenore extenditur ad Praelatos regulares, obligatio a Trid. sess. XXIV de ref. c. 12, beneficialis quibus incumbit cura animarum injuncta. "Volentes per quoscumque.... quibus de monasteriis, conventibus, domibus...... quorumcumque Ordinum... quocumque nomine vel titulo providebitur, idem servari."

Verum, ut jam observat Ectonus, Controvers. lib. IV, controv. IX, c. 2, n. 64, haec bulla aut recepta non est, aut in desuetudinem abiit; sed rectius monet Giraldi, Exposit. Jur. Pont. Parte II, sect. 136, "non est recepta quoad illos Praelatos qui Regularium regimini praeficiuntur a capitulis, seu a suis superibus, non a S. Sede."

Ex ejusdem Pontificis constitutione "In sacrosancta" § 5, 13 Nov. 1564, Bull. R. t. cit. p. 201, prohibentur Superiores, Rectores etc. aliquem ad gradum promovere, aut ad officium lectoris admittere, quin eamdem ab ipso fidei professionem exigant. Et licet, post const. "Apost. Sedis", contrafacientes jam non incurrant excommunicationem latae sent., minime tamen effugient caeteras poenas, juxta cit. § 5, ipso facto incurrendas;

videlicet: privationem dignitatis... officii, inhabilitatem ad illa, vel alia, in posterum obtinendi.

Ubi observa: Citata const. comprehendebat quoscumque magistros, etiam gymnasiorum, etiam lectores facultatis medicinae etc.; verum usus generalis hodie obligationem reducit ad magistros vel lectores philosophilosophiae et S. theologiae, uti et apud nos, singulis annis, in instauratione scholarum sancte servatur.

II. Quoad visitationem. "Cum praecepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, "oves suas agnoscere", Jo. X, 14, ut loquitur Conc. Trid. sess. XXIII, de ref. c. 1, ideo Patres Trid., hujus praecepti exsecutionem urgentes, voluerunt, ut "Abbates qui sunt ordinum capita, ac caeteri Ordinum superiores Epis non subjecti .. sibi subdita monasteria et prioratus... ex officio visitent", sess. XXV de reg. c. 20, et quidem, ut habet ejusd. sess. cap. 8, "teneatur... frequenter visitare". Usus autem ferme communis hanc frequentiam ita interpretatus est, ut sufficiat singulis annis ex officio visitationem peragere, quamdiu nec ordinis constitutiones, nec casus extraordinario modo emergentes aliud postulaverint. Porro:

1) Visitatio ordinaria et generalis — de qua hic agitur — est inquisitio generalis de vita et moribus regularium alicujus monasterii; de statu monasterii quoad regularem disciplinam et observantiam, imo et quoad rem oeconomicam, ut superior, pro suo munere, gliscentes forte abusus, vel excessus, resecare, conversationem vero religiosam fovere, imo et augere valeat. Cfr. imprimis Reiffenst. lib. V, tit. 1, n. 271 sq.

2) Praelatus ordinariam instituens visitationem omnino ut Pater, minime ut Judex procedit. Cfr. l. c. n. 285. Quapropter ex unanimi DD. sent. superior, in casu, neminem judicialiter punire potest ob delictum per solam visitationem ordinariam cognitum. Intervenit scilicet sola potestas dominativa non autem jurisdictionalis.

Id tamen, omnium consensu, recte evenire poterit poterit, ut Superiori, ex iis quae per visitationem deprehenderit, officium incumbat specialem et judicialem inquisitionem instituendi; puta si perspexerit Titium ob delictum jam esse infamatum, et in consimilibus casibus quos enumerat et exponit Reiffenst. l. cit. n. 304-313.

3) Durante hac visitatione paterna, subditi, maxime si interrogati fuerint, Praelato visitatori omnes excessus et transgressiones, omnia fratrum delicta aperire tenentur, tam occulta quam publica, quae in damnum disciplinae, communitatis, tertiae personae, vel ipsius delinquentis vergunt.

4) Quoad reliqua, vg. quoties visitatio a Provinciali sit instituenda, utrum eam possit per delegatum, vel potius per se tantum absolvere etc, adeat quisque proprii Ordinis constitutiones.

5) Instituta dioecesana visitat Epus pleno jure c. "Conditae" cap. 1. n. 10; Instituta Juris Pontificii, pro eorum varietate, Epus visitat cum pleniori vel restrictiori jure, prout accurate circumscribitur ejus potestas, cit. const. cap. 2. n. 11. — Ipse vero Superior (superiorissa) generalis, juxta Normas, totum Institutum sive per se, sive per delegatum, singulis trienniis, vel etiam pluries, si opus fuerit, visitabit. n. 255, cfr etiam n. 256-257. Cum quo cohaeret obligatio mittendi quovis triennio relationem ad S. C. Ep. R. de statu disciplinari, materiali, personali et oeconomico totius Instituti, cui relationi Ordinarius domus principalis, nomen suum apponendo, fidem faciat. Vide instructionem S. C. Ep. Reg. 16 Jul. 1906, Anal. eccl. 1906, p. 340.

III. Quoad documenta legenda. Sub gravi tenentur locales superiores procurare ut Constitutiones et decreta Apost. a Regularibus in publica mensa legenda, statutis temporibus reapse legantur.

Non tamen opus est ut dicta decreta in extenso legantur: sufficit enim ea legisse abbreviata, eo tenore quo exhi-

bentur in opere: "Compendium Aplicar. Const. et Decret." a S.C. sup. et Reg. approbato, die 26 Aug. 1826. Cfr. Biot. t. 1, p. 600.

Tempus quo legantur oportet, ut plurimum in ipsis documentis definitur, nisi quod S.C.E.R., paulatim aliquid de antiquo rigore remittens, majorem fecit superioribus libertatem. Idcoque hodie in sequentem modum legenda sunt.

1) Die 1º Januarii, decretum S.C. sup. et Reg., 25 Jan. 1848, incipiens "Rᵐⁱ Pontifices", de testimonialibus ordinariorum literis requirendis ante receptionem novitiorum. ap. Bizz. p. 331.

2) Eadem mense Januario, decretum Clem. VIII, de largitione munerum, 19 Jan. 1594, una cum ejus declaratione ab Urb. VIII edita "Nuper a Congr.", 16 Oct. 1640.

3) Mense Martio, decretum "Licet alias" S.R.U.I. latum coram Alex. VII, 8 Jul. 1666, de obligatione denuntiandi, cum aliis decretis ad S. Officium pertinentibus, juxta decr. Urb. VIII, 15 Dec. 1633.

4) Intra octavam festivitatis Corporis Christi, in singulis domibus religiosis utriusque sexus, lingua vernacula in communi legendum est decr. "Sacra Trid. Synodus" S.C.C. a Pio X, 20 Dec. 1905, promulgatum, de frequenti et quotidiana SS. Eucharistiae sumptione.

5) Feria VI. post octavam Corporis Christi et iterum feria II post Dom. 1 adventus, vel saltem per mensem hos dies insequentem, decreta de celebratione missarum cum subsequentibus declarationibus, prout in const. Innoc. XII "Nuper", 23 Dec. 1697, habentur.

6) Feria VI post assumptionem B.M.V., decr. S.R.U.I. diei 5 Aug. 1745, a Bened. XIV confirmatum, contra sacerdotes sollicitantes ad turpia, vel sacrificio Missae abutentes ad sortilegia. Insuper, ut in fine hujus decreti eis intimatur, superiores "in quocumque generali vel provinciali capitulo suos subditos de hoc decreto, et aliis in eo commemoratis commonendos curent."

7) Bis in anno, absque speciali temporis designatione decr. S.C.C. a Clem. VIII promulgatum, 20 Mart. 1601, pro reformatione

Regularium; item, decr. ejusdem S. C. C. coram Urb. VIII editum, de Regularibus apostatis et ejectis, 21 Sept. 1624, una cum declaratione hujus decreti quae incipit "Instantibus Procuratoribus" jussu Innoc. XII, 24 Jul. 1694 edita.

8) In Italia et insulis adjacentibus, praeterea alia legenda sunt, maxime die 1 Januarii et dominica prima Julii decretum "Regulari disciplinae", jussu Pii IX editum, 25 Jan. 1848, de receptione noviliorum ad habitum et professionem, ap. Bizz. p. 832.

9) In monasteriis monialium, in domibus cujuscumque Instituti sororum, pariter in Institutis virorum laicalibus, semel in anno, legendum est decr. S. C. Ep. R. "Quemadmodum", 17 Dec. 1890.

Poenae, quas ipso facto incurrant superiores locales hac in re graviter negligentes, enunciantur in respectivis decretis.

Omittentes lectionem: 1ⁱ aut 2ⁱ decreti incurrunt poenam privationis officii, vocisque activae et passivae, non reservatam; 5ⁱ decreti, eamdem poenam sed Ap. Sedi reservatam; 3ⁱⁱ decreti, recensitam poenam et insuper inhabilitatem perpetuam ad officia, praelaturam, utramque sedi Ap. reservatam. Contra omittentes decr. 4, 6, 7, 9 nulla poena edicitur.

Quod si ob authenticum privilegium, Ordo quidam exemptus maneat a dispositionibus alicujus decreti, v.gr. primi, circa literas testimoniales, cfr supra p. 141, n. 5, superiores locales manifeste eximuntur ab obligatione legendi hujusmodi decretum.

Quaeres: Utrum diuturnus non usus monasterii autonomi, aut totius Provinciae in Ordinibus, superiores ab onere procurandi dictam publicam lectionem liberare valeat.

Resp. Affirmat quidem P. Verm. t. I, n. 444, p. 265. Verum argumenta quae profert leviora sunt quam ut rem evincant. Obstant praeterea rationes positivae.

Et sane, licet consuetudinis in jure ecclesiastico "non sit

vilis auctoritas", ut eam tamen exserat, rationabilis sit oportet. Porro ipso jure, denegatur haec praerogativa omni consuetudini qua "disrumperetur nervus ecclesiasticae disciplinae", cap. 5 de consuet. I, 4, quae scilicet, ut exponunt DD., impediret ipsam potestatem legislativam, fontem disciplinae. Talis autem non usus directe impedit iteratam legis publicationem a legislatore intentam et praescriptam. Ergo.

Insuper cum in jure nostro consuetudo vim legis obtineat, in Ecclesia vero, excluso elemento democratico, potestas legislativa resideat in Principe, hujus consensus, saltem legalis, omnino requiritur ut consuetudo naturam legis induere valeat. Sed in casu nostro, iste consensus gratis supponeretur, cum ipse legislator talem non usum vel praetensam consuetudinem damnat et irritat. Cfr vgr. decr. Urb. VIII "nuper", et hodiedum urget executionem mandati: sufficiat indicasse monitionem S. Off., die 15 Maji 1901, omnibus Ordinibus communicatam. Vide, si placeat, etiam quae affert pro Italia G. Piat, t. I, p. 600, excerpt. S.C. s. et Reg. diei 15 Sept. 1856.

IV. Circa missarum celebrationem. — Ut clariori modo enuncientur obligationes Praelatorum regularium, dicendum ex ordine de oneribus missarum perpetuis, dein de missis manualibus.

A) Quoad onera missarum perpetua.

1) Perpetua missarum onera a Regularibus suscipi nequeunt sine Generalis vel Provincialis licentia in scriptis concedenda. Const. Innoc. XII "nuper a Congreg." § 5, 23 Dec. 1697, ap. Richt. p. 141, ap. Verm. t. II, p. 557.

2) Hanc licentiam Generalis aut Provincialis concedere nequit, nisi perspexerit conventus sacerdotes, tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam susceptis, satisfacere posse. cit. Const. § 8.

3) Facultas reducendi onera missarum, Generalibus a Conc. Trid. sess. XXIV de ref. c. 4 concessa, non se extendit ad onera post conc. Trid., aut in limine fundationis imposita. Pro his

omnibus reducendis, commutandis etc., sub poena nullitatis, recurrendum est ad S. Sedem. cit. Const. § 3; cfr. S. C. C. 1597, ap. Richt. p. 139, n. 77, 78.

S. C. C. saepissime declaravit, vide Richt. p. 140, n. 85, indultum a Sede Ap. forte concessum pro moderandis missarum oneribus, nunquam suffragari quoad onera per contractum suscepta. Quapropter omnis reductio, vi cujuscumque indulti in tali casu peracta, eo ipso nulla foret.

Aliunde nec ipsa S. C. licet rogata, hujusmodi onera reducit, ut exponit Bened. XIV de Syn. lib. XIII, c. ult. n. 25 et 26; sed potius remittit partes ad judices suos qui, ut docet cit. auct. n. 26 in fine, investigabunt "an talis sit, quae obvenit redituum imminutio, ut juxta recepti juris regulas, sufficiat ad rescindendum contractum, vel saltem ad eumdem ad justi et aequi normam redigendum." Judex ergo proprie dictum judicium instituet, ut exponit, ad quem remittit Bened. XIV, Monacelli t. 4 form. leg. p. 83, n. 466. Porro cum fundationes ex contractu apud regulares constitutae, ut plurimum, a laicis vel clericis saecularibus provenire soleant, et aliunde "auctor sequitur forum rei", nil mirum, si in istis causis, regulares ab Episcopo judice pendeant.

4) Gravissimo praecepto tenentur procurare accuratam celebrationem tot missarum quot fuerint susceptae, quantumcumque incongrua fuerit eleemosyna ab eis acceptata, cit. Const. § 4, et 15 ad 2. — Revocata et extincta sunt in futurum omnia indulta Regularibus cujuscumque Ordinis concessa, vi quorum poterant, certis anniversariis, plurium missarum oneribus satisfacere. § 4 et 15 ad 6.

5) Tenentur conficere, et in loco magis patenti et obvio exponere, tabellam onerum perpetuorum et temporalium (quae scilicet ipsi conventui, qua tali, incumbunt); et si inter breve tempus (infra mensem, sed attendas hodie ad disposit. decreti „Ut debita" de quo infra) ulteriores missas celebrare non possint, idipsum in eadem tabella similiter

exprimant. § 19.

Habeant pariter in sacrario librum in quo diligenter onerum adimplementa notentur. Ab iis autem quibus haec cura demandatur, superiores, singulis annis, districtam rationem exigant.

6) Pecunias et bona mobilia, quae Societati, Conventui etc. obveniunt cum onere perpetuo missarum celebrandarum, tenentur, sub poena interdict. ab ingressu ecclesiae, statim penes aedem sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam deponere, ad effectum, illa, seu illorum pretium, quorum primum investiendi in imm... et fr... cum ... et individua mentione oneris quod illis adnexum reperitur. Quod utrumque denuo observandum erit, si forte contingat, bona taliter investita, ex auctoritate Apostolica alienari. § 7.

Ubi non immerito observabis: ob necessariam prudentiam, imo et ob mutatum statum oeconomicum, investimenta hodie aliter, modo tamen securo, tute fieri, ut egregie docet P. Wernz, t. III, n. 153, "superior lex omnibus attentis circumstantiis est ipsa conservatio bonorum ecclesiasticorum et legitima, sufficientium redituum perceptio."

7) Fundationes semel constitutae, i. e. bona cum correspondenti onere celebrandi missas, ab una ad aliam ecclesiam transferri nequeunt sine venia Sedis Ap., ratio legis videtur, quia species alienationis haberetur.

8) Sub peccato et gravissimis poenis tenentur Ordinarii (in casu: superiores locales, Provinciales, generales) in visitatione et extra illam, quoties opportunum judicaverint, inquirere, utrum onera suscepta accurate adimpleantur, nec non horum decretorum executionem procurare.

9) Superiores locales, in congregatione provinciali attestationem ab omnibus conventus sacerdotibus subscriptam et juratam afferant, quod omnibus et singulis, tum perpetuis tum manualibus missarum oneribus fuerit integraliter satisfactum, vel saltem intra breve tempus (olim infra mensem, hodie ad normam n. 2. decreti " Ut de-

bita de quo statim) moraliter posse satisfieri. § 26. Cfr. causam Cleric. Passion. D. N. J. Chr., 16 Dec. 1893, Anal. eccl., 1894, p. 111.

10) Provinciales, in fine regiminis, tenentur generali in forma probante ostendere quod executionem horum decretorum sedulo procuraverint. § 27.

11) Superioribus quibuscumque prorsus adimitur quaecumque facultas, haec decreta interpretandi, poenas commissas relaxandi, vel ab his praeceptis dispensandi. § 29.

12) Poenae in contrafacientes. — Praeter peccatum mortale, ubi gravitas materiae intercesserit, incurrunt sequentes poenas:

a) Admittentes onera perpetua sine Provincialis vel generalis licentia incurrunt, ipso facto, poenam privationis vocis activae et passivae, officiorum, et inhabilitatis ad ea. § 7 — Poena Sedi Ap. reservata.

b) Superiores locales qui non procurant bis in anno — vide supra, hoc ipso act. n. III, 5. — hujus constitutionis "Nuper" publicam lectionem, incurrunt, ipso facto, poenam privationis vocis activae et passivae et praeterea officii sui. § 23 — Poena Sedi Ap. reservata.

c) Superiores quicumque, locales, Provinciales, Generales in urgenda horum decretorum executione graviter negligentes, incurrunt poenas privationis vocis activae et passivae, officiorum, et inhabilitationis ad ea. § 25.

d) Ipso facto, poenam privationis vocis activae et passivae, officiorum et inhabilitatis perpetuae ad ea incurrunt superiores admittentes novas eleemosynas manuales, antequam aliis oneribus satisfecerint, aut brevi tempore satisfacere valeant. § 7 — Poena Sedi Ap. reservata.

e) easdem poenas, ipso facto, et simili modo reservatas, incurrunt superiores qui non procuraverint praescriptam tabellam, librum inscriptionum, aut qui rationes ab eis, quibus haec cura demandata fuit, non exegerint. § 22.

f) Superiores locales in congregatione provinciali, Pro-

vinciales in capitulo generali, nullam vocem activam aut passivam habent, antequam attestationem, seu probationem, de quibus modo sub n. 9, 10, exhibuerint.

B) Quoad missas manuales.

Attendant regularium superiores ad cit. Const. "Nuper", sed praeterea ad recentiora decreta S. C. C.: nempe ad decr. "Vigilanti", 25 Maji 1893, Anal. eccl., 1893, p. 270; ad decr. "Ut debita", 11 Maji 1904, op. cit. 1904, p. 202, ejusque complementum, 22 Maji 1907, op. cit. 1907, p. 248.

1) Missae manuales eae intelliguntur quarum eleemosynas fideles, sive brevi manu, sive etiam per testamentum tradunt, dummodo perpetuam fundationem non constituant, vel tam diuturnam ut tamquam perpetua haberi debeat. Manuales pariter dicuntur missae quae forte privatae alicujus familiae patrimonium gravant, quibus tamen ubique et a quolibet sacerdote, patrisfamilias arbitrio, satisfieri potest. Decr. "ut debita" prooem.

2) Ad instar manualium (terminus novus) habentur a) quae in aliqua ecclesia constitutae, vel beneficiis adnexae, in illa ecclesia aut a proprio beneficiario applicari jam non possunt, et ideo aliis sacerdotibus tradi debent, ut iis satisfiat. l. cit. b) quae ex onere perpetuo inhaerent ecclesiae, monasterio, confraternitatibus, locis piis, verbo quae gravant patrimonium aliquod ecclesiasticum, nec tamen in aliqua ecclesia constitutae sunt, ideoque a quolibet sacerdote, pro administratorum arbitrio, ubivis applicari possunt. S. C. C. in Aliphan. ad 1, 19 Dec. 1904. Annal. eccl. 1905 p. 76.

3) Sub gravissima poena privationis et inhabilitationis (supra, litt. d.) regulares et eorum superiores prohibentur novas eleemosynas manuales accipere, nisi jam acceptis satisfecerint, aut intra breve tempus satisfacere valeant. const. "Nuper" § 7. 19. — Consonat quoad prohibitionem decr. "ut deb." n. 1.

4) Porro illud brevi tempus S.C.C. multoties declaravit fore "unius mensis" Cfr. Richt. p. 141, n. 90. Et contra decr. "Ut debita", cui hodie tute stabis, tempus utile ad satisfaciendum eleemosynis missarum paulo aliter determinavit et duobus limitibus circumscripsit extremis.

a) Pro ratione quantitatis missarum ab una eademque persona oblatarum, tempus utile computatur juxta sequentem proportionem: Datur mensis pro una missa, semestre pro 100, n. 2. Igitur duo semestria sive annus erit tempus utile ad satisfaciendum 200 stipendiis ex eadem manu obvenientibus, trimestre pro 50 etc. — Fallit tamen haec regula, quotiescumque acceptaveris stipendium, cujus auctor brevius tempus ad satisfaciendum definivit. Offerentis quippe aut voluntas perficienda aut stipendium recusandum. — sub peccato mortali, posita sane gravitate materiae. n. 4.

b) Ne quis vero cupide stipendia coacervet, statuitur n. 3: Nemini licet tot missas assumere quibus, intra annum a die susceptae obligationis, ipse (Praelatus per se et per subditos sibi sacerdotes, n. 1) probabiliter satisfacere nequeat. Excipitur semper casus quo ipse stipendii auctor longius tempus concedat, sive verbis expressis, sive actu exercito, puta offerendo majorem numerum quam quis infra annum applicare tenetur. — Sub gravi.

Observa: Peculiarem quandoque difficultatem gignunt missae quas in aliqua solemnitate, aut eadem die in peregrinationis loco fideles catervatim offerunt. — Attamen norma agendi perspicua est. Non licet hujusmodi oblationes cumulative accipere, ratione diei qua obvenerunt: v.gr. hodie oblatae sunt 100, ergo ad satisfaciendum currit semestre utile; sed applicanda est omnino regula communis: quae individualiter offeruntur intra mensem sunt applicandae; nisi fideles, de impossibilitate satisfaciendi tempore congruo, legitime et sufficienter praemoniti, in voluntate offerendi perseverent. Const. "Nuper" 3 15 ad 15, S.C.C. in Leopolim. ad 2,

27 Febr. 1905. Anal. eccl. 1905, p. 124.

5) De transmissione missarum.

a) Missae fundatae, aut alicui beneficio adnexae, quae revoluto anno naturali, intra quem celebrari debuissent, nondum applicatae fuerint, statim proprio Ordinario (apud regulares, Praelato) tradendae sunt. — Item, missae manuales quae supersunt, post annum a die suscepti oneris. — Utrumque sub gravi.

Ne tamen n. 2 et 3 decr. "Ut deb." contradicas, ultima haec praescriptio caute intelligenda est de missis manualibus quas, magno numero ab eadem persona oblatas, tunc quidem, cum probabili judicio de futura solutione infra annum, jure accepisti, quae tamen nunc, revoluto anno, ob impraevisa quae supervenerunt impedimenta, nondum applicatae fuerunt. — Et sane, pro missis parvo numero oblatis, tempus utile tibi nequaquam currit per solidum annum, ita ut eas, usque ad ejus finem servare possis, et si supersint transmittas. Hac obligatione jam pridem sub gravi tenebaris. — Neque ad annum remittere poteris applicationem, respective transmissionem, earum quae, ex voluntate offerentis, maturius, aut die fixa sunt applicandae. — Denum, post annum, ad ordinarium minime teneris eas transmittere missas quarum applicationem, ex voluntate offerentis, ultra annum protrahere licet.

b) Qui habet superabundantes missas de quibus libere disponere possit, quin voluntatem auctoris stipendii quoad tempus et locum celebrationis laedat, poterit eas — ante annum ut supra revolutum — committere:

1) per se, cuilibet probo sacerdoti saeculari, vel regulari, ejusdem dioeceseos.

2) Ut autem illas sacerdoti alterius dioecesis committat, id, sub gravi conscientiae vinculo, per sacerdotis cui dantur Ordinarium (Epum, vel Praelatum regul.), aut ipso saltem audito, vel annuente, faciat oportet. S.C.C. decr. 22 Maj. 1907, n. 1.

3) Ad Orientales vero antistites vel presbyteros, tum sacerdotes, tum Episcopi absolute prohibentur missas transmit-

tere, nisi per solam S. C. Prop. fidei. cit. decr. n. 3. — Nomine Orientalium, intellige exclusive antistites et sacerdotes alicujus ritus orientalis uniti cum Ecclesia Romana: graeci, armeni, maronitarum etc. etc. non autem missionarios latinos inter eos degentes, minime omnium missionarios Extremi Orientis, sinenses etc.

Observa: Obligatio transmittendi missas per Ordinarium, vel per S. C. iis tantum imponitur, qui de stipendiis a fidelibus acceptis vel commissis disponunt, minime vero ipsis fidelibus, qui stipendia quorum auctores existunt, suo sane periculo, per se et liberrime cuicumque bene viso sacerdoti mittunt.

6) De solidaria obligatione post transmissionem.

a) Qui missas a fidelibus susceptas, vel quomodocumque suae fidei commissas, alteri sacerdoti, etiam legitime commisit, personaliter tenetur obligatione, donec attestationem peractae celebrationis fuerit assecutus.

b) E contra qui eas transmittit ad proprium, vel ad S. Sedem, eo ipso, ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia liberatur. n. 6.

7) De sollicitudine Ordinarii.

a) Ordinarii seu Praelati Regulares, missas apud se depositas una cum indicatione correspondentis eleemosynae accurate in librum referent, easque quam primum distribuent.

b) In ipsa distributione servabunt ordinem et quoad missas et quoad personas. Nempe primo loco procurabunt celebrationem missarum manualium, postea earum quae sunt ad instar manualium. — Ulterius, primo loco eas distribuent sacerdotibus sibi subditis quos noverint iis indigere, dein S. Sedi, vel aliis Ordinariis.

c) Poterunt demum eas tribuere, per eorum Ordinarium, sacerdotibus alienis, ast tunc obligatione personali tenebuntur donec peractae celebrationis attestationem exegerint.

8) De stipendiis.

a) Regulares tenentur stare taxae dioecesanae. Const. "Nuper" et S.C.C. multoties, et quidem ita, ut non modo majorem exigere non possint, sed neque, refragante Epo loci, publice minorem admittere valeant. Cfr. Bened. XIV. de Syn. l. V, c. 9, n. 2.

b) Sub peccato gravi, praeterea sub poena suspensionis a divinis S. Sedi reservatae, pro sacerdotibus; suspensionis ab ordine recepto et inhabilitatis ad ulteriorem, pro clericis non sacerdotibus; excommunicationis latae sent. et Epo reservatae pro laicis, prohibetur praesumptuosa traditio et acceptatio missarum et stipendiorum quae commercium sapit: Hinc, eo tenore:

Vetitum est missas et earum eleemosynas, a fidelibus vel locis piis acceptas, tradere bibliopolis et mercatoribus, diariorum et ephemeridum administratoribus, etiamsi religiosi viri sint, nec non venditoribus sacrorum utensilium etc., quamvis pia religiosa instituta, et generatim quibuslibet, etiam ecclesiasticis viris, qui missas requirant, non taxative et eas celebrent sive per se sive per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium quemlibet, quamvis optimum, finem n. 8 – Statuit igitur legislator praesumptionem juris et de jure, id non fieri, sine aliqua specie commercii, vel eleemosynarum imminutione, et ideo nec peccatum nec poenas vitabis.

c) Sub eadem duplici sanctione peccati et respectivae poenae, stipendium a fidelibus assignatum, ex integro et in propria specie, celebranti est tradendum, nec in alias res commutari aut imminui potest: sublatis jam et abrogatis quibusvis privilegiis, indultis perpetuis vel temporaneis contrariis, quovis titulo et forma et a qualibet auctoritate, concessis. n. 9.

d) Eadem sanctione prohibentur quaecumque librorum, sacrae supellectilis, ephemeridum etc. venditiones vel emptiones, ope missarum. Imo et pro missis jam celebratis

talis retributio prohibetur, quoties id in usum et habitudinem cedat et in larvatum commercium transeat. n. 10. — Intelliges tamen Titium bibliopolam minime esse inquietandum, qui petens sibi a Caio missae oblationem, eidem consentienti, loco numeratae pecuniae librum traderet in stipendium.

e) Manente eadem sanctione, ex eleemosynis missarum quas fideles celebrioribus sanctuariis tradere solent, non licet quidquam detrahere ut ipsorum decori et ornamento consulatur; sine nova et speciali S. Sedis venia. n. 11.

f) In suo robore manet excommunicatio latae sent. et Rº Pontifici reservata, in const. "Apost. Sedis", tit. II, n. 12 enunciata, contra "Colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent.

g) Demum, stipendium, pro missis ad instar manualium tradendum, α) si agatur de missis beneficio annexis, erit, juxta taxam Dioecesanam definiendum; β) si de missis fundatis, erit eleemosyna quae in fundatione, vel in successivo reductionis indulto, taxata invenitur, salvis juribus legitime recognitis, sive pro fabricis, sive pro ecclesiae rectore. n. 15.

9. Curandum ab Ordinariis ut in singulis ecclesiis, praeter tabellam missarum fundatarum, habeantur libri in quibus referantur, una cum correspondente eleemosyna, missae manuales, harumque applicationes adnotentur.

Cap. XIV. De bonorum administratione.

Summopere in votis erat, ultimo hoc capite, plenam de administratione bonorum ad Ordines Institutave spectantium exhibere tractationem, a quo tamen proposito, pro tempore, causa insuperabili praepedimur. Necessitati dum cedimus, momenta saltem principaliora disciplinae vigentis subjungere licebit.

I. Agitur hic de administratione bonorum quae ad ipsum monasterium, Ordinem, Institutum etc. pertinent, minime vero de administratione eorum quae forte ad ipsos religiosos, votis simplicibus ligatos, spectare possunt. De his vide quae dicta sunt supra p. 164, 171, 203 sq.

II. <u>Principia generalia</u> quibus universa haec materia regitur — quamdiu jus naturale tantum respicimus et a positiva Ecclesiae legislatione hodierna abstrahimus — more suo, egregie exponit P. Suarez, de Relig. tr. VIII, l. 2. c. 26-28.

Ex quibus satis erit retinuisse: Hoc jus, propria bona administrandi, communitati nativum est, fundatur quippe in ipsa ejus legitima existentia. Radicitus tenetur a communitate qua tali et nequaquam ab ullo membro sejunctim sumpto. Necessitas tamen rectae administrationis necnon indoles potestatis dominativae superiori propriae fecerunt, ut hoc jus a Praelato pro tempore existente exerceretur, cum majori minorive independentia a consiliariis. Quae ratio agendi juri naturali conformis, dein positivo jure Decretalium sancita, demum variis constitutionibus Apostolicis pressius declarata atque definita est.

III. <u>De regimine oeconomico</u>, abstrahendo interim a jure alienandi.

1) Ordines virorum exempti bona sua, juxta proba-

batas suas constitutiones, liberrime, et prorsus independenter ab Epō loci, administrant.

2) Moniales votorum solemnium, eo quod jus bona administrandi non ex potestate jurisdictionis, sed mere ex potestate dominativa descendit, absolute loquendo per seipsas bona monasterii administrare possunt. Verum:

a) Quae Regularibus sunt subjectae, in hac causa, ut plurimum vi constitutionum, alias, vi consuetudinis, in gravioribus hujusmodi negotiis, necnon quoad rationem reddendam, Praelato suo subjiciuntur. — Quod si administratoribus utantur, Praelati Regularis erit eos approbare et de eorum gestione cognoscere. Sed insuper, in vi const. Greg. XV "Inscrutabili" § 5, 5 Febr. 1622, ap. Richt. p. 543, Episcopus loci, etiam cum Praelato regulari, dictos administratores, singulis annis, ad rationem sibi reddendam cogere potest, eosque si deliquerint punire, a Praelato ut eos amoveat exigere, eoque parere detrectante, per se amovere.

b) Quae Sedi Apostolicae vel Epō immediate subjiciuntur, saltem ex consuetudine passim recepta, Ordinario, vel ejus delegato, rationes personalis administrationis reddere, in gravioribus negotiis ejus consensum expetere tenentur. Sicubi non per se, sed per administratores sua bona curent, hi, de mandato Epī, ut supra rationem reddant oportet. Cfr Bouix, t. II, p. 310-319.

3) In Congregationibus presbyterorum juris Pontificii, de re oeconomica, excluso Epō, soli Praesides cognoscunt. Const. "Conditae". Cap. II, n. 11.

4) In caeteris Congregationibus juris Pontificii, bonorum, quibus sodalitia singula potiuntur, administratio penes moderatorem supremum maximamve antistitam eorumque consilia esse debet: singularum vero familiarum reditus a praesidibus singulis administrari oportet pro Instituti cujusque legibus. De iis Episcopus nullam rationem exigere potest. C." Conditae"

cap. II, n. 9. Tenentur autem istae congregationes juris Pont. in triennali sua relatione ad S. C. Ep. R. accurate administrationem suam et totius Instituti statum oeconomicum manifestare, juxta elenchum quaestionum Instructionis ejusdem S. C. 16 Jul. 1906, quam videas in Anal. eccl. 1906, p. 340. Cfr. Normae, n. 262 et 283-296.

Munus et officium Epi erit, Institutis muliebribus et virorum laicalibus, de fundorum, si quae adsint, legatorumve administratione quae sacris sunt attributa, vel loci aut dioecesis incolis juvandis, cognoscere. C. "Conditae", cap. II, n. 9. 11.

5) Demum in quacumque Congregatione dioecesana, Epus, cum earum superior existat, de re oeconomica tum totius Instituti, tum cujusque domus, jure suo cognoscit. cit. Const. c. I, n. 10.

IV. De ipsa administratione. Haec importat tres actus principaliores videlicet bonorum acquisitionem, conservationem, alienationem. Hic agitur de duobus prioribus, de alienatione enim seorsim dicendum erit.

a) In acquirendo, Praelatus, vel ejus oeconomus, omnibus modis legitimis uti poterit. Multus erit in servanda justitia, prudentia, debitaque religioni et religiosis moderatione.

b) In conservando et meliorando familiae suae substantiam, Praelatus se geret ut bonus paterfamilias. Memor erit bona Religionis duplicem ob finem adesse: ad sustentationem Religiosorum, pauperem sane attamen decentem, et intra fines regulae liberaliorem quam sordidiorem: ad opportune promovendum peculiarem Ordinis scopum, puta studia, praedicationes, missiones etc. Cautus igitur sit maxime in investiendis pecuniis, si quae obveniant.

Quodnam ex tribus consiliis evangelicis sit maximum. 27
Ad substantiam hujus status non requiruntur vota solemnia 29
an et qua ratione, approbatio Ecclesiae. 29
Utrum iste status diversitatem admittat et qualem. 31

Caput II.

De auctore seu institutore status religiosi. 32

Christum D. hujus status, non formas accidentales, sed substantiam instituisse, probatur: E Scripturis, 33. — E Patribus, 35. — Ex consensu scholae, 35. — E sensu fidelium et auctoritate Ecclesiae. E nota verae Christi Ecclesiae. 36
Utrum hic status pertineat ad essentiam Ecclesiae. 36
ad forum ecclesiasticum pertinent causae status religiosi. 37

Caput III.

De propagatione et diffusione vitae religiosae. 38

Art. I. — Ante Christum et extra religionem christianam. 38
Prophetae, Rechabitae, Esseni, 38. — Therapeutae, 39. — Pagani. 41
Art. II. — In Oriente christiano usque ad Conc. Chalcedonense an. 451. 43
Ascetae, 43. — Virgines, 44. — Eremitae, 48. — Monachi, 48. — S. Antonius, Coenobitae, S. Pakhomius, 49. — S. Hilarion, etc., 51. — Formae vivendi peculiares: Inclusi, Subdivales, Sale, Acoemetes, Stylitae, 53. — Formae illegitimae: Gyrovagi, Sarabaïtae, Eustathiani etc. 54
Appendix. — De regulis monasticis Orientalibus. 54
§ I. Regulae suppositiliae. 54
Regula Palemonis, 55. — Sancti Antonii ad monachos, 55. — Makarii, 56. — tres compilationes sub titulo: regulae Patrum, 56. — 6. Isaiae praecepta, 57.
§ II. Regulae genuinae. 57
Regula S. Pakhomii, 57. — Regulae S. Basilii: fusius tractatae, 58. — breviores, 59 — Epitimia — Consuetudines

monasticae, 60. — Regula orientalis id est Treverensis, 61. — Syntagma doctrinae — Regula monasterii gratia plenae, 61.

Art. III. — De ortu et progressu vitae monasticae in Occidente. 61

§ I. Ante S. Patrem Benedictum. 61

Romae, S. Athanasius; Vercellis, S. Eusebius; Mediolani, S. Ambrosius; Tagastae, S. Augustinus; 62. — Basiliani, 63. —

Speciatim in Galliis: S. Martinus; S. Honoratus, 63. — S. Hilarius Arelat.; Cassianus; S. Romanus, 64. — S. Joannes Reomensis 65. — S. Colombanus, 65. —

§ II. Aetas et familia Benedictina. 66

a) Ortus et diffusio prima. 66

b) Congregationes reformatae: Cluniacensis, Hirsaugensis etc. 68

c) Ordines regulares e stirpe benedictina enati. 69

Camaldulenses — Vallis umbrosae — Grandi Montis — Carthusienses — Fontis Ebraldi — Cistercienses — B. M. Fuliensis — Cistercienses reformati seu Trappistae — Florenses — Sylvestrini — Coelestini — Olivetani. 71

d) Congregationes e lege Tridentina natae. 71

Sti Vitoni et Hidulphi — Maurinenses.

e) Hodierna unio. 72

§ III. Aetas canonicorum reg. et assectarum regulae S. Augustini. 72

Congregatio: Portuensis — SS. Salvatoris Lateranensis etc. — Marbacensis — Sti Antonii — S. Victoris — S. Genovefae etc. — Ordo S. Crucis — Windesemensis etc. 76

Ordo Praemonstratensis, 77. — SS. Trinitatis de redempt. captivorum.

Ordo Eremitarum S. Augustini etc. Ordo FF. S. Joannis a Deo, 80

§ IV. Aetas mendicantium. 80

A. Ordo Fratrum Praedicatorum 80

1us ordo, 80. — 2us ordo, 81. — 3us Ordo, 82. —

B. Ordo seraphicus S. Francisci. 83

Ortus et diffusio, 83. – 1us ordo: – FF. Min. de Observantia, 84. – Conventuales, 85. – Ordo reformatorum, 85. – Discalciatorum, Recollectorum – Hodierna unio. 86
2us Ordo, Clarissarum – Urbanistae mitigatae – Strictae observantiae, Clarissae. – Coletinae, 88.
3us Ordo, 88. – Variae classes tertiariorum, 89.
C. Ordo B.M.V. de Monte Carmelo. 89
disputationes de origine Eliana. 89 – Origo Monialium, 91.
D. Ordo Minimorum. 91
§ V. Aetas Clericorum Regularium.
Clerici reg. Theatini – Boni Jesu – S. Pauli decollati – Somaschi – Societatis Jesu – Matris Dei – Ministrantes infirmis – Minores – scholarum piarum.
§ VI. Aetas Congregationum. 95
Congregationes saeculares – religiosae, 95 – juris dioecesani – Pontificii. 96

Caput IV.

De essentia vitae religiosae ex legibus Ecclesiae. 97
Art. I. – In Religione stricte dicta. 97
Vita communis sub certa regula, 97 – emissio 3 votorum solemnis, 98. –
De discrimine inter vota solemnia et simplicia. 99
De effectibus juridicis quibus lex vota solemnia donavit. 104
De requisita Ecclesiae approbatione. 105
Art. II. – In Institutis votorum simplicium. 106
§ I. de approbatione dioecesana. 107
§ II. de approbatione Apostolica. 108
approbatio Instituti, 109. – approbatio constitutionum. 111

Caput V.

De erectione domorum Ordinis vel Instituti approbati. 112
Art. I. – De erigenda domo Regularium. 112

Requiritur: a) licentia Episcopi. 112
b) beneplacitum Apostolicum. 114
Utrum in licentia erigendi conventum comprehendatur facultas aedificandi eccl. 116
Utrum hac solemnitates observandae sint in mutatione etc. conventuum. 116
c) determinatus numerus religiosorum 118
d) distantia a domo aliorum regularium 118
Utrum Episcopus supprimere possit domum regul. canonice erectam. 119
an et quaenam solemnitates pro erectione conventus monialium. 119
Art. II. — De erigenda domo alicujus Instituti. 120
appendix — De erectione Provinciarium. 121

Caput VI.

De ingressu in Religionem. 121

Art. I. — De vocatione.
An et qualis vocatio ad perfectionem sit omnibus christianis cõis. 122
De mente S. Thomae quoad praesentem quaestionem, 124
quid importet gratia vocationis. 125
Non videtur individua quaedam specifica gratia 126
Utrum fautores sententiae "omnes vocantur", tutum praesidium inveniant in antiqua praxi offerendi infantes religioni. 128
Art. II. — De ingressu clericorum et virorum non conjugatorum. 133
§ I. De impedimentis a quibus immunes sint oportet. 134
juris naturalis — juris ecclesiastici, 134.
Utrum clerici indigeant licentia Episcopi. 135
Utrum eam saltem petere debeant. 136
impedimenta ex jure proprio singulorum Ordinum vel Institutorum. 138
§ II. De positive requisitis ad ingressum licitum. 139
Aetas competens, 139. — informationes de postulante, 140. — litterae testimoniales Ordinarii, 140.

Appendix – de ingressu in Institutum virorum. 141
Art. III. – De ingressu puellarum. 142
Immunitas ab impedimentis – libertas – examinanda ab Ordinario.
De dote constituenda. 144
Art. IV. – De ingressu conjugatorum. 147
§ I. Matrimonio nondum consummato. 147
§ II. Matrimonio jam consummato. 150

Caput VII.

De Noviciatu.

Art. I. – De noviciatus duratione et loco. 152
§ I. In Ordinibus, 152
§ II. In Institutis, 157
de lege moderna postulatus. 159
Art. II. – De renunciatione bonorum. 161
§ I. In Ordinibus. 161
§ II. In Institutis. 164
de formula a Cardinali Bizzarri inducta. 164
de formula in „normis" proposita. 165
Art. III. – De positione juridica novitiorum. 167
Quoad privilegia – censuras – dependentiam a Magistro – confessiones – obedientiam – observantiam regulae – sacras ordinationes etc. 168

Caput VIII.

De Professione religiosa. 169

Art. I. – De professione religiosa in Ordinibus. 169
§ I. de professione simplici ante solemnem emittenda: 170
Amplitudo legis – praerequisita – natura horum votorum – locus in quo emittantur – de positione canonica horum professorum. 171
§ II. de professione solemni. 175
Ejus natura – divisio, 175. – conditiones praerequisitae, 178. – persona admittens, 179. – ejus effectus, 180. –

de sanatione professionis invalidae. 181
Utrum professio invalida qua solemnis, sustineatur in vi prof. simplicis. 184
de impugnatione professionis invalidae. 184
Art. II. — De professione in Institutis votorum simplicium. 188
§. I. In Institutis juris Pontificii. 188
Ejus natura — quotuplex, 189. — ejus firmitas, 190. — de conditionibus requisitis ad validitatem, 190. — ad liceitatem, 191. — de persona admittente — de effectibus, 191.
§ II. In Institutis dioecesanis. 193

Caput IX.

De obligationibus Religiosorum.

De obligationibus Religiosorum. 193
Art. I. — Ex natura status religiosi quem amplexi sunt. 194
Art. II. — Ex votis quae emiserunt. 195
§. I. Obligationes ex voto paupertatis derivatae. 195
Utrum solemniter professis liceat habere peculium. 197
De natura paupertatis eorum qui simplicia vota emisere. 202
1. In ordinibus, durante triennio — viri — moniales. 203
2. In Institutis. 203
Dominium radicale — vetita administratio — facultas testandi etc. 204
De paupertate domorum. 206
§. II. Obligationes e voto castitatis enatae. 207
§. III. Obligationes quas gignit votum obedientiae. 207
Art. III. — Ex legibus Ecclesiae, ex jure proprii Ordinis. 209
a) officia generalia. 209
b) gestatio habitus. 209
c) Lex clausurae, quotuplex clausura. 211
De clausura virorum regularium. 212
prohibet: temerarium egressum — et admissionem mulierum, 213.
De clausura monialium. 216

prohibet absolute ingressum cujuscumque sine licentia. 218
egressum monialium, exceptis casibus a jure concessis. 220
d) Recitatio divini officii. 221
choralis, 221. — privata, 228.

Caput X.

De Religiosis statum mutantibus. 224

Art. I. — De iis qui egrediuntur dispensati a suis votis. 224
§ I. De solemniter professis. 224
§ II. De simpliciter professis. 225
Quis dispenset durante triennio — In Institutis juris Pont. — in dioecesanis.

Art. II. — De solemniter professis saecularizatis. 226
Quid saecularizatio, 226. — ad tempus, 227. — in perpetuum, 227.
Obligationes saecularizati, 228. — ad annum... et interim, 229 — ad modum expulsionis, 230.
De saecularizatione collectiva ad nutum Sedis Ap., tempore dispersionis. 230
Enumeratio documentorum, 231. — Expositio S. Poenit. 28 Jun. 1866, 232. — Declarationis ejusdem S. P. 18 April. 1867, 233. — Responsi S. Poenit. 12 Sept. 1872, 236. —

Art. III. — De egredientibus transeundo ad aliam Religionem. 236
Varia disciplina, 236. — Praxis hodierna, 237. — Positio juridica regularis qui transivit, 238.
De transitu monialium, 239 — alumnorum Instituti juris Pont. 239

Art. IV. — De egrediente per promotionem ad episcopatum. 240
Cur et quomodo hanc dignitatem acceptare possit, 240. — Quid secum asportare, 241. — Promoti positio canonica, 241. — Quoad vota — quoad regulam, 242 — de casu abdicationis.

Art. V.– De ejectis et dimissis. 242

Punctum I – De ejectis. 243

§. I. ex Ordinibus post solemnem professionem. 243

De liceitate hujus ejectionis, 243, – incorrigibilis – solemnitates observandae – processus formalis – Sententia, 245. –

De positione canonica ejecti. 245

§. II. ex Institutis virorum. 247

Exponuntur dispositiones decr. "Auctis admod." S. C. E. R., 4 Nov. 1892. 247.

Punctum II. – De dimissis. 249

§. I. Ex ordinibus virorum durante triennio profess. simplicis. 249

Facultas – quis dimittit – ex facti veritate perspecta – causa sufficiens – effectus.

Utrum post decr. "Auctis" Superior professum triennii sed in sacris constitutum dimittere valeat, quin ad formalem ejectionem recurrat. 250

Quid novi induxerit cit. decretum? 251

§ II. De dimissione ex Inst. virorum juris Pontif. 251

§ III. De dimissione monialium et sororum. 252

Art. VI. – De egressu per apostasiam, vel per fugam. 253

§. I. De apostatis. 253

Quid apostasia a Religione – poenae apostatae – ejus positio.

§. II. De fugitivis. 255

Caput XI.

De Privilegiis Regularium. 257

Art. I. – De Privilegiis Regularium in genere. 257.

Quid sit, 258. – quotuplex, et observanda circa vivae vocis oracula, 259 – quis concedere valeat et quibus, 260. – Quibus modis acquirantur, 261 – Quid communicatio minus, aeque principalis, 261. – Confirmatio in forma specifica quid et quibus signis dignoscatur, 262. – quid

Jure Decretalium, quod profecto conditioni oeconomicae ab hodierna plane diversae respondet, hujusmodi investimenta per prius in prativis et sativis, dein in vinetis, ultimo loco in possessionibus urbanis erant facienda. Haec quippe, illa aetate, tutior erat ratio et magis frugifera collocandi pecuniam. Verum hodie, ut tot spoliationes manifestum fecerunt, nec prudentia, nec conditio religiosis a lege civili facta, nec demum sana administrandi ratio talem investiendi modum suadebunt, unde non culpandus Praelatus qui, temporum conditioni imo iniquitati deferens, aliam viam tutiorem inibit; videbitur forte contra literam legis agere, sed ut plenius legislatoris voluntatem perficiat. "Superior quippe lex, ut ratiocinatur P. Wernz, t. III, tit. 5, n. 153, omnibus attentis circumstantiis, est ipsa conservatio bonorum et legitima sufficientium redituum perceptio."

Caveat demum ab indebita munerum largitione, ad tramites constit. Clem. VIII et Urb. VIII, de quibus supra p. 201 sq.

V. De alienatione.

1) Quaecumque bona ad monasterium, conventum etc. auctoritate ecclesiastica erectum spectant, eo ipso, ex cap. unic. Ambitiosae, De rebus Eccl. non alien. III. 4. Extrav. com. et unanimi DD. sententia, ecclesiastica censentur. Quapropter, tametsi in religiosis, Praelatus ob suam dominativam potestatem jure et libere bona administret, quoad eorum alienationem conscientiae non satisfaciet ex eo quod prudenter, rationabiliter et constitutionum solemnitates servando processerit, adstringitur enim praeterea legibus quibus bonorum ecclesiasticorum alienatio circumscribitur.

2) Praecipua lex in hac materia sane est necessitas

beneplaciti Apostolici ad alienationem immobilium et mobilium pretiosorum, et quidem sub poena excommunicationis latae sent. non reservatae.

3) Ab antiquis temporibus, Ecclesia prohibuit ne quis ipsius bona incaute distrahere aut alienare praesumeret. Cfr. can. 13, 19, 23, 35, 36, 41, 51, 52 C. XII, q. 2. relicta tamen passim Epo facultate, ex causa necessitatis, utilitatis, vel charitatis publicae, alienandi, loc. cit. c. 14, 15, 16; lege etiam capita tit. XIII. lib. III. de rebus Eccl. alien. vel non. Tractu temporis libertas Epi in tantum restricta fuit, ut ad alienationem legitime non procederet sine consensu praevio capituli. Ulteriorem restrictionem apposuit Conc. Lugd. II, 1274, decernendo ad omnem alienationem laicis faciendam praeter consensum capituli requiri Sedis Ap. licentiam specialem, ut habet cap. 2 de rebus Eccl. alien. III, 9 in VI.

Obligationem requirendi praeviam Sedis Ap. licentiam, celebri sua const. "Ambitiosae" c. un. ead. tit. in Extrav. com., Paulus II, 1 Mart. 1467, extendit simpliciter ad omnes et quascumque alienationes, sub gravissima sanctione tum pro Praelatis, cum pro aliis rectoribus, administratoribus etc. ut videre et in cit. cap. Verum, ut res humanae ferunt, sapientissima constitutio expectatum non attulit fructum. In germania, in Gallia, et generalius extra Italiam, parum observabatur, imo tractu temporis neglecta jacebat, eo quod, ut ajebant, in illis regionibus non fuerit recepta. Quapropter Urb. VIII, 7 Dec. 1624, eam innovavit "non obstantibus consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis et ordinationibus Apostolicis quibuslibet, in favorem quarumcumque Congregationum, societatum, monasteriorum, collegiorum, domorum etc. Vide docum. apud Bouix, t. II, p. 284.

Pius tandem IX, const. "Apost. Sedis", tit. IV, n. 3., const. "Ambitiosae" ferme neglectam — vide ex. gr. quae scripsit integerrimus Bouix, t. cit. p. 301-307 — renovavit, statuens

excom. latae sent. nemini reservatam contra "Alienantes et recipere praesumentes bona eccl. absque beneplacito apos-tolico, ad formam extravagantis "Ambitiosae", de reb. Eccl. non alienandis." Quia praeterea Pius IX, in fine const. "Apost. Sedis" n. 53, omnia et singula privilegia in contrarium, cuicumque Ordini, societati, coetui quavis confirmatione Apostolica concessa, vel etiam immemorabili consuetudine firmata, cassabat et revocabat, jam evidentissime constabat neminem de coetero peccatum et censuram, sub praetextu generalis privilegii vel consuetudinis cujuscumque, posse declinare. — Oborto nihilominus dubio et propositis circa hac triplici quaestione, S. Officium, die 22 Dec. 1880, authentice declaravit: omnes ligari, omnia privilegia generalia esse extincta, abolitasque consuetudines quascumque etiam particulares et immemorabiles. Vide hoc in Actis S. Sedis t. XV, p. 539, vel in Coll. Prop. Fid. n. 1633. Ad urgendam hujus legis executionem S. C. Ep. R. jam a pluribus annis exegit, ut in constitutionibus Congr. modernarum ipsius mentio insereretur expressa. Cfr. etiam Normae, n. 272. — Et haec de origine, firmitate et amplitudine legis.

4) Explicantur legis verba.

a) Verbum alienatio, ad mentem const. "Ambitiosae" sumendum, in materia praesenti, sensu latiori, ita ut non comprehendat tantum actus quibus in alium transfertur boni ecclesiastici dominium directum, sed illos universos quibus vel dominium utile, usufructus vel jura inhaerentia deminuuntur et pejoris redduntur conditionis.

Itaque prohibentur: venditio, donatio, permutatio, cessio juris vel actionis jam quaesitae, quibus actibus transfertur jus in re. Prohibentur praeterea alii actus qui alienationem quadantenus inchoant ut oppignoratio, hypotheca specialis; vel dominium utile imminuunt nimis: emphyteusis extra casus in jure permissos, locatio diuturna id est ultra triennium utilis seu frugiferum, servitus

realis constitutio, item constitutio servitutis passivae. Cfr. P. Wernz, t. III, tit. 5, n. 154.

Lex autem nostra, ut facile patet ex comparatione c. 2 de rebus Eccl. non alien. III, 9 in VI cum constitutione "Ambitiosae", directe prohibet ipsam alienationem, nullo habito respectu personae cui fiat. Quapropter eadem dispositio, eaedem manent poenae, sive alienatio fiat in favorem personae (physicae vel moralis) laicae aut ecclesiasticae seu regularis. Ita etiam habet praxis SS. Congr. et ideo sentio minime tutam, imo nec probabilem, sententiam paucorum qui a peccato et censura immunem vellent Praelatum bona alteri Praelato vel monasterio vendentem.

b) Bona ecclesiastica reputantur quaecumque ab ecclesia, ab instituto ecclesiastico, religioso, a loco pio etc. auctoritate ecclesiastica erecto, actu possidentur. Secundum veriorem enim sent. in causa non sunt bona ecclesiae etc. quidem legata, donata, relicta, ab ipsa tamen nondum acceptata nec absolute acquisita.

c) Immobilia intelliguntur primo et per se: praedia, aedificia; dein quae fundo tenentur ut arbores etc.; quae ejus fructificationi stabili modo addicuntur, ut equi vel boves aratorii; insuper jura et actiones ad immobilia, servitutes praediorum ut jus piscandi etc.; demum summa pecuniae specifice deputata ad emptionem immobilium, ad aedificandam ecclesiam etc. Cfr. Ferraris, v. alienare, n. 4 sq.

d) Mobilia pretiosa audiunt quae de thesauro ecclesiae sunt atque propter valorem, artem, raritatem, antiquitatem monasterio specialem conferunt splendorem; puta: vasa aurea, gemmae, picturae celebres, copiosa bibliotheca; greges etiam et armenta. – Inter res pretiosas, sane non titulo pecuniario, sed pietatis ergo, ex mandato Ecclesiae, habendae sunt sanctorum reliquiae insignes.

Si quaeris, quanti valoris hujusmodi res sit oportet, ut

inter pretiosas quarum alienatio vetatur recenseatur.

Resp.: Ob imminutum argenti valorem certe ... possumus, nec tenemur stare supputationibus a Auctoribus ... a S. C. saec XVIII propositis, 225 f.; sed hanc summam pro rata pecuniae imminutione triplo augere licet. Sunt qui non pretiosam reputent omnem rem infra 750, imo infra 1000 fr. Ut sentio, haec taxa nequit in universum mathematice definiri, nam ipse cujusque regionis status oeconomicus est attendendus, non enim inepte dixeris, 600 vgr. libellas in Italia vim majorem obtinere prae 1000 in Statibus foederatis Americae Sept. Unde si quando rei alienandae pretium inter 600-1000 fr. fluctuat, quisque, in propria regione, rem pretiosam vel non pretiosam judicabit ex communi aestimatione virorum qui prudentia pollent et conscientia religiosa.

5) Dispositio legis _ Haec igitur sui monasterii bona immobilia et mobilia pretiosa, regularibus, sine peccato et poenae excommunicationis commissione, alienare non licet quamdiu praeter justam causam, et solemnitates a constitutionibus forte praescriptas, non adsit beneplacitum Apostolicum.

Observa I. a) Non alienat qui bona oblata non admittit, alienare enim est transferre dominium directum vel utile eorum quae habes.

b) Neque qui pecuniam mutuo dat, ratione tuta.

c) Neque qui pecuniam mutuo accipit, etiam cum solutione feneris, quidquid plures in oppositum dixerint, vel dicant. Nituntur enim hi Auctores universim in prohibitione a S. C. C., die 21 Mart. 1626, emanata, quam forte ex fontibus non genuinis truncatam acceperunt, vel certe, ut peremptorie demonstrat P. Vermeersch, non rite intellexerunt. Ea quippe declaratione S. C. C. restricit casum quo quis praeter fenus concederet in propria immobilia hypothe-

tam specialem, ad assecurandam sortem mutuatam, talemque S. C., contractum ut alienationem traducit et excludit. Lege docti viri Supplem. X, t. II. p. 118-121. Consonant "Normae" n. 271 e 272, juxta quas sufficit consilii assensus.

Observa II. De jure communi, sine beneplacito Apostolico, hinc sine censura, et si detur justa causa, etiam absque peccato, alienari possunt:

1) Terrulae, aliique fundi steriles exigui valoris, ut habet can. 53. C. XII, q. 2 cujus dispositionem Paulus II ait C. "Ambitios". non abrogavit, S. C. C. 1596. Exiguum valorem intelligas, ut supra dictum est de aestimanda re non pretiosa. in legem tamen peccaret, qui ex fundo majori quasi abscinderet partem minorem alienationis causa.

2) Bona immobilia (non mobilia pretiosa) relicta monasterio incapaci ea retinendi, ut sunt monasteria Fratrum Minorum, Fr. Capucinorum, Theatinorum: ratio manifesta est, nequeunt enim hi religiosi in communi possidere,

3) Fructus et alia bona ecclesiastica "quae servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia," ut habet cit. Const. "Ambitiosae", puta fructus ex praediis, arbores ad maturitatem perductae, singularia jumenta, et universalius, omnia mobilia quae sine detrimento ad triennium perdurare nequeunt.

4) Locationes non prohibentur nisi quae concludantur ultra triennium nempe utile, unde nil obstat, quominus vgr. silva, ex qua exciduntur ligna tertio quoque anno, ad novem annos locetur. Neque imo excluduntur quae in regionibus nostris usu veniunt locationes ad novem annos, cum expressa facultate pro utroque parte, rescindendi contractum, solo arbitrio, post quodlibet triennium.

5) Denique sine beneplacito Apost. ad alienationem devenire poteris quoties instat summa alienandi necessitas, nec sine damno expectare potes licentiam Apostolicam. Ita communis sent. — Vide Commentar. patavinum

Monfredini in hanc censur. p. 298 sq.

Quaeres: Utrum dispositio legis comprehendat alienationem titulorum anonymorum (titres au porteur).

Nota. 1°) et distingue alienationem a commutatione. Alienari dicuntur hi tituli, quando pecunia ex eorum venditione obveniens consumitur, aut in rem non frugiferam absumitur, ita ut reditus ex ea olim provenientes jam cessent. Commutantur vero, quando pecunia ex venditione priorum habita in emendos alios titulos frugiferos expenditur.

Nota 2°) Ecclesia nunquam non voluit, ut pecuniae ad instituta ecclesiastica spectantes, tuto atque frugifero modo collocarentur. Hinc superioribus temporibus, pro statu oeconomico illius aetatis in qua fortuna publica ferme immobilis erat, Ecclesia decrevit ut occurrentes pecuniae in bonis immobilibus, rusticis vel urbanis, investirentur. Hodie vero, mutato regimine oeconomico, fortuna mobilis praevalet, et eam ob causam investitio immobilis parum fructuosa evasit. Aliunde frequentes quas videmus bonorum ad regulares spectantium incamerationes et spoliationes publicas, jam quemque oculatiorem docuerunt hunc modum collocandi pecuniam in acquisitionem immobilium de caetero tutum non esse; denique ipsa legislatio civilis, utpote quae monasterio omni, qua tali, jura civilia abnuit, acquisitionem immobilium valde difficilem et onerosam admodum reddidit, sicque, velint nolint, Religiosi hodie arctantur ad investimenta per titulos facienda (rentes sur l'Etat, obligations de chemins de fer, du credit foncier etc.).

Resp. et dico 1°) Non defuerunt probati auctores qui in sent. negantem abierunt, ut Schmalzgr. de rebus Eccles. non alien. III. 13. n. 50-52; Reiffenst. tit. cit. n. 15, et ipse Card. de Luca, licet ab auctore relationis S. C. C. die 17 Febr. 1906 propositae citetur in oppositum, cum reapse cit. discurs. 1° n. 2° affirmet "pecunias quae collocantur in administrationibus Guberniorum ad habendum reditum annuum non requi-

rere licentiam Pontificiam". Idem tenuit saeculo superiore Bouix, t. II, p. 293. — Veteres illi auctores talem pecuniae collocationem, tunc temporis raro usitatam, et respectu fortunae totius Instituti valde accessoriam, ni totus fallar, considerabant ferme ut depositum, tibi utile mihi frugiferum, unde patet eorum solutio, a qua tamen recedendum est. Bouix certe aliis rationibus militabat quas videsis loc. cit.

dico 2°) Quoties valor tituli alienandi non excedit summam 1000 lib., eo quod res pretiosa sensu juridico non habeatur, non requiritur beneplacitum Apostolicum. Modo tamen non agas in fraudem legis, et per venditiones repetitas, quarum unaquaeque per se licita foret, ad alienationem summae prohibitae studeas pervenire.

dico 3) Omnino comprehenduntur tituli qui monasterii dotationem constituunt: nimis enim aperta sunt verba const. «Ambitiosae" "qui (alienant) bona mobilia pretiosa... ex quibus monasteria reguntur et eorum ministri (i.e. hic religiosi) sibi alimoniam vindicant." Ita etiam censuit S. C. C. ad 1um, 17 Febr. 1906, Analect. eccl. 1907, p. 60.

Quaeres 2°. Utrum vel ipsa titulorum commutatio comprehendatur.

Resp. et dico 1°. S. C. C. interrogata, die 17 Febr. 1906, in una «Romana et aliarum" «Utrum pariter requiratur licentia Apost. cum agitur de commutandis titulis istis in alios titulos vel valores etiam immobiles" respondit: affirmative, excepto casu urgentis necessitatis in quo periculum sit in mora, et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, habito tamen in his adjunctis Ordinarii beneplacito, et sub lege ut permutatio fiat in titulis quam maxime tutis."

Ad hanc responsionem observa: eam respicere titulorum commutationem duplicis speciei: improprie talem, nempe in immobilia, et proprie dictam in alios scilicet titulos.

Quoad priorem, quam recte alienationem dixeris, jam dudum constans praxis S. C. et sententia communis DD. tradebat commutationem pecuniae frugiferae in immobilia non

frugifera veram alienationis induere naturam, ideoque ad liceitatem actus et ad fugiendas poenas requiri beneplacitum apostolicum. Ex hac ergo parte nihil novi inducitur, sed potius antiqua praxis et recepta doctrina roborantur.

Quoad commutationem titulorum cum aliis, licet dicatur sub prohibita alienatione comprehendi, nihilominus, in casu urgenti, satis erit Ordinarii — in casu nostro, Praelati regularis — beneplacitum obtinuisse. Quapropter oeconomi regularium, saltem exemptorum, facile vitabunt damnum quod in hisce rebus gerendis frequentius ex mora emergere posset.

Dico 2º. Quaenam rationes Patres in hanc sententiam deduxerint, non est facile dictu. Unica, qua militat auctor relationis, procul dubio speciem potius veritatis prae se fert, quam veritatem. Ait enim: Commutatio titulorum est permutatio, atqui permutatio comprehenditur sub lege. Ergo et commutatio. Unde pronum erit concludere: qui duas syngraphas argentarias (billets de banque) 1000 fr. in nummos commutat praesentes, alienationem perficit et excommunicatione innodatus manet." Eccur non? Nonne stante illo argumento permutationem habemus! — Verum notum est, quod rationes in "Folio" expressae Patribus quidem obgeruntur, ipsi tamen quandoque ob alias, et quidem prorsus diversas, sententiam proferunt. An et quaenam rationes non manifestatae Patres commoverint, divinare non vacat, tametsi non leve indicium praebeant ultima verba: " ut permutatio fiat in titulis quam maxime tutis." Talis enim permutatio quaestus studium minime fovet.

Dico 3. Usque modo probatissimi DD. et oeconomi timoratae conscientiae tenuerunt — quoties excluditur spiritus negotiandi, ipsaque habitualis negotiatio ex lucri cupedine orta et ab Ecclesia alias prohibita, exluditurque ille, qui tot instituta ecclesiastica ad ruinam deduxit, furor, vulgo jeu de bourse — commutationes titulorum ne-

cessitatis aut utilitatis causa peragendas, libere et absque beneplacito apostolico perfici, eo quod hujusmodi permutationes minime ad actum alienandi, sed per se ad actum conservandi propria monasterii bona referuntur. Conservare autem monasterii bona, oeconomus ex officio, nulla superiori licentia requisita, tenetur.

Sane Regulares, ut supra exposui, in causa non sunt, cur eorum pecuniae hodie ut plurimum in titulos investiri debeant; sed facta semel legitima investitione, nemine diffitente, talis fortuna prudenti modo administretur oportet; prudens autem administratio ferme tota hisce permutationibus absolvitur. Ideoque videre non est, cur sub regimine investimenti immobilis, oeconomus, arbores maturas caedere, vitulos et boves saginatos, jumentum deterius vendere liberrime poterat — titulo rectae administrationis —; sub regimine vero investimenti mobilis, non dico vendendo alienare, sed cum aliis tutioribus, aut magis frugiferis commutare non possit, eodem nomine, titulos qui olim forte tutiores nunc minus tuti evaserunt, aut reditus afferunt imminutos, quin ad S. Sedem pro beneplacito quaerendo recurrat.

Quibus perpensis, cum caeteroquin memorata S.C.C. responsio sit particularis, "Romana scilicet et aliarum", sicque per se eos liget qui sibi responsum postulavunt, nec consuetudines rationabiles oppositas alibi vigentes submoveat: si quis ex istis rationibus et aliis quas indicat P. Vermeersch Period. t. 2, p. 90-93, "sibi conscientiam formaverit et actionem direxerit, ut cum cl. scriptore sentio," non videtur inquietandus". l. c. p. 93.

6) Poenae — Episcopi et Abbates bona ecclesiastica sine beneplacito Ap. alienantes, incurrunt interdictum ab ingressu ecclesiae. Caeteri vero alienantes, et quotquot bona alienata accipiunt, incurrunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam; insuper, in omni casu, actus alienationis pleno jure irritus erit.

Censura non extenditur ad consilium, favorem, auxilium etc. praebentes; neque illi obnoxii sunt qui bona ecclesiastica quorum administrationem non habent – administratores quippe exclusive respicit const. "Ambitiosae" – injuste alienarent; hi enim, pro natura delicti, aliam poenam, forte graviorem incurrunt, ut puta latam contra invadentes et occupantes, vel in proprios usus convertentes bona et jura ecclesiastica.

Amantissimo Cordi Jesu
Dulcissimo Cordi Virginis Matris
Laus et Gloria
in sempiternum.

Index

secundum ordinem rerum

Caput I.

Exponuntur notiones generales status, perfectionis, etc. 1.

Art. I. — Quid in praesenti materia importet ratio status. 1.

Art. II. — In quo consistat vitae christianae perfectio. 3

In charitate, 3. — Non tamen totaliter, 4. — Varii gradus, 6. — secundum quod charitas dicit dilectionem Dei super omnia, 7. — inhaesionem in Deo ex toto corde, 8. — secundum varia media adhibita ad unionem cum Deo promovendam, 9. — secundum studium praecipuum diligentis Deum, 10.

Utrum perfectio principalius in mandatis consistat, vel in consiliis. 11

Art. III. — Quid sit status vitae communis. 12

Art. IV. — Quid sit status perfectionis. 13

Scholion: De distinctione status perfectionis acquisitae et acquirendae. 16

Art. V. — Quid sit status religiosus. 18

Verus status perfectionis acquirendae, 18. — attamen non omnis status perfectionis est religiosus, 19. — Utrum in hoc statu observari debeant omnia omnino consilia. 19

Quaenam requirantur et sufficiant ad essentiam hujus status. 21

significet clausula: dummodo ss. canonibus et decretis concilii Trid. non adversentur, 263. – acceptatio privilegii, 264.
De communicatione privilegiorum inter Regulares. 264
De interpretatione privilegiorum. 267
De remediis contra violatores. 268
De amissione privilegiorum. 269
Art. II. – An et quaenam regularium privilegia Conc. Trid. revocavit. 271
§ I. Principia solutionis. 271
§ II. Enumerantur et exponuntur 20 casus. 272
Art. III. – De privilegio exemptionis. 278
Definitio – Notae historicae – ante Conc. Chalced, 279. – Can. 4 et 8 hujus concilii, 280. – Exemptiones in Oriente saec. VII, stauropegium, 280. – Conditio libertatis in Occidente saec. V, 281. – Exemptiones in eccl. Carthaginensi saec. VI, 282. – Exemptiones ex liberalitate regum saec. VII-XI, 284. – Summi Pontifices rarissime ante saec. IX exemptiones concessere, 284. – exemptio Cluniacensis monasterii, 285. – exemptio nata ex dispositione can. 13 Conc. Lat. IV, 287. – exemptiones mendicantium, 287. – Abusus, 288. – Remedia, 290.
Causae concedendi –, exemptio personalis, localis, mixta, 291. – Quibus modis acquiratur.
De probatione exemptionis. 292
De numero religiosorum requisito ut domus exemptione fruatur. 293
De amplitudine exemptionis. 294
Art. IV. – De causis in quibus Regulares exempti Epo subsunt. 295
§ I. Observationes generales – de jurisdictione ordinaria, delegata. 296
§ II. In specie, enumerantur et exponuntur 28 casus. 297
Quoad erectionem novae domus, 297 – quoad visitationem deficiente numero canonico – quoad renunciationem bonorum – In causa nulli-
P. St.

tatis professionis — ejecti et apostatae — delinquentes dum degunt extra monasterium, 298. — quoad publicationem censurarum, 299. — quoad crimina ad S. Officium spectantia — in publica sacramentorum administratione — quoad eorum ecclesias, 300. — Quoad missae sacrificium et admissionem extranei ad celebrandum, 302. — quoad taxam stipendiorum — quoad custodiam SS. Eucharistiae, 303. — quoad SS. expositionem — quoad processiones — quoad novas indulgentias, 305 — novas reliquias — expositionem imaginum, 305. — quoad librorum editionem, 305. — quoad quaestuationem — quoad erectionem et aggregationem confraternitatum, 307.

Schol. — De causis in quibus Instituta juris Pont. Epo. subsunt. 309

Caput XII.

De sacris Regularium ministeriis. 313

Art. I. — De habilitate regularium ad munia eccl. in genere. 314

Notae historicae — judicia eccl. quibus damnatur error oppositus. 315

Art. II. — De eorum juribus et oblig. quoad varia ministeria in specie. 316

§. I. De assumptione ad episcopatum — supra 240.

§ II. Quoad parochiales ecclesias regendas 316

regulares seu unitas, 317 — saeculares, 320.

§ III. De regendo seminario. 321

§ IV. De munere praedicandi. 321

Varia disciplina — in ecclesiis propriis, 322. — in alienis, 323.

Causae excludendi aliquem, 323. — Poenae in contravenientes, 324.

§. V. De baptismo. 324

§. VI. De sanctissima Eucharistia. 324

a) de auditione missae apud Regulares.

b) de SS. sacr. fidelibus ministrando, 325

Utrum et quo sensu regulares iis qui sunt "de eorum familia" cnionem paschalem, 325, viaticum, 328 ministrare possint.

c) Prima puerorum communio. 327

d) de SS. expositione. 329

§ VII. De administratione sacramenti poenitentiae. 329

1) De origine jurisdictionis Regularium quoad confess. saecularium. 329

2) de approbatione Ordinarii quaerenda pro istis confessionibus. 332

3) de examine praevio ad concessionem approbationis. 335

4) de concessione vel denegatione approbationis. 336

5) de revocatione approbationis. 338

Utrum semel approbatus valeat eo ipso saeculares a

reservatis absolvere. 339

a casibus Pontificiis. 339

a casibus ab Episcopo sibi reservatis. 340

a casibus Episcopo jure communi reservatis. 341

Appendix. – De confessario monialium et sororum. 346

§ I. De confessario monialium. 347

generalia – ejus deputatio – qualitates – aetas. 348.

de lege triennii – 348

de confessario extraordinario. 349

Confessarius regul. monialium quae Regularibus subjiciuntur. 351

Confessarius regularis monialium Epo subjectarum. 351

§ II. De confessario sororum. 352

a) Ordinario – deputatur ab Epo – aliquando eligi potest. 352

Utrum Regularis a suis constitutionibus non impeditus ad hoc munus deputari possit. 353

Utrum singulis trienniis ex lege mutandus sit. 354

b) extraordinario – juxta const. "Pastoralis". 357

de confessariis supplementariis, juxta decr. "Quemadmodum." 357

Utrum sorores valide et licite extra domum adeant Confessarium "pro fidelibus utriusque sexus" approbatum 358

sorores juris Pontificii. 358
sorores juris dioecesani. 359
§ VIII. De extremaunctione — supra p. 328.
§. IX. De matrimonio. 360

Caput XIII.

De Regimine interno. 362

Regulares subjiciuntur s. hierarchiae, 362. — propriis Praelatis, 363.
Art. I. — De natura potestatis gubernativae in Ordinibus et Inst. 364
§. I. De natura potestatis dominativae. 364
Est ordinis privati — fundatur in traditione et voto obedientiae, 365.
Utrum S. Pontifici competat haec potestas in universos religiosos. 366
§. II. de natura potestatis jurisdictionis. 367.
Est ordinis publici — ejus origo et communicatio — per privilegium in utroque foro, 270.
Quo sensu jurisd. Praelati quasi-episc. dicatur. 370
Art. II. — De constitutione superiorum Regularium. 371
Ex jure communi, 371. — ex jure particulari, 372.
§ I. De electione superioris in ordinibus virorum. 373
Electio quid, quotuplex, 373. — Electores, 374.
Utrum punitus privatione vocis activae — ipso jure — ante sententiam jure eligendi spoliatus maneat. 375
Quis eligi possit, 376. — Ritus electionis, 378. — jura electi, 279 — benedictio abbatum. — Vitia electionis 380.
§ II. de electione abbatissae etc. monialium. 381
§ III. De electione in congregationibus modernis. 383
Quis electione praeficitur — specialia in his electionibus, 384.
Art. III — De objecto potestatis gubernativae in Ordinibus et Inst. 385
[Punctum] I. — De objecto potestatis dominativae. 385
[Punctum] II. — De objecto potestatis jurisdictionis. 387

§I. Potestatis legislativae. 387
§II. Potestatis dispensandi. 388
In generalibus Ecclesiae legibus – in constitutionibus Ordinis, 389. – in votis – in poenis – in irregularitatibus, 390.
§III. Potestatis judiciariae. 391
A. In foro poenitentiali. 391
1. Confessiones – confessariorum deputatio – horum doteo, 392.
Utrum superior possit deputare sacerdotem externum reg. vel saec. 393
Utrum tantum eum qui alias jam ab Epo approbatus est. 393
Confessiones novitiorum. 395
2. Casuum reservatis. 395
Existentia potestatis – limitatio Clementina. 396
Utrum superior peccato non reservabili censuram sibi reservatam adnectere possit. 397
3. Potestas absolvendi suos a peccatis et censuris reservatis. 397
Ab occultis censuris – a censuris Pontificiis pro interno regimine Ordinum – a peccatis in Ordine reservatis, 398. – a censuris in ordine reservatis, 400. – a censuris et casibus R. Pontifici reservatis, 401. – Quid de excom. in missionarios negotiationem lucrativam exercentes latam, 401. – a casibus Epo a jure reservatis, 402.
B. In foro externo. 402
Superior ut judex – vindicat crimina, 403. – enumerantur delicta, 403 – Quaedam pertinent privative ad S. Officium, 404 – Quaedam ab Epo etiam puniuntur, 404.
Quomodo superior recipit denunciationes evangelicas, 404. – quid sit procedere de plano et absque judiciali forma, 405. – Quaenam sint substantialia in judicio summario, 406. – Quid poenae medicinales, vindicativae, 407.
De recursu poenam injustam.
Schol. De suspensione ex informata conscientia. 41[illegible]

Art. IV.– De superiorum obligationibus. 413
§. I. In genere. 413
Unio fovenda, observantia urgenda, 413.– exemplum dispensare quomodo, 414
§. II. In specie. 414
1. Quoad professionem fidei. 414
2. Quoad visitationem. 416
3. Quoad documenta apostolica legenda. 418
4. Quoad missarum celebrationem. 422
a) onera perpetua. 423
b) onera missarum manualium. 426

Caput XIV.

De bonorum temporalium administratione.

De bonorum temporalium administratione. 430
1. Principia generalia. 430
2. De regime oeconomico. 430
in ordinibus virorum, 430.– monialium, 431– in congregation, 431.
3. De administratione. 432
quomodo acquirant, 432.– conservent bona, 432
4. De alienatione. 433
Notae historicae, 434.– explicantur verba legis, 435
Utrum lex comprehendat alienationem titulorum anonymorum. 439
Utrum eorum commutationem in alios titulos. 440
5. Poenae in contrafacientes latae. 442

A. M. D. G.

5936